BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
XVIII
B
36
NAPOLI

XVIII
B - 36 - 31

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III"
NAPOLI

Digitized by Google



Apud Iohannem Bielkium Bibliopol: Ienen: 1676

VALENTINI Velthem,
Moralium Prof. Publ. ordin.
in Academia Jenenſi,

INTRODUCTIO
ad
HUGONIS GROTII
illuſtre ac commendatiſſimum opus
DE
JURE BELLI ET PACIS
ejusque omnes libros
ac ſingula capita,
ubi ſimul
ELEMENTA SCIENTIÆ
DE JURIS NATURÆ ET GENTIUM PRUDENTIA
Una cum præcipuis materiis moralibus ac politicis, ut & quæſtionibus controverſis recepta faciliqve methodo traduntur.

JENÆ,
Impenſis JOHANNIS BIELCKI,
Typis SAMUELIS KREBSII,
A. O. R.
cIↄ Iↄc LXXVI.

B. R. NEAPOL
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

[illegible]

SERENISSIMO. AC CELSISSIMO

PRINCIPI. AC DOMINO

DOMINO

FRIDERICO

DUCI. SAXONIÆ. JU-
LIACI. CLIVIÆ. AC. MONTIUM
LANDGRAVIO. THURIN-
GIÆ. MARCHIONI. MISNIÆ
PRINCIPALI. COMITI. HEN-
NEBERGIÆ. COMITI DE
MARCA. ET. RAVENSBERG
DYNASTÆ. IN RA-
VENSTEIN

PRINCIPI. ET. DOMINO

MEO. CLEMENTISSIMO

ABSOLUTAM FELICITATEM!

BEnignitas Tua incredibilis, SERENISSIME PRINCEPS, & clementia tanta, quanta Cæſarem Deum fecit Auguſtumque conſecravit, alacritatem mihi ſummam affert ad pedes tuos primitias laboris mei Academici deponendi. Quanquam animus quidem mihi nunquam defuit, tempora defuerunt, quæ ſimul ac primum aliquid primi diluculi oſtendere

dere viſa ſunt, obſequium gratitudinis meæ teſtari volui. Immortali memoria recepta beneficia retineo, quibus Tuus Genitor glorioſiſſimæ memoriæ in Te, Clementissime Princeps, præclariſſime vivens me ſubjectiſſimum obligavit, meæque tenuitati & præſidium fuit & ſolatium. Is animavit ſtudia mea in infelici fluctuantia oceano, ut ſæpe medias inter triſtitiæ ſyrtes lætiſſima principalis gratiæ conſpexerim halcyonia, dum non mo-

do antę ſexennium Facultati Philoſophicæ me meaque ſtudia clementiſſimis literis de meliore nota commendavit, ſed & publicam Moralium profeſſionem tribus abhinc annis mihi demandavit benigniſſime, & quod præcipuum, glorioſus Princeps, Tuus, CLEMENTISSIME DOMINE, PATER, cujus memoriam indeſinenter celebras ipſum imitando, maxime propitio ſemper fuit animo in eos, qui, pietate in DEUM ac PRINCIPEM pro fundamento poſita, in publi-

publicum pro viribus conſulere nunquam ceſſarent, & quibus præcipua eſſet ac unica felicitas indefeſſis aliorum ad ſolidam eruditionem aſpirantium ſtudiis inſerviendo quotidie conſumi. Eo magis igitur, SERENISSIME PRINCEPS, in celſiſſimi Nominis Tui devotiſſimum cultum exardeſcit ſubjectiſſima mens mea, quo certius omnis exercendæ humillimæ gratitudinis poteſtatem abſtulit mihi debiti obſequii magnitudo & virium paupertas. Sed quid

meæ neceſſitudinis cauſam peroro, qui præter æterni obſequii gloriam nihil mihi relictum ſcio, nec profecto unquam auderem Tuum, CELSISSIME PRINCEPS, auguſtum nomen meo libello inſcribere, niſi ejus materia id ſummo jure efflagitaret. Libellus, quem humillime offero, introductio eſt ad æternum Hugonis Grotii opus, quod ſcio magnifieri à TUA CELSITUDINE; introductio eſt ad jura belli & pacis, quorum Tu & ex indole Tua es ſapientiſſi-

tiſſimus arbiter & ex ſummi Principis, DEUM voco, deſignatione MAGNUS PRINCEPS. Neque vero ſolius belli & pacis res agitur in hoc libello, ſed quoque fundamenta pietatis & amoris in DEUM, PRINCIPEM, Rempublicam, Patriam, pacificam adverſus omnes ſocietatem, ſeipſum, fundamenta TIBI chariſſima, fundamenta virtutum, quas gloria Tua feliciſſime ſuperas, monſtrantur. Tuam quippe in DEUM pietatem, cujus inſignis Tuus in ejus Eccle-

ſiam ac Academiam favor incorruptus atque integer, locupletisſimus & certisſimus teſtis eſt, comitantur cæteræ virtutes principales, paternus populorum amor, exquiſita prudentia, juſtitia, generoſitas animi ineffabili comitate mixta, temperantia, magnificentia, clementia, ob quas omnes humano faſtigio videris auguſtior. Hæc vere effecerunt, ut TIBI PIISSIMO AC JUSTISSIMO PRINCIPI hoc qualecunque opusculum conſecraverim eo ipſo tem-

tempore, quo montes, agri, ſylvæ, flumina quaſi ſenſu prædita TIBI favent, terraque ipſa lætari videtur, & urbes ſuis quodammodo avulſæ ſedibus TIBI imperium capeſſenti, gerenti, lætisſimis vocibus acclamant: Salve PRINCEPS FELICIOR AUGUSTO, MELIOR TRAJANO! Nullus dubito, quin pro Tua ſingulari clementia exiguum per se opusculum & cujus obſcuritas a TE ſplendorem deſiderat exilisque jejunitas ornatum præſtolatur, propitio

vultu

vultu aſpecturus ſis, qui in tanto honoris gloriæque culmine mira omnes benevolentia complecteris, ſicque efficietur, ut libellus Academicæ Juventuti, quæ tota Tuo aſſurgit CELSISSIMO NOMINI, gratus futurus ſit, ſi eum accipiat clementiſſima manu Is, ex cujus actionibus longe melius quam ex præclariſſimis de jure belli ac pacis libris officiorum moralium regulæ quotidie petuntur. Ad quotidianas igitur preces meas me recipio: DEUS PACIS,

DEUS

DEUS PIETATIS AC AMORIS, DEUS JUSTITIÆ, PRINCEPS PACIFICE, PRINCEPS PIETATIS AMANS, PRINCEPS JUSTE, TE Eccleſiæ, Rebuspublicis, Academiæ nobis denique omnibus incolumem quam diutiſſime ſervet! DEUS TIBI eruditarum artium aſylo totiusque humani generis delicio vitam prolixam, proſperos principalium cogitationum eventus, imperium glorioſum & quæcunque magni Principis ac devotisſimorum ſub-

ſubditorum vota ſunt, concedat clementisſime. Annuat DEUS, pacemque Tuo imperio apprime ſalutarem totique Germaniæ deſideratisſimam inſtauret!

TUÆ CELSITUDINIS

Dabam ſe museo ipſis KALENDIS MARTIIS.

ſubjectiſſimus ſervus

Valentinus Velthem.

Bene-

Benevolo Lectori
S. & O.

EX quo ſingulari SUPREMI NUMINIS *nutu* SERENISSIMI *atque* CELSISSIMI PRINCIPES, NUTRITORES *hujus inclytæ Academiæ* MUNIFICENTISSIMI, *antegreſſa & Senatus Academici & Facultatis Philoſophicæ benevola commendatione, meam tenuitatem ad capeſſendum publici Moralium Profeſſoris munus clementiſſime evocarunt, poſt quotidianas pias preces pro* PRINCIPUM AC DOMINO-

b RUM

RUM MEORUM CLEMENTIS-
SIMORUM *tranquillo regi-
mine & perpetua felicitate
nihil magis in ardentiſſimis
votis mihi fuit & adhuc eſt,
quam Academicæ Juven-
tuti pro virili prodeſſe ſpar-
tamque demandatam,* DEO
propitio, ſic exornare, ut a
CLEMENTISSIMIS PRINCI-
PIBUS AC DOMINIS MEIS
*nihil humillimi obſequii, a
ſuaviſſimis vero Commilito-
nibus, quibus Moralia & Po-
litica ſtudia curæ cordique
ſunt, nihil amoris, indu-
ſtriæ, officii, unquam in me
deſideraretur. Voluntatem
meam,*

*neam, non facultatem, ſal-
vo ſub pectore teſte, innuo.
Et ſane* Deo *grates reddo
maximas, qui maximi a me
æſtimandum Dnn. Audito-
rum numerum ac favorem,
& quando indignus ego ad
publicum officium divinis
auſpiciis acceſſi, ilico conci-
liavit, & in huncusque diem
conſervavit clementiſſime.
Hìc plane eximius Nobilis-
ſimorum ac Politiſſimorum
Dominorum Studioſorum
affectus erga me meamque
profeſſionem, ut hactenus a
me privatim, ita nunc publi-
ce deprædicatur, eumque*

b 2 *meis*

meis laboribus, doctrinis, ſtudiis demereri ac fovere conabor, quamdiu ſpiritus hos reget artus. Præcipuæ quippe felicitatis meæ Academicæ partes erunt, indies majori majorique cura publicis privatisque prælectionibus meis adhibita, & erga Superiores & Academicam Juventutem animum ad obſequia gratitudinis & publicæ ſollicitudinis devotiſſimum quavis data occaſione teſtari, nec unquam ex oculis animoque meo aureum illud: DIC CUR HIC *elabi patiar.*

Inter

Inter plures vero ac concatenatos privatarum Scholarum labores neſcio quo fato evenerit, ut prælectiones in Hugonis Grotii tres libros de jure belli & pacis & deſiderata Nobiliſſimorum Dnn. Auditorum frequentia inſtituerim, & divina adjutus gratia intra triennium ſexies feliciter abſolverim, per quas curas interdiu Dnn. Studioſis dicatas otioſo mihi eſſe minime licuit, feci tamen, ut nocte concubia aliquid temporis ſomno ſurrepti & diſſertationibus nonnullis & hisce

 me-

meditationibus impenderim. *Accipe igitur*, Benevole Lector, *ſereno vultu hanc introductionem (quam honoratiſſimorum Dnn. Auditorum meorum æſtimatiſſima benevolentia in me totque amiciſſima poſtulata pepererunt) ea fini publicis typis excuſam, ut inſerviret iis, quibus ſine primis Philoſophiæ rudimentis ac incipientium conatui neceſſariis ſubſidiis & adeo illotis, quod ajunt, manibus ad Philoſophiæ Grotianæ ſacraria accedere volentibus multa pernicioſo*

aut

aut infelici obſtaculo eſſe poterant. Nullus dubito, quin præmiſſa in privatis Collegiis introductione, ad magis ardua, ſcitu neceſſaria, apprime utilia dogmata viam impoſterum felicius paraturus ſim. Ipſum Grotianum opus hic laudare ſupervacanei laboris duxi. Præſtiterunt id quivis laudatiſſimi Viri, & inter eos abunde ſatis Magnus Bœclerus *in* duplici ad ſuam in Grotianum opus commentationem præfatione *omnino lectu digniſſima, quarum alteram hoc egre-*

gio

gio obſignat encomio: Qui ſemel, *ait*, GROTIUM in IPSO GROTIO agnoverit, in ſinu gaudebit & gratulabitur ſibi de arcano & habili inſtrumento ac portatili bibliotheca; maximis quibusque rebus conficiendis opportuna. *Cæterum optime vale B. L. & laborem qualemcunque meum æqui bonique conſule.*

Quod

QUOD DEUS BENE VERTAT!

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Quo

FONTES JURIS MONSTRANTUR,

Ubi ſimul agitur

De

Bello, Juſtitia, Jure, Obligatione, Differentiis ac Mutationibus Legum, Permiſſionibus.

§. 1.

BELLUM poteſt dupliciter ſumi : 1. pro *actu.* 2. Pro *ſtatu.* De BELLO.

[*Hugo Grotius l. 1. c. 1. §. 2. n. 1.*]

§. 2. Priori modo notat actionem bellicam & recte definitur à *Cicerone 1. de Officiis*, quod ſit *certatio per vim.* *Quid bellum pro actu ſumtum?*

[*Grotius §. 2. n. 1.*]

Quid bellum pro ſtatu acceptum?

§. 3. Poſteriori modo eſt *ſtatus per vim certantium quà tales ſunt*: e. gr. in Germania bellum dicitur triginta annos duraſſe, der dreyſſig Jährige Krieg.

[*Grotius* §. 2. n. 1.]

NOTÆ.

I. Uſus loquendi vix obtinet, ut certatio per vim nomine belli cenſeatur: Audita enim voce bellum, nemo facile actum, h. e. certationem per vim, ſed potius ſtatum per vim certantium concipit.

II. Bellum pro actu acceptum nunc *prælium*, pugna, conflictus, nunc lucta, colluctatio &c. vocatur.

III. Bellum eſt ex numero communium πρὸς ἕν, ceu *Ariſtoteli* dicuntur, & eorum quidem, quæ propius accedunt ad univoca, *Dn. D. Bechmannus*, *Inſtitut. Logic. l. 1. c. 4. §. 30. & ſeqq.* Horum indoles non fert accuratam definitionem, (quia illud cum aliis communibus πρὸς ἕν commune habent, omnibus quippe eſſentiale ac perpetuum eſt definiri non poſſe) admittit vero communem deſcriptionem ſeu quaſi σκιαγραφίαν, quæ quid res ſit docet imperfectiori tamen modo, æque ac in tabulis

bulis, quæ fiunt umbræ, quid imago ipſa repræſentet, oſtendunt, non autem perfecte ſicuti pictura. Vidd. *Ariſtoteles I. Poſter. Analyt. c.5. II. de anima c.3. text.30. III. Ethic. c.12. VIII. Ethic. c.3. I. Evdem. c.8. I. Magnor. Moral. c.4. III. Politic. c.1.* & quæ hunc ultimum in locum commentati ſunt, *Michaël Piccartus* & *Obertus Giphanius*. Extant hanc in rem plane eximiæ *diſſertationes* duæ: Una *Philippi Scherbii de ratione docendi communia* περὶ ἓν. Altera *D. Heinrici Hopffneri de communibus* περὶ ἓν, quæ *ejus Logicæ Ariſtotelicæ doctr. de antepradicamentis* annexa eſt. Conf. *Dn. Herm. Conringius* inſigni *lib. de civili prudentia c. 2. & 5.*

IV. Notio *ſtatus* Philoſophiæ Theoreticæ debet natales: Ibi enim diſtinguitur inter *actum* & *ſtatum*: Illum *Scholæ Dd.* dicunt traductionem rei ad certum terminum: Hunc definiunt, quod ſit permanentia rei in eo termino, ad quem a cauſa efficiente traducta eſt: e.gr. calefactio eſt actus, quo ignis aquam traducit ad calorem, eſt enim calor terminus calefactionis: Quamdiu igitur aqua, etiam ceſſante calefactione, manet calida, tamdiu ſtatus aquæ, qui nempe opponebatur calefactioni, durare dicitur, ſique viciſſim frigefiat aqua, priſtinus aquæ ſtatus redit.

V. Factum eſt, ut ob nimiam ſuam communitatem notio *ſtatus* ex *Philoſophia Theoretica* originem trahens translata fuerit ad *Morales* ac *Politicas*, ut & quovis *Jure Conſultorum Scholas*: e. gr. actus ſunt furtum, adulterium &c. his vero is, qui talismodi actus patrat, in talem ſe conjicit ſtatum, ut ei, licet non committat amplius, quod omittere tenebatur, delictum jure meritoque imputetur: Nam licet quis furtum, adulterium, patrare deſierit, id propter non ſtatim ſtatus furis, adulteri, ceſſat. Sicut igitur in *Phyſicis* aliud eſt calefactio aquæ, aliud ſtatus aquæ poſt calefactionem durans: Ita in *Moralibus* aliud eſt furtum, adulterium, aliud ſtatus furis, adulteri, etiam ceſſante furto, adulterio, permanens. Aquæ ob calefactionem calor inhæret, quamdiu ſtatus aquæ calidæ manet: Homini ob furtum, adulterium, culpa adhæret, quamdiu eſt in ſtatu furis, adulteri. Sicuti vero priſtinus aquæ ſtadus redit, ſi ea viciſſim frigeſiat: Ita homo in ſtatu furis, adulteri, conſtitutus priſtino ſtatui redditur, præſtita ſatisfactione. Uti frigefactione aqua calida; ita ſatisfactione homo fur, adulter, eſſe deſinit. Sic contractus e. gr. emptionis venditionis, locationis conductionis &c. ſemel initus non expirat peracto actu, ſed eos, qui contrahebant: emptorem venditorem, loca-

locatorem conductorem, ſub contractus ſtatu quaſi conſtrictos detinet. In *Politicis* quælibet ſocietas dicit ſtatum perſonarum ordinem imperandi parendique inter ſe ſervantium. Exempli cauſſa: Conſenſus maris & fœminæ verbis de præſenti: Duco te in meam uxorem, &, nubo tibi meo marito, expreſſus eſt actus, quo conjiciunt ſe mas & fœmina in ſtatum conjugii, ut quamvis actus ille, nempe conſenſus, ceſſet, dum maritus ollas & uxor urceos frangit, adhuc iſte ſtatus permaneat. *Jure civili Conſultis* ipſius Juris appellatione quandoque *ſtatus* (juris) aperte ſignificatur. Quemadmodum enim loquendi uſus fert, ut quod a natura profectum eſt, illud idem naturam appellemus, ſicque rei cujuſpiam conditionem & ſtatum a natura inductum ipſius rei naturam dicimus: Ita non modo lex civilis, quæ de certa re diſponit, jus dicitur, ſed etiam ipſe ſtatus rei, de qua diſponitur, qui nempe ſtatus lege civili introducebatur, jus appellatur, non ſecus ac ſtatus ille natura introductus, natura nuncupari ſolet. Etenim quod fundus fertilis ſit, quod umbroſus vel apricus, naturalis ſtatus eſt: Quod vero datus in dotem fuerit, hoc eſt, oneribus matrimonii deſtinatus, quod alienari non poſſit, quod denique poſt ſolutum matrimonium certo tempore ſit reſtituendus, hic eſt ſta-

tus juris & altera quaſi natura, quæ illi fundo, non quidem uti fundo, ſed uti fundo dotali a jure data fuit. Et hoc totum quicquid eſt appellatur jus, unde etiam actio, quæ ex ea cauſa competit, talem juris quaſi naturam aſſumit, ceu demonſtrat *Ulpianus l. ſi unus 27. §. pactus ne peteret 2. D. de pactis*, quando poſt alia, *ſi non ut totum*, inquit, *contractum tolleret, pactum conventum interceſſit, ſed ut imminueret: Poſterius pactum poteſt renovare primum contractum. Quod & in ſpecie dotis actionis procedere poteſt, puta pactam mulierem, ut præſenti die dos redderetur; deinde paciſci, ut tempore ei legibus dato dos reddatur: Incipiet dos redire ad* JUS SUUM, *nec dicendum eſt deteriorem conditionem dotis fieri per pactum. Quotiens enim ad* JUS, *quod lex* NATURÆ EJUS *tribuit, de dote actio redit: Non fit cauſa dotis deterior, ſed formæ ſuæ redditur. Hæc & Scævolæ noſtro placuerunt.* Hinc toties apud *Ciceronem*, & alios legimus: *Optimo jure eſſe, optimo jure haberi*, hoc eſt, optimo juris ſtatu. Hæc bonam partem debemus *Alberto Bologneto Bononienſi*, qui *de lege, jure & æquitate cap. 15. §. 16. & ſeqq.* hanc rem pluribus legibus & exemplis deducit, poſtquam in præcedentibus monuerat, hanc ſignificationem adeo frequentem & apertam eſſe, ut *Juriſconſultis* eam notare mini-

minime fuerit neceſſe; tanto magis, quia ita convenit cum ſignificatione illa communi, qua jus ſignificat legis præceptum & diſpoſitionem, ut vix unam ab altera ſejungere poſſis. *p. m. 326.*

VI. Pari igitur ratione bellum notat ſtatum perſonarum inter ſe certantium, quem ſtatum *Thomas Hobbes* ſic declarat: *Conſiſtit*, inquit, *natura belli non in pugna, ſed in tractu aliquo temporis, quo durante voluntas armis decertandi eſt manifeſta. Itaque in natura belli, ſicut in natura tempeſtatum conſiderandum eſt tempus. Nam ut unus imber non denominat tempeſtatem humidam, ita neque pugna qualibet denominat bellum. Tempus autem bello vacuum, pax eſt.* Hæc habet in *Leviathan c. 13. §. manifeſtum igitur p. m. 64.* Occaſione hujus Hobbianæ doctrinæ dicimus potius, quod bellum pro ſtatu ſumtum ſit ſtatus, quo voluntas per vim decertandi manifeſto durat.

VII. Sano ſenſu quandoque prælium dicitur pars belli. Ita *Nonius Marcellus*: *Bellum & prælium hoc differunt, quod prælia partes ſint belli*, i. e. in bello congreſſiones. Inde fit, ut ſæpenumero conjunctio & ſimul ceſſatio actionum bellicarum, dummodo non ſit pax, belli voce indicetur.

VIII. Bellum quoque prius eſſe poteſt prælio, cum indicitur, cum machinæ admoventur portubus aut mœnibus, etiam ſi nondum pugnæ initium fiat. Vidd. *Philonis* & *Servii* teſtimonia apud *Grotium annotat. ad* §. 2.

IX. *Hugo Grotius* definitioni belli: *Eſt ſtatus per vim certantium*, ſcitè adjecit: *qua tales ſunt*. Ita e. gr. majeſtas regum per vim certantium eſt ſane, ſi majeſtatem pro ſtatu ſumas, ſtatus per vim certantium, non tamen qua tales ſunt, aut quatenus inter illos pax non eſt, ſed qua Reges ſunt.

De JURE. *Triplex acceptio Juris.*

§. 4. *JUS* tripliciter accipitur, nempe ut *tribuitur 1. actioni. 2. Perſonæ. 3. Judicio practico intellectus aut propoſitioni practicæ.*

[*Grotius* §. 3. 4. & 9.]

NOTÆ.

I. Tres haſce ſignificationes tanquam inſigniores ac in moralibus frequentiores *Moraliſtæ* commendant. Vid. *Ludovicus Molina de Juſt. & Jure tom. 1.* integra *diſputatione ſecunda*, quæ agit *de variis juris acceptionibus*. Eandem ob cauſam *Grotius* eaſdem recenſuit *loco citato*.

II. Hiſce tribus ſignificationibus accenſeri poterat ea, cujus *§. 3. not. 5.* mentionem fecimus.

III. Plures juris ſignificationes exhibent *l. 11. & 12. D. de juſt. & jure, Briſſonius lib. 9. de verb. ſignif. verb. Jus, Petrus de Aragon in 2. 2. de juſt. & jur. quæſt. 57. explicatione articuli primi, Franciſcus Suarez tract. de legibus lib. 1. cap. 2. Ludovicus Molina loc. cit.* Nec ingrata fuerit inſpectio eximii *ſcripti de lege, jure & æquitate* ſuperiori ſeculo Witebergæ editi, cujus autor eſt *Albertus Bolognetus*, qui itidem integro *capite decimo quinto* potiſſimas aliasque ſignificationes juris ſolicite expendit *p. m. 316. & ſeqq.* Idem poſtquam recitaverat varias juris ſignificationes ab ipſis *JCtis: Paulo, Ulpiano & Martiano* animadverſas, addit longe majorem earum numerum eſſe, quas *Juris Civilis Interpretes* ſucceſſu temporis addiderunt, e quibus nonnulli ſex & triginta, quarum pleræque prorſus ridendæ ſint, recenſeant, id quaſi palmarium exiſtimantes, ubique quamplurimas vocis ſignificationes attuliſſe. Vid. *§. 8. & 13. p. m. 320. & 324.*

§. 5. *Jus, ut tribuitur actioni,* idem ſignificat, quod *actio juſta. Eſt* autem *actio juſta* nihil aliud, quam *actio lege non prohibita:* e. gr. jus eſt, quando *Notio juris ut actioni tribuitur.*

quis geſtat gladium, cui geſtatio gladii nullatenus eſt prohibita. Ita, quando civis originarius, indicto prius abitu, alio migrat, dummodo id civitati nullum periculum vel damnum creet aut minetur, abitus jus eſt. Multo magis iſte abitus jus eſt, ubi civitas edocta de abitu ſui membri fortunas ei exportari permiſerit, nam tum tacitus civitatis conſenſus præſumitur. De civis adoptati (cum iſte tam arcto vinculo non teneatur) abitu, quin juris nomine cenſeri queat, nemo facile dubitat.

[*Grotius* §. 3. *n*. 1.]

NOTÆ.

I. Hancce primam ſignificationem *Grotius Florentini JCti l. ut vim D. de juſt. & jure, Ciceronis de officiis II. Senecæ de ira lib. 2. c. 32.* auctoritatibus egregie confirmat, qui citato §. 3. videatur. Sic *Auguſtinus in Pſalm. 145.* circa finem, *jus*, inquit, *& injuria contraria ſunt: Jus enim eſt, quod juſtum eſt.* Et *lib. 19. de Civit. DEI cap. 21.* tanquam principium Philoſophorum ſumit, *quod illud jus eſſe dicant, quod de juſtitiæ fonte manavit.*

II. *Actio*

II. *Actio* hoc loco ſumitur non in rigore phyſico, ſed in laxiori ſignificatu, nec ſolum veram & realem actionem, ſed ejuſdem etiam omiſſionem arguit. Conf. *Johannes Azorius Lorcitanus* magni *Inſtitutionum moralium* operis *part. 1. lib. 4. c. 1. p. m. 236.*

III. Amplius notandum, per actionem hoc loco intelligi *actionem liberam*, quæ, ut *Grotius l. 2. c. 4. §. 3.* loquitur, ab animo pendet, id eſt, quæ à libero ejus, cujus actio dicitur, arbitrio procedit, notione libertatis ſumta in oppoſitione ad neceſſitatem, de quibus mox pluribus agetur.

IV. Quando actio juſta dicitur jus, in duplici ſenſu *juſtum* ſumi poteſt: *1. in ſenſu affirmante*, & ſic juſtum idem eſt, quod jure, id eſt, lege præceptum, e. gr. jus eſt (h. e. juſta actio) colere DEUM, honorare parentes &c. Has enim actiones lex naturæ præcipit. Huc ſpectant omnes omnino & ſingulæ actiones, de quibus jura naturalis commiſſionis, vulgo jura naturæ affirmativa dicta, diſponunt. *2. In ſenſu negante*, & tunc juſtum idem notat, quod jure, hoc eſt, lege non prohibitum.

V. *Jus* in ſenſu negante, ſeu, quod idem eſt, lege non prohibitum, rurſus dupliciter ſumitur: 1. *abſolute*, non attendendo, ſive ſit lege præceptum, ſive minime:

Sic

Sic inter jura in ſenſu negante ſunt: pietas erga DEUM, honor erga parentes, ſtare promiſſo, reddere mutuum &c. 2. *excluſive*, ut *Scholæ Doctores* loqui amant, prout ſcil. excludit id, quod lege præceptum eſt: Exempla ſuperius tradita ſunt §. 5. Hoc igitur poſteriori ſenſu colere DEUM, honorare parentes, ſtare promiſſo, reddere mutuum, non ſunt jura.

VI. Uſus loquendi facilius admittit acceptionem juris in ſenſu negante excluſive, quam abſolute ſumti: *Iſte vero ſolus in his omnibus ſpectandus eſt, qui hac in re prorſus dominatur: Unde perſæpe fit, ut fruſtra inquiratur ratio, cur hoc potius quam illo modo aliquid dicatur: Ut ſi quæras rationem, cur quamvis lex & jus ſæpenumero ſimul confundantur §. ſed jus quidem civile Inſt. de jur. nat. gent. & civil. tamen nunquam legamus, ipſa lege aliquid fieri, ſicut ipſo jure fieri frequenter dicimus, cum à ſola lege nullo alterius facto vel adjumento accedente, aliquid fieri ſignificamus l. ſi tibi §. quædam D. de pact. & §. 1. cum multis Inſt. de hær. qual. ac diff.* ceu dextre judicat *Albertus Bolognetus c. 15. §. 19. p. m. 329.*

VII. *Moraliſtæ* jus in ſenſu negante excluſive ſumtum appellant *licitum*, jus vero in ſenſu affirmante *debitum* vocant: Hinc rurſus diſtinguunt inter *debitum laxi juris* & *debitum ſtricti juris*. Laxi juris debitum

bitum rurſus accipiunt vel abſolute, & ſic quoque debitum ſtricti juris eo ſpectat: vel excluſive, qua ratione debitum ſtricti juris excluditur. Si ſecutus ipſos abſolute ſumas debitum laxi juris, idem erit, quod debitum virtutis perfectæ ſeu juſtitiæ univerſalis, cujus quia juſtitia particularis pars eſt, recte debito laxi juris includetur: Sin autem excluſive capias, huc ſpectabunt omnium virtutum debita, excluſis juſtitiæ particularis debitis. Ipſe *Grotius l. 1. c. 1. §. 10. n. 1.* id, quod laxi juris debitum eſt, laxius juſtum, item uno nomine rectum dicit, ſtricti vero juris debitum ſimpliciter jus nuncupat. Plura de his in ſeqq.

VIII. *Jus*, ut §. 5. accipiebatur, *fas*, ejusque oppoſitum *nefas* dicitur. Add. *l. 3. D. de juſt. & jure.*

IX. Sicut autem leges variant, ita varia eſt ſignificatio juris, ut actioni tribuitur: Ita e. gr. geſtationem gladii §. 5. diximus jus in ſenſu negante, quia lege naturæ geſtatio gladii non eſt prohibita: Interim ſi lege civili geſtatio gladii eſſet alicui prohibita, ex parte iſtius ſubditi non eſſet jus: Quippe ex accidenti fieret, ut ſubditus gladium geſtando ageret contra jus naturæ, quod Regi ἀδιάφορόν ἐστι, quale quid eſt geſtare gladium, prohibenti obſequium præſtare præcipit. Sic eodem §. 5. abitum civis cum originarii, tum adoptati,

jus

jus vocavimus in ſenſu negante, unice reſpicientes ad naturæ & gentium leges, ſeclusis legibus poſitivis. Sane abitus civium Romanorum olim non erat jus, ſed injuſtus abitus, ſi rem examinemus ad Romanæ Reipublicæ LL. quibus cives injuſſu Principis Italia excedere prohibebantur.

X. Uti tamen primario lex eſt naturæ lex, ſecundario lex poſitiva: Ita primario & ſimpliciter jus dixeris actionem nulla naturæ lege prohibitam, de quibus infra.

Juris pro actione ſumti diſtinctio.

§. 6. Jus, ut tribuitur actioni, aliud conſideratur ſine reſpectu ad ſocietatem humanam, aliud habito ſocietatis humanæ reſpectu: Ad illud ſpectant actiones, quas licite homo exercet adverſus ſe, adverſus animum & corpus ſuum. Exempli cauſſa: Si quis circulo ferreo ita conſtrictam haberet manum, ut niſi illam abſcinderet, cremandus igne eſſet, quo domus ardere cœpit, ut iſte vitam conſervaret, aut majorem læſionem vitaret, quam eſſet abſciſſio manus, abſciſſio manus eſſet jus: Sic ad mortem evadendam poſſet etiam exilire de feneſtra cum periculo vitæ, ſi ſpes evadendi ſupereſſet, & ſic ſaltus, ut certiſſimam mortem

tem evitaret, eſſet jus. Ita ſi pedem infectum ſibi chirurgus abſcindat ſciens immedicabile vulnus enſe recidendum eſſe, ne pars ſincera trahatur, abſciſſio illa eſt jus.

NOTÆ.

I. Hujuſmodi jura in conſiderationem venient, quando morales terminos dominii in ſeipſum a naturæ jure poſitos examinaturi ſumus. Interim placuit hæc exempla ex *Ludovico Molina*, *Dominico a Soto*, *Leonardo Leſſio*, *Joanne Azorio* petere.

II. Diximus ſine reſpectu ad ſocietatem humanam: Nam dantur quoque jura pro actionibus in ſenſu negante ſumta in ordine ad DEUM: Ita e. gr. jus eſt abſtinere quandoque ab externo DEI cultu: *Ita* enim *debet eſſe comparatus externus DEI cultus, ut nec deſimus noſtris neceſſariis, quibus hæc vita indiget, nec præſtandis proximo commodis, quemadmodum male certe olim audierunt Maſſaliani quidam, Euchetæ alias dicti, qui aſſiduis & ſine intermiſſione fuſis precibus ac jejuniis corpus macerabant, abjecta rerum civilium & neceſſariarum omnium cura: Quale hominum genus magno numero monaſtica ignaviæ latibula hodieque celant. Dn. Dürrius Inſtitut. Moral. part. 3. ſect. 1. c. 7. §. 8. p. 140.*

§. 7. Jus

§. 7. *Jus* pro actione ſumtum reſpectu ad ſocietatem humanam habito rurſus eſt(a) *vel rectorium, vel æquatorium: Rectorium jus eſt ejus, qui regit & qui regitur, qua tales ſunt, ut: patris & liberorum, domini & ſervi, regis & ſubditi. Æquatorium jus eſt ex æquo inter ſe viventium qua talium, ut: fratrum, civium, amicorum, fœderatorum.* E. gr. Princeps fert legem ſubdito, hic actus eſt jus rectorium. Contra dividunt fratres inter ſe paternam hæreditatem, ut tantum unus, quantum alter, de bonis patriis participent, hæc diviſio eſt jus æquatorium.

Juris pro actione ſumti alia diſtinctio. Jus Rectorii quid? Jus æquatorium quid?

[*Grotius* §.3. *n.* 2.]

NOTÆ.

I. Fundamentum hujus diviſionis petitur a ſocietatis diviſione: Nam ſocietas alia eſt inæqualis, alia ſine inæqualitate, id quod pluribus *l.* 2. *c.* 5. docebitur.

II. Jura rectoria alia ſunt activa, eorum, qui regunt: alia paſſiva, eorum, qui reguntur, de quibus *eodem loco.*

§. 8. Jus pro actione ſumtum reſpectu ad ſocietatem humanam habito

bito (β) vel tale eſt in ſtatu naturali, vel tale in ſtatu legali. In ſtatu naturali jus eſt, quod ſimpliciter & abſolute omnique modo juſtum, hoc eſt, juri naturali nullatenus contrarium eſt. In ſtatu legali jus eſt, quod ex parte aut ex hypotheſi juſtum, hoc eſt, juri naturali non contrarium eſt: Ita e. gr. quando præſes collegii aut concilii id, quod major pars concluſit, exequitur, hæc ſane executio ſententiæ a majori parte latæ jus eſt, hoc eſt, juſta, ſed in ſtatu legali. Ibi enim numerare vota eſt jus: ſed in ſtatu naturali jus eſſet vota ponderare, non vero numerare. Quippe ſi ex æquitate naturali ſimpliciter ac abſolute ſpectata hunc actum dijudices, æquiſſimum ſane & juſtiſſimum eſt, ut vir ſat prudens collegio aut concilio præſit, &,quia multitudo imprudentium imprudentiæ patrocinium nequaquam parit, rem ex prudentia membrorum, non multitudine dijudicet. Quandoquidem ergo æquiorem ſententiam exequi nequit, ſi ſaltim numeret vota, non item attendat, utrum ex pru-

dentia, an imprudentia lata ſint, ſim-
pliciter loquendo jus non eſt, quod
pluribus viſum, exequi, omniaque
agere ſecundum eam ſententiam,
quæ vincit. At quia præſtat adeſſe ra-
tionem expediendi negotia & omni-
no ea credenda eſt fuiſſe voluntas in
collegium aut concilium coëuntium
ut ſententiæ executioni dari, ac nego-
tia, quorum gratia collegium aut
concilium initum eſt, componi poſ-
ſent, præterea quisque præſumitur
ob prudentiam in collegium aut ſe-
natum veniſſe, & vero nullus diſſi-
diorum finis perſæpe futurus eſſet,
nulla ratio feliciter conficiendi nego-
tia, ſi alterius prudentiam alter in du-
bium vocaret, aliique aliis impruden-
tiam objicerent, ideo ratione ſtatus
legalis, in quo hodie collegia omnia-
que concilia ſunt, jus eſt, quando præ-
ſes eo, quod major pars decrevit, ſtat:
jus quoque eſt, quando

- - - - infirma minoris
vox cedit numeri parvaque in
parte quieſcit.

No-

NOTÆ.

I. Inſignis,nec minus neceſſaria,quam utilis videtur eſſe hæc diſtinctio, imo digniſſima, quæ memoriæ cujusvis *Moralium* cultoris futurique Doctoris, imo unius cujusque, quem ſpes pulcherrima fovet poſſe etiam aliquando Rempublicam in partibus ejus ſibi credendis benè gubernari, recte imprimatur. Et ſane ſolus, quod ſciam, *Dn. Jacobus Thomaſius, Lipſiæ decus*, eam & accurate, ac uti alia ſolet, perſpicue expoſuit,ac plane egregium uſum ſimulque ampliſſimum monſtravit *Tab.* XXXIII. *Philoſophiæ* ſuæ *Practicæ*, ubi videatur. Apprime digna eſſent ibi ſingula, quæ huc tranſcriberentur, niſi eſſent in omnium manibus. Add. *Ejus diſſertatio politica de ſocietatis civilis ſtatu naturali ac legali* non ita pridem auctius edita.

II. Fundamentum, cui eandem diſtinctionem laudatiſſimus vir ſuperſtruit, exprimit hac regula: *Evitandi finiendive diſſidii cauſſa multa jure naturæ* (ad hanc legalitatem contracto) *ſive ſanciuntur, ſive approbantur ut juſta, quæ juxta naturalem ſtatum forent injuſta*. Ad idem fundamentum nullum dubium eſt quin reſpexerint *Paulus Juriſconſultus L. poſtliminium eſt jus 9. D. de captivis & de poſtliminio*, quando eundem actum alio ſenſu *jus*, & alio ſenſu

injuriam nominat: Jus, ex hypotheſi & quoad effectus quosdam: Injuriam, ſi id, quod rei intrinſecum eſt, ſpectetur. *Cicero III. Officiorum* dum ſic philoſophatur: *M. Marius Gratidianus, propinqvus noſter C. Sergio Oratæ vendiderat ædeis eas, quas ab eodem ipſe paucis ante annis emerat. Hæ Sergio ſerviebant. Sed hoc in mancipio Marius non dixerat. Adducta res in judicium eſt. Oratam Craſſus, Gratidianum defendebat Antonius. Jus Craſſus urgebat: Quod vitium venditor non dixiſſet ſciens, id oportere præſtari. Æquitatem Antonius: Quoniam id vitium ignotum Sergio non fuiſſet, qui illas ædeis vendidiſſet, nihil fuiſſe neceſſe dici, nec eum eſſe deceptum, qui id, quod emerat, quo jure eſſet, teneret.* Mox de ſuo addit: *Quorſum hæc? ut illud intelligas, non placuiſſe majoribus noſtris aſtus. Sed,* pergit, *aliter leges,* (quod *Dn. Thomaſius* ſcite ſic explicat: *In praxi juxta ſtatum legalem) aliter Philoſophi* (ut iſte vir ingenioſe interpretatur: *In theoria juxta ſtatum naturalem) tollunt aſtutias. Leges, quatenus manu tenere res poſſunt: Philoſophi, quatenus ratione & intelligentia. Grotius l.3. c.7. § 6. n. 4. non temere* ait *in lege, quæ non ex æquitate naturali, ſed majoris mali vitandi cauſa lata eſt, ea ſumenda eſt interpretatio, quæ peccato obnoxium faciat actum cæteroqui licitum.* Et *lib. 2. c. 12. §. 12. n. 2. leges poſitivæ mini-*

minima non perſeqvuntur, imo & occurrendum cenſent multitudini litium. Hi vero, qui civilibus legibus ſubjecti non ſunt, id ſequi debent, quod æquum eſſe ipſis ratio recta dictat: Imo & illi, qui legibus ſubjecti ſunt, quoties de eo, quod fas eſt, agitur, ſi modo leges non jus dant, aut tollunt, ſed juri duntaxat ob certas cauſſas auxilium ſuum denegant. Eo ſpectat illud: *Præſtat habere aliquam ſocietatem, quam nullam: aliquem ordinem, quam nullum.*

III. Nonnulli *Politici* elegantibus ſimilitudinibus jus in ſtatu legali declarant: Uti currus non ſemper motu recto, ſed inflexione aliqua nonnullarum partium in orbitam aliquando agendus eſt; navis oneraria in tempeſtuoſo mari non ſemper velis iisdem, aut curſu recto, ſed ſæpe obliquo mutatisque velis & inclinatione indiget; Arbuſculæ incurveſcentes in juſtam proceritatem non excreſcunt, niſi in oppoſitam partem quandoque inflectantur; Jaculatores ut ſcopum feriant, limis oculis pro conditione arcus aut tormenti diſpoſitione, nunc infra lineam, nunc ſupra eam tendunt, modo collineent; Nauclerus navi fracta ſalutem cymba quærit aut aſſere, modo ſervet animas: Ita qui ſocietatibus regendo præſunt, multa permittere & connivere, ſæpe curvum etiam recto admixtum, injuriamque juri ſociam

ferre tenentur, ſi hanc vel illam ſocietatem conſervatam velint, & eam aliqua ex parte, quam nullam plane ſocietatem & pernitioſa potius ac perpetua diſſidia habere malint.

IV. Huc ſane tendunt *Politicorum* curæ, ut quando ordo talis haberi nequit, qualem optant, interim eum, qui habetur, ſervent.

V. Facile igitur liquet, jus in ſtatu legali fundari in ipſius ſocietatis, ubi exercebatur, ſtatu. Et hæc cauſſa fuit, ob quam hoc §. hanc diſtinctionem laudavimus.

VI. Interim non videntur ſcopum ac veritatem hujus diſtinctionis aſſequi potuiſſe, qui ſtatum ſocietatis naturalem à legali eo ipſo diſcernunt, quod hic ejus ſaltim, qui regit, iſte eorum, qui reguntur, commodum pro fine habeat. Quem errorem ſequenti *cap. 3.* exactius notabimus. Quid? quod eadem fata hanc diſtinctionem maneant, quam ſæpius experitur diſtinctio ejus, quod late aut ſtricte accipi dicitur, dum nempe ſunt, qui putant ſufficere, ſi ſine omni ratione reſponſi loco dicatur, hoc vel illud juſtum eſſe, quia fiat in ſtatu legali, qui certe abuſus uſum egregium hujus diſtinctionis non tollit, quem pluribus exemplis illuſtrabimus in hujus noſtri laboris progreſſu.

§. 9. Jus

§. 9. Jus, ut tribuitur perſonæ, eſt *qualitas moralis perſonæ competens ad aliquid juſte habendum vel agendum*: e. gr. civis poteſt juſte petere aquam ex publico fonte, & hoc dicitur ſuum jus, quod ſcilicet aquam ex publico fonte juſte petere poſſit. Ita *licet venditori effundere vinum, ſi diem ad metiendum præſtituit, nec intra diem admenſum eſt, effundere autem non ſtatim poterit, priusquam teſtando denunciet emptori, ut aut tollat vinum, aut ſciat futurum, ut vinum effunderetur. Si tamen cum poſſet effundere, non effundit, laudandus eſt potius. Ea propter mercedem quoque doliorum poteſt exigere, ſed ita demum, ſi interfuit ejus inania eſſe vaſa, in quibus vinum fuit, veluti ſi locaturus ea fuiſſet, vel ſi neceſſe habuit alia conducere dolia.* Verba ſunt *L. ſi vinum venditum 1. §. licet autem 3. D. de periculo & commodo rei venditæ*, quibus *Ulpianus* duo egregia exempla juris, ut perſonæ tribuitur, nobis ſuggerit: In allato quippe caſu habet venditor jus effundendi *Jus, ut refertur ad perſonam quid?*

vinum, item jus mercedem doliorum exigendi ab emptore.

[*Grotius* §. 4.]

NOTÆ.

I. Dicitur a *Grotio* jus, ut perſonæ tribuitur, *qualitas*, qui terminus novus & *Scholis Peripateticis* plane incognitus videri poſſet, ut putares *Grotium* novitatis amantem fuiſſe, qua ſibi hodie placent, qui diſtingvunt inter entia phyſica & entia moralia, mundum phyſicum & mundum moralem, qualitates phyſicas & qualitates morales &c. Sed profecto non poſſum adduci, ut credam *Grotium* vel ullo pacto ſimilem videri voluiſſe iis, qui theſaurum ſingularis eruditionis in novis terminis quærunt, uſumque loquendi, qui tot jam ſeculis optimus dicendi magiſter habitus eſt, faſtidiunt veteremque Philoſophiam inſolenter contemnunt cum perpetuo innovandi pruritu. Contrarium & verbis teſtatus eſt, dum *lib. 2. c. 20.* Philoſopho apprime cavendum eſſe cenſet magnam partem ſuæ, quam affectat, Philoſophiæ circa voces conſumere, vitiumque omnibus, qui cum ratione & vere philoſophari volunt, omnino fugiendum cum *Ariſtotele* *I. Top. c. 24.* pronunciat in novis terminis ſolicite verſari velle, quos quo magis quis

amat,

amat, eo minus unquam perveniet ad ſolidam eruditionem, *Platone* ac *Galeno* ſic judicantibus, & re ipſa hanc novitatis ſuſpicionem a ſe amovit, ut inſpectio totius operis ſingulorumque capitum locuples teſtis eſſe poteſt.

II. Videtur ergo, ac ſi Grotius hac voce: *qualitas*, nihil aliud indicare voluerit, quam quod jus, uti perſonæ tribuitur, arguat in *Moralibus* certam perſonæ differentiam, ſicut ipſe *Ariſtoteles* differentiam expreſſe (ποιότητα) *qualitatem* vocat *lib. 5. Metaph. cap. 14. Quale*, inquit, *uno modo dicitur differentia τῆς ὀσίας. Exempli cauſſa, quale animal eſt homo? bipes. Quale equus? quadrupes. Qualis item figura circulus? angulorum expers. Quaſi differentia, quæ ad ὀσίαν ſpectat, qualitas ſit. Itaque hoc modo qualitas differentia τῆς ὀσίας dicitur.* Mox ſub finem *ejusdem capitis* hanc *qualitatis* appellationem ad *Moralia* ſingulari ſtudio applicat, ut ſic certe vix dubium ſit, quin *Grotius Ariſtotelem* hic habuerit feliciter præeuntem, cum citato loco *Philoſophus* differentias morales expreſſe *qualitates* vocet.

III. Perſona nunc unum hominem, nunc duos pluresve, quatenus (ſi ita loqui liceat cum Germanis) pro uno ſtant, denotat. Philoſophus perſonam poſteriori modo ſumtam vocaret perſonam per ag-

gregationem, *Jureconſulti* nuncupant, quaſi perſonam, in *Politicis* communitatem dici audias: e. gr. quod Titius creditor a Sempronio debitore ſuo ſolutionem debiti juſte exigere poſſit, hoc ipſo competit perſonæ Titii jus: Quod ſi tota Respublica ære alieno obſtringeretur alii Reipublicæ, ut ea juſte exſolutionem debiti requirere poſſet, hoc ſane jus Reipublicæ quaſi perſonæ competens dici poſſet, cum in tali caſu hæ duæ Respublicæ ſint quaſi duæ perſonæ: Una creditoris, altera debitoris.

IV. Juſte hoc loco idem valet, ac ſi diceres: *Salva lege.* Pro varietate igitur legum jus ſpectatum, ut perſonis tribuitur, variat: Hinc probe ad id reſpiciendum ſemper venit: Ita e. gr. privato multa jura competerent, ſi judiciis nullus locus eſſet, quæ tamen poſt conſtituta judicia ei non competunt. Inde fit, ut vim vocent leges civiles, quoties quis id, quod deberi ſibi putat, non per Judicem repoſcit. *Exſtat enim decretum divi Marci in hæc verba: Optimum eſt, ut ſi quas putas te habere petitiones, actionibus experiaris, eum Marcianus diceret, vim nullam feci: Cæſar dixit, tu vim putas eſſe ſolum, ſi homines vulnerentur? vis eſt & tunc, quotiens quis id, quod deberi ſibi putat, non per judicem repoſcit. Quisquis igitur probatus mihi fuerit, rem ullam*

ullam debitoris, vel pecuniam debitam non ab ipſo ſibi ſponte datam, ſine ullo judice, temere poſſidere vel accepiſſe, isq; ſibi jus in eam rem dixiſſe: jus crediti non habebit. l. 13. D. de eo, quod metus cauſſa geſtum erit. Sic quoque civili ſocietate ad tuendam tranquillitatem inſtituta ſtatim civitati jus quoddam majus in nos & noſtra naſcitur, quatenus ad finem illum id neceſſarium eſt.

V. Juſte quandoque idem ſignificat, quod *impune*, hoc eſt, ſine pœnæ periculo, ut tamen quod hoc ſenſu juſte quis habere vel agere dicitur, licite habere vel agere nequeat. Iſtud inde fit, quia leges civiles quandoque verum jus perſonæ non præſtant, ſed tantum inter homines impunitatem, ut ſic pœnam humanam tollant, non nefas. E. gr. Ira vehemens, qua ſucceenſus maritus uxorem in adulterio deprehenſam aut adulterum in toro ſuo occidit, dicitur juſtus dolor, ipſeque maritus in tali caſu juſte adulteram uxorem aut adulterum occidere poſſe dicitur, non quaſi lex civilis jus marito det, ſed quia dolori indulget. Huc facit illa regula Juris: *Non omne, quod licet, honeſtum eſt. l. non omne 144. D. de Regg. Juris.* Quo de pluribus agetur ſuo loco.

VI. Habere h. l. non modo notat *retinere*, ſed etiam *accipere*: e. gr. ſi quis inſtituit

ſtituit me hæredem, recta & immediate mihi jus competit, quo poſſim & in poſſeſſionem vocare hæreditatem, & quoque poſſeſſam retinere.

VII. *Moraliſtæ* communiter nominant hocce jus, ut perſonæ tribuitur, *facultatem moralem*, item *poteſtatem*. Videatur *Ludovicus Molina de Juſt. & Jur. tom. 1. tract. 1. diſp. 2. n. 4.* Ita *Franciſcus Svaretz tract. de legibus lib. 1. cap. 2. n. 5.* de jure ita ſumto ſcribit: *Solet proprie vocari facultas quædam moralis, quam unusquisque habet vel circa rem ſuam, vel ad rem ſibi debitam &c. Ita operarius dicitur habere jus ad ſtipendium, cujus ratione dignus dicitur mercede ſua.* Pari ratione *facultatis* nomine *JCti* optime utuntur §. *Et libertas Inſtit. de jure perſonarum.*

VIII. Non in *Jure* modo, ſed etiam in omni *Morali* Philoſophia, ut & in ſacro *Codice* frequens ac recepta eſt hæc juris ſignificatio. *Philoſophi* & *Jureconſulti* ita accipiunt, quando actum & munus particularis juſtitiæ τῷ ſuum cuique jus tribuere exprimunt. *l. juſtitia 10. D. de juſtitia & jure.* In *Sacris* legitur Abraham dixiſſe ad filios Heth: *Date mihi jus ſepulchri, Gen.* XXIII. *4.* & de Jacobo, quando diſceſſit a ſocero, dicitur detuliſſe ſecum omnia, quæ *ſui juris* erant *Gen.* XXXI. *18.* & ſimilia loca ſunt frequentia.

IX. Po-

IX. Poteſtas moralis eſt *libertas moralis*. In quantum libertas dicitur, importat *indifferentiam*. Huc apprime faciunt *quinque integræ diſſertationes B. Pauli Slevogtii*, Proſoceri etiam poſt fata ſingulari pietatis cultu ſemper a me proſequendi, *de indifferentia voluntatis humanæ in ordine ad actiones morales*. Ea vero indifferentia ſpectatur præciſa juſti & injuſti, æqui & iniqui ratione. Quatenus vero *moralis* nominatur, ſic dicit habitudinem ad jus, quam *Grotius* vocula: *juſte* exprimere ſategit. Nihil enim moralitas formaliter ſpectata aliud, quam habitudinem ad jus, importat, ut mox pluribus indicabitur. Libertatem phyſice ſpectatam, græce δύναμιν, (quamvis δύναμις latius pateat) in morali ſenſu acceptam ἐξουσίαν appellaveris. Et certe hoc ſatis commodum nomen eſt veniens ab ἔξεστι licet, cui Latinum vocabulum licentia reſpondet.

X. Ad meliorem declarationem facit, quod *Moraliſtæ* notant, potentiam quandoque ſine poteſtate, & poteſtatem ſine potentia eſſe: e. gr. Titius incidens in latrones habet poteſtatem contra eos ſe defendendi, jus enim eſſet propria contra latrones defenſio; potentiam vero ſe defendendi non habet, quia validiſſimæ latronum vires obſtant, quo minus completa ejus potentia dicatur. (Conſtat enim

ex

ex *Metaphyſicis*, quod quid recte dicatur non habere potentiam, quando potentia completa non adeſt, ut quando aliquid ei eſt obſtaculo, quo minus valeat potentiam ſuam exerere) Contra latrones, utpote ſatis robuſti nequam, habent potentiam Titio viatori pecuniam & vitam eripiendi, poteſtatem, licentiam, jus non habent.

XI. Licentia in largiſſimo ſignificatu notat etiam meram *impunitatem*, ceu præcedenti *n.5.* monebatur. Et ſic ſumma licentia fuerit ſumma impunitas, ſi quid impuniſſime, hoc eſt ſine omni pœnæ humanæ periculo quis facere poſſit. *Cum Julia noverca Antonini Caracallæ Baſſiani ei ſinum nudaſſet: Vellem,* inquit, *ſi liceret; at illa: Si libet licet. Spartianus in Antonino Caracalla.* Aſt in præſenti nomine poteſtatis nobis venit talis licentia, quæ non tantum pœnæ humanæ non ſubjacet, ſed etiam omne peccandi & injuſte agendi periculum excludit.

XII. Hæc de jure ſumto, ut perſonæ tribuitur. Ei vero opponitur *impotentia moralis*, per quam perſona aliquid juſte habere vel agere nequit: Evidentiſſimum hujus exemplum habetur *Act.XXV. 9. 10. 11.* ubi Paulus, Feſto oblique ſvadente, ut ſe judicio ſiſtat Hieroſolymæ, iſtud forum appellatione ad Cæſarem declinans, *nemo,* in-

inquit, *poteſt me illis* (intellige *Judæis*, quibus Feſtus gratificari voluerat) *donare*: *Cæſarem appello*. Quibus verbis denegabat Apoſtolus Feſto moralem facultatem ſeu poteſtatem, quod ſcilicet juſte fieri non poſſet, ut innocens a Feſto ſuis traderetur adverſariis.

§. 10. Juris accepti, prout tribuitur perſonæ, variæ iterum ſunt diſtinctiones. Diſtinguitur 1. in *jus perſonale & reale*: *Jus perſonale eſt jus perſonæ immediate competens*: *Jus reale eſt jus perſonæ mediante certa re competens*: E. gr. Imperium patri in liberos acquiſitum eſt jus perſonale. Jus braxandi domui annexum eſt jus reale. *Juris, ut refertur ad perſonam, diſtinctio.* *Jus perſonale quid?* *Jus reale quid?*

[*Grotius* §. 4.]

NOTÆ.

I. Petitur hæc diviſio a modo acquirendi.

II. Dicat aliquis: Quodcunque jus perſonæ competit, eſt perſonale. Atqui omne jus, cujus *hoc* & *præcedenti* §. mentio facta eſt, perſonæ competit. E. & per conſequens jus perſonæ competens male dividitur in perſonale & reale. Reſponſio facilis eſt, limitando majorem propoſitionem: Quodcunque jus perſonæ imme-

dia-

diate ut perſonæ & non mediate propter rem, hoc eſt, quatenus certam rem habet, competit, illud eſt jus perſonale. Sic conceſſa majore, minor univerſaliter vera non eſt. Limitationem majoris uſus confirmat. Nam qui jus braxandi habet domui annexum, ſi vendat domum, amittit jus braxandi. Huc facit *l. via conſtitui 23. §. ſi fundus. 2. D. de ſervitutibus prædiorum ruſticorum : Si fundus ſerviens, vel is, cui ſervitus debetur, publicaretur : utroque caſu durant ſervitutes : quia cum ſua conditione quisque fundus publicaretur.*

Juris, ut tribuitur perſonæ, alia diſtinctio.

§. 11. Diſtinguitur 2. jus pro attributo perſonæ ſumtum in *libertatem, imperium* & *dominium*.

[*Grotius* §. 5.]

NOTA.

Hæc diſtinctio ab objecto deſumitur.

Libertas quid?

§. 12. *Libertas eſt poteſtas in ſeipſum:* Ita *JCti* eum, qui alieno juri ſeu alienæ poteſtati non ſubeſt, vocant liberum hominem, item perſonam ſui juris.

[*Grotius* §. 5.]

No-

NOTÆ.

I. Poteſtas ſumi poteſt vel in ſenſu affirmante, vel in ſenſu negante: Et quidem h. l. accipitur *in ſenſu negante.* Quando enim dicitur: *hic homo eſt ſui juris*, hunc ſenſum habet: hic homo alienæ poteſtati non ſubeſt.

II. *Libertas* eſt vel *perſonalis*, vel *civilis. Libertas perſonalis* eſt poteſtas perſonæ in ſeipſam. Qua de videatur totus *tit. Inſtit. de jure perſonarum.* Item *de his, qui ſui vel alieni juris ſunt. Libertas civilis* eſt poteſtas ſocietatis in ſeipſam: e. gr. paterfamilias in ſua familia habet libertatem perſonalem, quia nullius poteſtati in familia ſubeſt: Contra populus ſui juris, ſuæ poteſtatis, hoc eſt, qui nec alius populi, nec Optimatum, nec Regis poteſtati ſubeſt, dicitur habere libertatem civilem.

III. Libertati ergo *ſubjectio* opponitur, & perſonali quidem libertati *ſubjectio perſonalis*, civili vero libertati *ſubjectio civilis:* e. g. ſubjectio perſonalis eſt patrisfamilias, qui ſe vendidit in alterius ſervitutem: Subjectio civilis eſt populi, qui ſe homini alicui aut pluribus hominibus aut etiam populo alteri in ditionem dedit. De quibus *ſeqv. cap. 3. & lib. II. c. 5.*

Imperium quid?

§. 13. Imperium eſt *poteſtas in alium aut alios* cum jure puniendi aut coërcendi conjuncta: e. gr. pater habet imperium in liberos, rex in populum, nam illi in liberos, huic in populum poteſtas competit, vi cujus uterque (pater a liberis, rex a ſubditis) hoc vel illud juſte ſub comminatione pœnæ poſſit exigere.

[*Grotius* §. 5.]

NOTÆ.

I. *Poteſtatis in alium aut alios* notio ambigua eſt. Quandoque poteſtas notat licentiam, vi cujus alii aut aliis adverſus hunc vel hos, hoc vel illud licet: Ita e. gr. ſi corpus Titii impetatur vi præſente cum periculo vitæ non aliter vitabili, tunc licet Titio occidere eum, qui periculum infert, adeoque habet poteſtatem occidendi, quam ſi uſus loquendi ferret, ſano ſenſu poteſtatem necis diceres. Plerumque tamen poteſtas in alium aut alios connotat jus pœnæ, imo abſolute ſolum illud jus meretur nomen poteſtatis, quod ſimul jus puniendi aut coërcendi eſt, aut cum eo conjungitur.

II. Differunt quoque *patrocinium* & imperium, item *clientela* & ſubjectio. Nam neque

neque patrocinium privatum tollit libertatem perſonalem, neque publicum patrocinium libertatem civilem, quo de *ſeqv. cap. 3.* agetur.

III. Diviſiones Imperii *c. 3.* & *lib. II. c. 5.* enodabuntur.

§. 14. Dominium eſt *poteſtas in rem*, h. e. jus (perſonæ competens) quo res eodem modo, quo alicujus eſt, alterius eſſe non poteſt. Philoſophi *proprietatem* vocant. Ita e. gr. qui emit ædes, is dominus ædium vocatur, ipſæque ædes in ejus proprietatem aut dominium iviſſe dicuntur. **Dominium quid?**

[*Grotius c. 1. §. 5.*]

NOTA.

De dominio perfecta occaſio agendi dabitur *lib. II. c. 2. & ſeqq.*

§. 15. Jus, ut tribuitur perſonæ, diſtinguitur (γ) in *vulgare* & *eminens*: *Vulgare jus eſt jus perſonæ competens, quod particularis uſus cauſſa comparatum eſt: Jus eminens eſt jus, quod communitati competit in partes & res partium boni communis cauſſa.* E. gr. homo liber a ſubjectione, non civili, ſed perſonali, dicitur ſui juris, & ipſe princeps **Alia juris, ut tribuitur perſonæ, diſtinctio. Jus vulgare quid? Jus eminens quid?**

quoque ſui juris dici poteſt: Utrique libertas competit, ſed illius libertas eſt vulgaris, hujus vero eminens. Sic in liberos pater habet imperium, & in eosdem liberos principi imperium competit, patris imperium vulgare, principis eminens eſt. Ita dominus ædium eſt hic ſubditus, earundemque ædium dominus ſano ſenſu princeps ex *Hugonis Grotii* ſententia nominatur, ita ut iſti dominium vulgare, principi ſupereminens dominium tribuatur. Nam quando aulæ periculum incendii imminet aliter non vitabile, princeps diruere ædes poteſt, volente nolente ſubdito ædium domino. Pariter quoties hoſtis imminet urbi, principi fas eſt ſubvertere ædificia incommodatura defenſioni, & ſpatium dirutarum ædium exſtruendo propugnaculo, latius ducendis foſſis adhibere. Item jus eſt principi concremare ædes, ne hoſti receptaculo ſint. Ita in caſu neceſſitatis reipublicæ quisque ad uſus publicos magis obligatur quam creditori.

[*Grotius* §. 6.]

NO-

NOTÆ.

I. Poterat igitur hæc diſtinctio juris pro attributo perſonæ ſumpti in vulgare & eminens libertati, imperio & dominio accommodari ex mente *Grotii*, ceu allata exempla docent.

II. Veritatem exemplorum admittunt etiam, qui ipſum dominium eminens inficiantur: Nam cogi poſſe ſubditum, qui ſuis fortunis nolit ſuccurrere laboranti Reipublicæ, principique jus eſſe adhibendi privata in uſum publicum communiter aſſeritur.

III. An vero illud jus ſit verum dominium, de hoc *ſequenti libro* diſpiciendum erit.

IV. Etiam quod juris principi competit in perſonas ac bona ſubditorum boni proprii cauſſa, juris eminentis nomine cenſeri meretur. Poſſunt enim hæc duo ſimul ſtare: eminens jus, & jus ejus, qui illud habet, cauſſa paratum, quo de capite tertio ſolide agetur.

V. Dominii voce quandoque etiam poteſtas in perſonam ſignificatur: Ita *§. ſervitus 2. Inſtit. ſervitus* dicitur *conſtitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam ſubjicitur.* Ea ſignificatio alibi quoque locum invenit.

VI. *Dn. Thomaſius* ponit hanc regulam: *Poteſtas vulgaris ſubordinatur eminenti, ut inferior ſuperiori.*

§. 16. Hæc de juris ſignificatione, ut ad perſonam refertur, variisque juris ita ſumti diſtinctionibus.

NOTÆ.

I. *Grotius* diſtinguit quoque jus pro attributo perſonæ ſumtum in *facultatem moralem* & *aptitudinem* §. 4. ubi poſtquam jus dixerat *qualitatem moralem perſonæ competentem*, mox addit: *Qualitas autem moralis perfecta facultas nobis dicitur; minus perfecta aptitudo: quibus reſpondent in naturalibus, illi quidem actus, huic autem potentia.* Mox ſequenti §. 5. *facultatem* appellat *jus proprie aut ſtricte dictum*, *aptitudinem* vero *jus improprie aut laxe dictum*.

II. Videtur autem, ac ſi ex mente *Grotii* aptitudo definienda eſſet, quod ſit *qualitas moralis perſonæ competens ad aliquid digne habendum* vel *agendum*: Hinc *ipſe* eam vocat ex Ariſtotele *ἀξίαν*, *dignitatem*.

III. Hæc dignitas multifariam ſumi poteſt: 1. ut notat *qualemcunque convenientiam*. Exemplum adfert *Grotius* §. 8. Nam cum Cyrus puero minori minorem tunicam, ſed alienam attribuiſſet, & majori

jori contra majorem, docuit eum magiſter: Tunc quidem, ubi conſtitutus eſſet arbitrator ejus, quod cuique conveniret, ita agendum eſſe; at ubi judicandum eſſet, utrius eſſet tunica, id ſpectandum utra poſſeſſio juſtior, eumne rem habere, qui vi abſtuliſſet, an qui feciſſet aut emiſſet. 2. ut ſignificat *perfectionem alicujus perſonæ, quæ per eam aliquid commode habere aut agere poſſet, modo facultas moralis ad illud juſte babendum aut agendum ei competeret*. Dicitur: *per eam aliquid commode habere aut agere poſſet, modo facultas moralis ei competeret*. Et fortaſſis illud ipſum *Grotius §.4.* innuit his verbis: *Facultati morali reſpondet in naturalibus actus, aptitudini potentia*. Exempli gratia: Sunto duo filii regis demortui ætate & prudentia diſpares, eſto filius natu major minus prudens, natu minor vero eo prudentior, quo junior, quamvis plus ſimplici vice primogenitus eum annis ſuperet, faciamus dictum eſſe, ne dividatur regnum, nec cui cedere debeat expreſſum eſſe, mos omnium populorum eſt, ut natu maximus imperium habeat, adeoque iſte licet prudentia minor ſit, quia ætate major, in ſucceſſione ætate minori, utut prudentiori, niſi pater aliud juſſerit, præfertur, ſicque ætatis privilegio regnum ſibi vindicat. Sane licet natu major jure plus poſſit, plus tamen poſſet natu minor pruden-

tia, cum nullum dubium ſit, quin prudentia ad gubernandum tuendumq; regnum plurimum valeret. Habet ergo in tali caſu ſecundogenitus aptitudinem, non jus, Nam hic eſt νόμος lex ſive conſuetudo regnorum: In ſtatu vero naturali omnino fratri natu minori ob dignitatem jus ſummi imperii deberetur. 3. ut denotat *obligationem in altero, qui nempe tenetur efficere, ut alius, in quo tamen nullum jus eſt, juſte illud agere aut habere poſſit.* Recte *Grotius l. II. c. 11. §. 3.* ait: *Multis caſibus evenit, ut obligatio ſit in nobis & nullum jus in alio.* Exempli cauſſa: Benefactori is, cui benefactum eſt, tenetur gratiam reponere, ille tamen, qui beneficium exhibuit, iſtum, qui accepit, ad reponendam gratiam cogere jure naturæ non poteſt. Pariter ſi ad divitem homo egenus accedat & eleemoſynam petat, ille quidem obligatus eſt ad conferendam ſtipem, iſte tamen a divite debitum miſericordiæ negligente vi extorquere ſtipem nequit. De his *Dn. Samuel Pufendorff* ita philoſophatur: *Quædam,* ſcribit, *debentur nobis ex jure perfecto, quædam ex imperfecto. Illo modo quæ nobis debentur, ubi ultro non tribuuntur, fas eſt in libertate naturali de gentibus vi belloque ad ea præſtanda alterum adigere, aut in eadem civitate ſi vivamus, contra eundem actio datur: hoc autem modo debita bello*

vin-

vindicari, aut actione intentata extorqueri non poſſunt. Perfectum jus autores frequenter ſolent exprimere, addito vocabulo ſui, v. gr. ille ſuo jure hoc poſtulat. Quod autem alia nobis perfecte, alia imperfecte debeantur, cauſam eſſe putat *inter eos quidem, qui in naturali libertate invicem vivunt, diverſitatem praeceptorum juris naturalis, quorum alia ad eſſe, alia duntaxat ad bene eſſe ſocietatis faciant, ut ita, cum minus neceſſarium ſit haec quam illa alteri exhiberi; rationis quoque ſit, illa quam haec rigidiori poſſe modo exigi.* Adjicit, *quod circa illa fere pactum intercedat, circa haec non item; adeoque cum haec cujusque pudori conſcientiae relinquantur, incongruens foret talia ab altero per vim extorquere, niſi fors gravis neceſſitas ſubigat.* Verum *in civitatibus* cenſet *diſcrimen illud ex legibus civilibus actionem dantibus aut non dantibus oriri; etſi civitates ut plurimum heic juris naturalis veſtigia ſint ſecutae, niſi qua peculiares ipſarum rationes diverſum ſuaſiſſent.* Hæc *ille de jure naturae & gentium lib. I. c. 7. §. 7. p. m. 107. 108.*

§. 17. *Jus* prout tribuitur judicio practico intellectus aut propoſitioni practicae, *idem valet, quod lex.* *Jus pro propoſitione practica ſumtum quid?*

[*Grotius §. 9.*]

Lex largiſſime ſumta quid?

§. 18. Eſt autem *lex*, ſi ea largiſſime ſumatur, *regula actuum moralium obligans ad id, quod rectum eſt.*

[*Grotius* §. 9.]

NOTÆ.

I. Dicitur *regula*, cujus notio ex *Metaphyſicis Scholis* petenda eſt. Nam ut menſura a ſigno, ſic regula a menſura diſtinguitur. Omnis menſura eſt ſignum, ſed non omne ſignum eſt menſura: Ita fumus eſt ſignum ignis, non menſura. Hedera ſignum vini, non menſura. Pariter omnis regula eſt menſura, ſed non omnis menſura eſt regula. Sic dicimus menſuram vini, cereviſiæ, aceti, hordei, tritici &c. at non dicimus normam vel regulam vini &c. Signum *Metaphyſici* vocant, quod potentiæ cognoſcenti aliquid repræſentat: Menſura vero illis eſt ſignum determinatæ quantitatis, hoc eſt, id, quod potentiæ cognoſcenti quantitatem alicujus repræſentat. Inde tandem norma eſt menſura, juxta quam rei alicujus veritas vel rectitudo & congruentia exigitur & dijudicatur. De his conſulantur *Patres Metaphyſicorum.*

II. Quia *regula* eſt menſura, ideo proprie nulla lex regula dici poteſt, cum menſura proprie dicta ſit ſignum proprie dictæ quan-

quantitatis: Jam vero proprie dicta quantitas, quam vulgo quantitatem molis vocant in *Mathematicis*, non vero in *Moralibus* locum habet: Quid enim *Mathematico* qua tali cum *Moralibus*? Mathematica mathematice, moralia ethice ſunt docenda, ſi vitioſos ſaltus de genere ad genus vitare velimus. Interim notandum, quod quemadmodum quantitas primario & proprie non dicitur niſi de extenſione, ſecundario vero & improprie de perfectione rei, quam id propter perfectionis & analogicam quantitatem vocant, ceu ex recepta omniumque conſenſionibus approbata diſtinctione inter quantitatem molis & virtutis liquet, ita idem quoque eveniat in ratione regulæ, ut per prius dicatur de regula quantitatis molis, per poſterius de *regula perfectionis*, quam quantitatem virtutis nominant. Sed hæc *Metaphyſicis* relinquamus, ſufficiat hic notaſſe, quod *regula* in præſenti *poſteriori modo* ſumatur.

III. *Regulam Scholaſtici* iterum diſtingvunt in *internam* & *externam*: *Regulam* autem *internam* vocant *judicium practicum intellectus*, quo cognoſcitur quid aut quomodo ſit agendum vel efficiendum, aut ſi quid actum vel effectum eſt, ſitne recte actum aut effectum, num ſecus. Et ita regula hoc loco accipitur. Ad eandem ſignificationem reducitur *propoſitio*

practi-

practica ore prolata aut *ſcripta*, quia vicem talismodi dictaminis practici gerit inque locum dictati ſeu judicii practici ſubſtituitur. Et ita quoque ſumunt regulam *Theologi*, quando Scripturam ſacram dicunt infallibilem regulam fidei & morum; *JCti Moralesque Philoſophi*, dum legem vocant juſti & æqui regulam.

IV. *Regula actuum moralium* lex dicitur, ut *regulatum*, ceu *Scholæ Metaphyſicæ* loqui amant, indigitetur. Nam cujus veritas vel rectitudo aliunde dijudicatur, id *Metaphyſici* regulatum vocant. Duæ quippe in quavis regula ſunt habitudines, una ad id, cujus eſt regula; altera ad potentiam cognoſcentem illud. Quia igitur lex nobis repræſentat perfectionem actionis, quam præcipit, ideo recte illa actio *regulatum* dicitur. Qui accuratius ea cognoſcere geſtit, adeat *Metaphyſicos*.

V. *Actus morales* primario dicuntur actus ex ſua natura honeſti & ex ſua natura turpes, minus tamen hi, quam illi. Et quia de actibus ex ſua natura honeſtis & turpibus lex naturæ, atque non niſi de iis diſponit, lex naturalis primario eſt regula actuum moralium: Secundario tamen actus morales denominari merentur actus indifferentes, de quibus leges poſitivæ diſponunt. Inde judicium petere licet de *moralitate*, quam *Moraliſtæ* dicunt *formaliter*,

ter, hoc eſt, noſtro primo modo concipiendi, habitudinem ad jus naturæ, *fundamentaliter*, hoc eſt, ex parte fundamenti ſpectatam, ipſam naturam hujus vel illius actus, qui nempe ex ſua natura honeſtus vel turpis eſt & dicitur, quod de moralitate primario ſic dicta, quam abſolute moralitatem vocant, intellectum volunt.

VI. *Regula obligans* vocatur lex, ut diſtinguatur a conſilio, & ſi qua eſt alia regula, honeſta quidem, ſed non obligans. Recte *Hobbes de cive c. 14.* ſub finem §. *1. p. m. 230. Facere id, quod lége præcipitur, officii: quod conſilio, arbitrii eſt. Conſilium dirigitur ad finem ejus, cui præcipitur, lex autem ad finem ejus, qui præcipit. Conſilium non niſi volentibus datur, lex etiam nolentibus. Denique jus conſiliarii tollitur arbitrio ejus, cui conſilium datur: jus legislatoris non tollitur arbitrio ejus, cui imponitur lex.* Idem vero *Hobbes* conſilium & legem *ibidem* diſtingvit *p. m. 229.* quod *conſilium ſit præceptum, in quo ratio, quare pareamus, ſumatur ab ipſa re, quæ præcipitur: lex autem ſit præceptum, in quo parendi ratio ſumatur ab ipſa voluntate præcipientis, cum proprie non dicatur, ſic volo, ſic jubeo, niſi ſtet pro ratione voluntas, adeoque legibus obediatur non propter rem ipſam, ſed voluntatem præcipientis*, ut ita a conſilio legem *Hobbes* diſtingvat, quod per illud ratio-

rationibus ex ipſa re petitis ad ſuſcipiendū quid aut omittendum adducere quis conetur illum, in quem, ſaltem quoad præſens negotium, poteſtatem non habeat, ſic ut obligatio nulla eidem adferatur, ſed in arbitrio ipſius relinquatur, ſequi velit conſilium, an minus: Lex vero, licet & ipſa ſuis non debeat carere rationibus; hæ tamen proprie cauſa non ſint, quare ipſi obſequiū præſtetur, ſed poteſtas præcipientis, qui ubi voluntatis ſuæ decretum ſignificavit, obligationem ſubdito adferat omnino juxta præſcriptum ſuum faciendi, etſi fors ipſi rationes præcepti haut ita liquido appareant. Sic enim expreſſe ſcribit: *Cum vero legibus obediatur non propter rem ipſam, ſed propter voluntatem præcipientis, lex non conſilium, ſed mandatum eſt, definiturque hoc modo: Lex eſt mandatum ejus perſonæ (ſive hominis, ſive curiæ) cujus præceptum continet obedientiæ rationem. Ut præcepta DEI reſpectu hominum, civitatis reſpectu civium, & univerſaliter omnium potentium, reſpectu eorum, qui non poſſunt reſiſtere, eorum leges dicendæ ſint.* Enim vero hoc ſtante, quod actus dentur per ſe honeſti & ſuapte natura debiti, item per ſe turpes ac ſuapte natura illiciti, quique in puncto rationis, ut *Moraliſtæ* loqvuntur, antecedenter ad decretum, quo ſuperior ſibi ſubjectum obligat, ſe habeant, quo de dabitur diſpicere

cere *hoc ipſo capite*, ſponte ſua relinquitur utique dari leges, ubi intrinſeca moralitas, non vero voluntas præcipientis prima ratio ac præcipua cauſa ſit, quare ipſis obſequium præſtetur, cum ea, quæ hiſce legibus præcipiuntur aut prohibentur, non per hoc primo debita ſint aut illicita, quia legislator vult ea eſſe debita aut illicita, ſed ideo legislator ea præcepta aut prohibita velit, quia per ſe ac ſuapte natura debita ſint aut illicita.

VII. De obligatione, quæ effectus formalis legis eſt, *paulo poſt* agetur.

VIII. Lex ad id, quod rectum eſt, obligare dicitur, *non ſimpliciter ad juſtum, quia jus hac notione non ad ſolius juſtitiæ particularis, ſed & aliarum virtutum materiam pertinet. Attamen ab hoc jure quod rectum eſt, laxius juſtum dicitur.* Hanc explicationem *Grotius* ipſe §. *9. n. 1.* adjicit. Conf. ea, quæ ſupra §. *5. not. 4. 5.* & inprimis *7. & ſeqq. monuimus.*

§. 19. *Juris* pro lege accepti *optima partitio eſt*, quæ apud *Ariſtotelem* exſtat, ut ſit *aliud jus naturale, aliud voluntarium*, quod ille legitimum vocat, legis vocabulo ſtrictius poſito. *Legis diviſio.*

[*Grotius* §. *9. n. 2.*]

NO-

NOTA.

Idem diſcrimen apud Hebræos reperire eſt, qui cum diſtincte loqvuntur, jus naturale vocant מצות*, jus conſtitutum* חקים*, quorum illud* δικαιώματα*, hoc* ἐντολὰς *ſolent vertere Helleniſtæ. Grotius loc. cit.*

Jus naturale quid?

§. 20. *Jus naturale eſt dictatum rectæ rationis, indicans actui alicui ex ejus convenientia aut diſconvenientia cum ipſa natura rationali ineſſe moralem turpitudinem aut neceſſitatem moralem, ac conſequenter ab auctore naturæ DEO talem actum aut vetari, aut præcipi.*

[*Grotius* §. *10. n. 1.*]

NOTÆ.

I. Brevius & a priori *Jus naturale* videtur ſic definiri poſſe: *Eſt dictamen rectæ rationis practicum in materia univerſali de eo, quod intrinſece morale, h. e. per ſe ac ſuapte natura honeſtum vel turpe eſt.* Nam hæc noſtræ definitionis formula id exprimit, quod differentiæ, quam *Grotius* juri naturali aſſignat, ratio a priori dici forſan poteſt. Si enim quæras, cur actus hic vel ille ſit conveniens aut diſconveniens cum ipſa natura rationali? fortaſſis recte reſpon-

ſpondetur a priori, quia per ſe moralis, h. e. ſuapte natura honeſtus vel turpis eſt.

II. *Recta ratio* eſt nihil aliud, quam *judicium de rebus: ut ſunt, ſiſtendo intra eas, quæ naturaliter cognoſcibiles.* Quæſtionem: An detur recta ratio? *B. Slevogtius,* Proſocer pie a me venerandus, ſequentem in modum decidit: *Qui negant rectam rationem, ſeipſos redarguunt, & quo vehementius illam impugnant, eo turpius ſibi adverſantur certiſſime. Dum enim negant ipſam, vel recte judicant, vel falſo. Eligant alterutrum, in utroque ſeſe implicabunt. Si recte judicant, ut ſe judicare moroſe contendunt. Ergo datur recta ratio, quia de re naturaliter intelligibili qua tali rectum datur judicium. Si falſo judicant, ut fateri tandem neceſſe eſt. Ergo & ſic datur recta ratio, quia ipſam non dari, perperam atque falſo adſtruxerunt. Ecce utrinque conſtrictos. Proinde ei, qui rectam rationem negat, quantum ad hoc non eſt credendum. Oſtendo. Si enim vere datur recta ratio, hoc eſt, conveniens rebus judicium, quis fidem adhibuerit ei, qui dicit, ipſam non dari? Si autem non datur. Ergo neque in illo dabitur, qui negat. Ergo neque iſte conveniens de recta ratione judicium feret. Unde rurſus quis crediderit ei, qui non conveniens de re habet judicium, ac aliter ipſam eſſe dicit, atque eſt.* Hæc *iſte Vir* diſ-

ſertationum ſuarum *Academicarum*, quæ jam hic loci iterum imprimuntur, *octava e practicis*, quæ agit *de peccato morali*, ubi ſub finem videatur.

III. Si igitur dantur per ſe honeſta & turpia, quæque ideo per ſe ac ſuapte natura aut debita ſunt, aut illicita, hoc ipſum, quod dentur, erit cauſa, quod vera ſint judicia illa practica, quibus ea indicantur, quæque jura naturalia dicimus. Et ita ſano ſenſu hæc illis natura poſteriora, & illa his natura priora dicuntur.

IV. Jus naturale ſumitur quandoque pro complexu omnium omnino legum naturalium, æque ac lex civilis interdum pro toto juris civilis corpore accipitur.

Juris naturalis diviſio.

§. 21. Juris naturalis variæ iterum ſunt diviſiones: I. Jus naturale aliud eſt jus naturalis commiſſionis, aliud vero jus naturalis omiſſionis.

Jus naturalis commiſſionis quid?

Illud eſt jus naturale, quo neceſſitas commiſſionis in genere morum exprimitur: e. gr. jura naturalium commiſſionum ſunt: DEUM cole, honora parentes, ſerva quod promiſiſti, ſolve debitum, redde mutuum &c.

Jus naturalis omiſſionis quid?

Hoc eſt jus naturale, quo neceſſitas omiſſionis in genere morum exprimitur: e. gr. jura naturalium omiſſionum ſunt:

ſunt: Non fac homicidium, non fac ſcortationem, non fac adulterium, non fac furtum &c.

NOTÆ.

I. In genere morum non modo agere dicitur is, qui veram & realem actionem committit, ſed etiam is, qui eam omitti, agentis nomine venit, ceu §. 5. *not. 2. & 3. p. 11.* monuimus, modo talis actionis commiſſio vel omiſſio ei fuerit voluntaria, qui agentis titulo cenſetur: e. gr. qui committit homicidium, is moralis agentis, & in ſpecie agentis contra jus naturæ, denominationem ſubit, quia talis actionis commiſſio, ut ita cum *Moraliſtis* loquamur, eſt intrinſece & ex ſua natura turpis ac illicita: Contra qui pro libera (intellige phyſicam libertatem) ſua voluntate, ubi & quando potuiſſet homicidium committere, illud omittit, is iterum moralis agentis appellationem ſortitur nuncupaturque hæc omiſſio homicidii intrinſece & ex ſua natura honeſta ac debita, ipſum autem homicidium in genere morum neceſſarium neceſſitate omiſſionis ſtatuitur, & inde fit, ut agentis moraliter boni titulum mereatur, qui ita homicidium omittit.

II. Ex *Logicis* dudum conſtitit, quod propoſitio alia ſit affirmativa, alia negati-

va. Item quod omne judicium intellectus ſignificari poſſit propoſitione vel affirmativa vel negativa. Sicut igitur omnis propoſitio practica vel affirmativa eſt, vel negativa, omneque judicium intellectus vel eſt compoſitio, vel diviſio: Nam compoſitioni intellectus reſpondet affirmatio, diviſioni negatio: Ita omne jus, quatenus eſt judicium intellectus, quod compoſitio dicitur, ſive quatenus propoſitione affirmativa ſignificatur, eſt jus commiſſionis: Quatenus vero eſt diviſio ab intellectu facta aut quatenus propoſitione negativa indicatur, eſt jus omiſſionis.

III. Ex modo dictis fundamenta primæ diviſionis facile liquent. Cæterum opus non eſt, ut peculiari explicatione dignemur diviſionem præceptorum juris naturalis in affirmativa & negativa, cum quivis facile id queat aſſequi, quod in tantum ſecundario hæ vel illæ propoſitiones practicæ dicantur jura naturalia, in quantum ſigna ſunt illorum dictaminum rectæ rationis practicorum, quibus intrinſeca neceſſitas actionum in genere morum exprimitur, quæ dictamina primario jura naturalia denominantur. Inde fit, ut ſi talismodi propoſitiones practicæ dictaminibus commiſſionum reſpondeant, *jura affirmativa*: ſi dictaminibus omiſſionum, *jura negativa* vocentur.

IV. Con-

IV. Contra jura affirmativa ſi peccetur, *peccatum omiſſionis*: ſi vero contra jura negativa, *peccatum commiſſionis* dicitur.

V. Ad indicandū jurium naturalis commiſſionis & omiſſionis diſcrimen *Moraliſtæ* his utuntur regulis: *Jura naturæ affirmativa obligant ſemper, ſed non ad ſemper: Jura naturæ negativa obligant ſemper & ad ſemper.* Quocunque enim tempore id committis, quod jus naturæ prohibet, peccas, cum nullo tempore licitum ſit agere contra jus naturæ negativum: e.gr. nunquam licet homicidium, ſcortationem, adulterium, furtum committere: Nam dicere nequis tibi defuiſſe occaſionem abſtinendi ab homicidio, ſcortatione &c. Secus vero ſe res habet cum juribus naturæ affirmativis: Ita e. gr. jus naturæ præcipit dare pauperi, ſemper quidem hoc jure obligor, non tamen ad ſemper, id eſt, ad omnia tempora omnesque caſus & quemvis locum: Non enim teneor dare pauperi omni hora vel omni in loco, ſed tum teneor ei aliquid dare, quando quod dem mihi ſuppetit, locus commodus, tempus opportunum eſt. Paucis: quando datur occaſio. Prolixe *Navarrus in Sacrorum Moralium Manuali* hæc expoſuit.

§. 22. 2. Jus naturale aliud eſt increatum, aliud creatum. Jus naturale *Juris naturalis alia diviſio.*

Juris naturalis creati diviſio. increatum vulgo a *Moraliſtis* appellatur lex æterna in DEO. Jus naturale creatum iterum duplex eſt: Angelicum & Humanum.

NOTÆ.

I. Fundamentum hujus diviſionis, quæ a *ſubjecto* petitur, facile eſt oſtendere. Quemadmodum enim §. 20. not. 1. jus naturale diximus dictamen rectæ rationis practicum in materia univerſali de eo, quod intrinſece morale, h. e. per ſe ac ſuapte natura honeſtum vel turpe eſt: Ita pro duplici ratione intellectus practici duplex agnoſcimus jus naturale: Illud enim judicium intellectus practici in DEO, quo DEUS cognoſcit hunc vel illum actum in genere morum a ſe neceſſario committendum vel omittendum eſſe, vocamus jus naturæ in DEO aut jus naturale DEI, item jus naturæ increatum: E contrario hunc actum intellectus practici, quo rationalis creatura, hoc eſt, creatura intelligens judicat hujus vel illius actus moralem neceſſitatem commiſſionis vel omiſſionis ſibi incumbere, jus naturale creatum ſalutamus. Hinc quia conſtat rurſus duplicis generis agentia intellectualia creata dari: angelos ſcilicet & homines, ideo viciſſim jus naturale angelicum dicimus,

mus, quo recta ratio angeli practice judicat de actibus per ſe ac ſuapte natura honeſtis vel turpibus, jusque naturale humanum nominamus, quo recta ratio hominis de taliſmodi actibus practice judicat.

II. Licebit nobis eo brevioribus eſſe, quandoquidem ſatis omnibus conſtat ſcopum noſtrum eſſe, ut in notitiam fontium juris naturalis humani veniamus, quod κατ' ἐξοχὴν jus naturæ nuncupari conſvevit. Nihil enim nunc ſolliciti erimus de jure naturali angelico, eo certe minus, quo evidentius eſt ex naturæ lumine de reali angelorum exiſtentia & natura pauca certo ſciri poſſe.

III. Saltem circa jus naturale divinum hoc eo accuratius obſervandum ducimus, quo facilius occaſione hujus locutionis errari contingit. Scilicet multos hoc dubium movet, quaſi nullum jus in DEUM cadere poſſit, propterea quod ſit ſummus abſolute, nullus vero obligari proprie poſſit ac ſalva veritate, niſi habeat ſe ſuperiorem, hisque admiſſis, cenſent nullatenus admitti poſſe, quod jus naturale divinum, quod vulgo *Moraliſtæ* legem DEI æternam vocant, proprie ſit jus: Verum confundenda non eſt obligatio, cujus fundamentum eſt ipſa natura objecti, cum obligatione, cujus fundamentum eſt liberri-

ma voluntas ſuperioris qua talis. Quippe per hoc agens obligatur, quod neceſſitas commiſſionis vel omiſſionis ei in genere morum incumbit, & per hoc datur obligatio proprie talis, quia neceſſitas commiſſionis vel omiſſionis in genere morum datur. Interim quod obligatio h. e. neceſſitas moralis commiſſionis aut omiſſionis vel unice pendeat ab arbitrio ſuperioris qua talis, vel unice fundetur in natura actus tanquam objecti, hoc per accidens ſe habet ad obligationem ut ſic, ut vulgo loqvuntur, ſeu ſi cum *Scholæ Doctoribus* loqui malimus, hoc non pertinet ad conceptum formalem obligationis, ſed ſpectat ad conceptum materialem obligationis ſeu ad obligationem ut eſt talis.

IV. Nullum ergo alium ſenſum hæc propoſitio: *DEUS moraliter eſt obligatus*, in animo cujusvis *Moralium* cultoris πεπαιδευμένου, quam hunc, relinquere debet: Dantur certi actus per ſe & ex ſua natura neceſſitate commiſſionis neceſſarii in genere morum, ut ſalva morali ſua perfectione DEUS hos actus omittere nequeat, & dantur quoque certi actus per ſe, & ex ſua natura neceſſitate omiſſionis in genere morum neceſſarii, ut ſalva morali ſua perfectione DEUS hos actus non poſſit committere: Imo ſi per impoſſibile daremus, quod tamen ſine ſummo ſcelere dari ne-

nequit, DEUM illiusmodi actus committere & hujusmodi actus omittere, tunc ſane DEUS non eſſet infinitæ perfectionis, cum ſatis conſtet ex naturæ lumine ſimpliciter perfectiones eſſe juſtitiam & ſanctitatem, quæ DEO, quia ſimpliciter perfectiones ſunt, revera ac proprie competunt, nec tamen negari poſſet, quod contra juſtitiam & ſanctitatem acturus eſſet, ſi per impoſſibile actus, qui nullam phyſicam imperfectionem in DEO arguunt, per ſe tamen & ex ſua natura moraliter neceſſarios neceſſitate commiſſionis omitteret, aut actus per ſe & ex ſua natura moraliter neceſſarios neceſſitate omiſſionis committeret.

V. Neque vero mirari ſubeat, cur multorum animis hæc opinio inſederit, quaſi omnis obligatio *ſuperioritatem* ejus, unde profecta fuerit, prærequirat, cum certe plerique ex *JCtorum* doctrinis tale quid hauriant, non attendentes, quod diverſa diſciplinarum genera confundantur, ſi ea, quæ in certo genere veriſſima manent, ad aliud doctrinæ genus transferre civilemque obligationem cum obligatione naturali, ſeu quæ in ipſa natura actionis fundatur, velint confundere ſuo periculo ac ſtudiorum moralium damno. Idem forſan *Grotius* indigitat, dum ſcribit, quod *actus* dentur, *qui nulli reddantur non ex vi ſu-*

periore, ſed ipſo jure. Lib. I. cap. 3. §. 16. num. 1.

VI. Sæpiſſime *lex æterna* in DEO accipitur, prout idem notat, quod judicium intellectus divini practicum de eo, quod naturæ cujuslibet rei convenit, cum decreto ut fiat conjunctum. Hoc ſenſu ſi ſumatur lex æterna in DEO, differt a jure naturali divino. Plura hac de re infra ſub finem *hujus capitis* obvenient.

VII. Nonnulli, ne minus verſatos in *morali doctrina* in errorem inducere videantur, abſtinent a talismodi locutionibus, quibus DEO jus naturale & obligatio proprie tribuitur, non quaſi hæ locutiones falſæ ſint, ſed quia minus tutum exiſtimant iis uti erga illos, quorum tamen plurimi ſunt, qui nec terminorum moralium ſatis gnari ſunt, nec ἀκρίβειαν moralem unquam cupiunt ſectari. Interim certiſſimum relinquitur, quod ſicuti creatura intelligens recta ſua ratione valet aſſequi, quod ex natura certorum actuum ſibi neceſſitas moralis incumbat committẽdi tales actus, ut ſunt: ſtare promiſſo, ſervare jusjurandum &c. ſic DEUS quoque intellectu ſuo practico cognoſcat, quod in genere morum neceſſarium ſit, ut ſervet, quæ hominibus promiſerit, & in quæ juraverit. Et hoc eſt, quod indicare volunt, qui jus DEO cum hominibus commune aſſerunt

& cum

&cum *Moraliſtis* regulam intrinſece juſti, quæ lex DEI æterna vocetur, in DEO agnoſcunt, non quaſi a parte rei differat a DEO, ſed formaliter, hoc eſt, ex parte connotati, noſtroque concipiendi modo in natura actuum fundato.

VIII. Juris naturalis divini nulla datur cauſſa efficiens formaliter talis, cum iſtud quoad rem ipſe DEUS ſit. Non enim, ceu ex *Theologia naturali* liquet, realiter inter ſe differunt: DEUS, intellectus DEI, judicium practicum intellectus divini. Unde ſolummodo cauſſa efficiens virtualiter talis, ut Metaphyſici vocant, ipſe DEUS eſt, ipſa vero ratio cauſſandi virtualis, ut *Scholæ Doctores* nominant, eſt intellectus DEI practicus, quatenus nempe refertur ad actum ex ſua natura moralem, quique nullam Phyſicam imperfectionem in DEO involvit, ſicut exempli loco adferebantur talismodi actus: ſervare promiſſum, cadere promiſſo, ſervare jusjurandum, iſtud violare, qui actus utique nullam Phyſicam imperfectionem in DEO involvunt, ut tamen illi actus: ſtare promiſſo, ſervare jusjurandum, ſint ex ſua natura debiti; hi vero: cadere promiſſo, violare jusjurandum, ex ſua natura illiciti, utque DEUS ſecundum jus naturale ſano ſenſu agere dicatur, quando promiſſo ſtat, jusjurandum ſervat. Huc redit communis *Philo-*

ſopho-

ſophorum ac *Theologorum* doctrina, quando docent *DEUM poſſe omnia poſſibilia*, cum hac cautione: *quæ nempe non important defectum & imperfectionem phyſicam aut moralem.* Ratio, quam adhibent, hæc eſt, *quia ad illud ens, quod eſt infinite perfectum, requiritur, ut habeat omnem perfectionem ſimpliciter & formaliter. Perfectio autem ſimpliciter eſt etiam ſumma veritas, ſumma juſtitia* &c.

Alia juris naturalis diviſio.

§. 23. Jus naturale 3. aliud eſt primum, immediatum ac indemonſtrabile; aliud eſt ortum, ſecundarium ac demonſtrabile. Illud ſimpliciter & abſolute ſumptum eſt jus naturæ, quod in genere morum per rationem a priori, ſeu, ut alii loqvuntur, per prius & notius natura tradi nequit. Hoc eſt jus naturæ, quod in genere morum per rationem a priori, aut, ut alii loqui amant, per natura prius ac notius tradi poteſt.

Jus naturale immediatum quid?

Jus naturale mediatum quid?

NOTÆ.

I. Ratio hujus diviſionis a *modo cognoſcendi* deſumitur. Non enim æque facilis datur ratio cognoſcendi hujus, quam illius vel alterius actus intrinſecam moralitatem: Ita e. gr. facilius quis cognoſcit per

per ſe in genere morum neceſſarium eſſe, ut quis ſuum cuique jus tribuat, ne quis alterum lædat, h. e. injuria afficiat: Longe vero difficilius eſt, ſatis ac ſufficienter moralem perſpicere neceſſitatem hujusmodi actuum, quales ſunt: ſervare promiſſum, propter vere alienum delictum neminem punire.

II. Quemadmodum omnibus, qui ſolidis *analyticæ doctrinæ* fundamentis ſe imbutos credunt, conſtare poteſt ac debet, quod propoſitionem in *moralibus* per rationem a priori tradere idem ſit in rei veritate ac accurate & ſolide docere, quodque accurate & ſolide docere reipſa nihil ſit aliud quam demonſtrare: Ita jus naturale immediatum dicetur illud, quod doceri nequit; Et e contrario jus naturale ſecundarium appellabitur iſtud, quod doceri poteſt: Eſt autem docere hoc loco idem, quod propoſitionem per rationem maxime propriam, neceſſario ac certo veram, immediatam inferre. Ita enim ſi ratio ſeſe habeat, deque ea certus reddatur auditor, quod propria, neceſſario certoque vera ac immediata ſit, πεπαιδευμένῳ auditori ſolidamque juris naturalis ſcientiam quærenti ex aſſe poterit ſatisfacere.

III. Hinc nemo παιδεία, h. e. diſcendi docendique prudentia inſtructus non videt, immane quantum ſibi aliisque impo-

ponant, qui doctrinam juris naturalis vel ſibi, vel aliis præcipere, ſeu quod eodem redit, ſolidam juris naturalis univerſi doctrinam aut diſciplinam tradere aut percipere ſatagunt, nec tamen in *Metaphyſices* ac *Analytices* ſtudio magis verſati ſunt, quam ranæ virides in nucibus arboribus, atque inter diſcendum aut docendum tandem proprio aliorumque manifeſtiſſimo periculo ac damno diſcere volunt, quid ſit recte diſcere in Academia ac recte docere. Nam ut ingenue verum fateamur, vel ſolus & ſaltem non quotidianus ac perpetuus neglectus ſtudii Metaphyſici, & quod præcipuum eſt, Analytici ſtudii cauſa eſt, cur alii neſciant juris civilis doctrinas a juris naturalis doctrinis ſecernere, alii vero, quicquid ex ipſorum cerebro natum eſt, pro ſolidis juris naturalis fundamentis fumumque pro igne vendant, ut quilibet fere hodie putet ſe gloriam magni nominis ſibi acquiſiviſſe, ſi novam methodum & nova fundamenta juris naturalis monſtret, totque celeberrimos JCtos & Philoſophos vel hoc ipſo, quod per vetera hactenus docuerint, conviтiis proſcindat. Quid fiet tandem, ſi quod cuilibet ſua dictat opinio aut quisque ſomniat, hoc pro jure naturæ habebit.

§. 24.

§. 24. Sunt autem duo jura naturalia prima, immediata ac indemonſtrabilia: Unum eſt: Per ſe ac ſuapte natura honeſtum eſt appetendum. Alterum: per ſe ac ſuapte natura turpe eſt fugiendum. Vulgo vocantur prima principia moralia, item prima juris naturalis principia. Dicuntur etiam prima principia Jurisprudentiæ naturalis, prima principia in ratione practica, generalia morum, leges naturæ fundamentales, fontes moralitatis, prima moralia, primo prima moralia.

Abſolute prima moralia quot & quænam ſint?

Synonyma & tituli primorum moralium.

NOTÆ.

I. Sermo erat de juribus naturalibus ſimpliciter ac abſolute primis ac indemonſtrabilibus, h. e. quæ ſimpliciter rationem a priori moralem reſpuunt. Nam *Moraliſtæ* ſolent diſtingvere inter *jura naturæ ſimpliciter ac primo prima* & inter *jura naturæ ſecundum quid ac ſecundo prima*. Iſta modo definita reliquimus: Secundo prima dicunt, quæ rationes a priori morales agnoſcunt, per quas doceri queant ac diſci, interim in ſe adeo facilia perceptu ſunt, ut vix ullam mereantur demonſtrationem, imo abſque demonſtratione ab illis quoque, qui

qui quid demonſtratio ſit neſciunt, nec unquam doctrinas Analyticas ſectari volunt, intelligi queant, eorumque conſenſu recipiantur & approbentur.

II. Ita nemo facile fuerit, qui de veritate horum jurium naturalium: Suum cuique jus tribue, Neminem injuria affice, dubitaverit. Sane omnes, qui ſaniori judicio præditi ſunt, ſive ſtudium juris naturalis excoluerint, ſive minime, hæc effata pro veriſſimis habent ac ſatis evidentibus. Accedit, quod qui has illasve doctrinas morales accuratiores in auditorum πεπαιδευμένων animis relinquere ſatagunt, ſæpenumero ad talismodi jura naturalia ſua dogmata reducere ſoleant inque illis tanquam per ſe evidentibus acquieſcere, non quaſi ea ſimpliciter prima ac indemonſtrabilia cenſeant, ſed quod quilibet in eorum notitiam facile pervenire poſſit. Ecquis vero tam hebes foret, ut ſi cenſuiſſet dari per ſe ac ſuapte natura honeſta vel turpia, nondum tamen valeret aſſequi, quod per ſe ac ſuapte natura honeſtum ſit jus ſuum alteri tribuere; item, quod per ſe ac ſuapte natura turpe ſit aliquem injuria afficere.

III. Huc forſan *Imper. Juſtinianus* reſpicit, dum §. *Juris præcepta 3. Inſt. de Juſt. & Jure* mentionem Jurium: *Alterum non lædere, ſuum cuique tribuere*, facit.

IV. Non

IV. Non eſt, cur declarare in præſenti velimus, qua ratione jura naturalia dentur, quæ neque primo primorum, neque ſecundo primorum moralium nomine indigitari ſoleant aut commode queant: Et certe niſi talia eſſent, fruſtra expectaretur ſolida juris naturalis doctrina, ut ita hoc ipſum probare velle nihil eſſet aliud, quam σύνταγμα Juris naturalis exhibere. Progreſſus hujus laboris id indicabit luculentiſſime.

§. 25. Jus naturale 4. aliud eſt jus naturalis pietatis, aliud jus naturalis probitatis, aliud jus naturalis juſtitiæ. Jus naturalis pietatis eſt, quod dictat homini recte ſe gerere erga DEUM: e. gr. jura naturalis pietatis ſunt: Cole DEUM ſuper omnia; Non habe Deos alienos coram ipſo, &c. Jus naturalis probitatis eſt, quod dictat homini recte ſe gerere erga ſe ipſum: e. g. jura naturalis probitatis ſunt: Si corpus impetatur vi præſente cum periculo vitæ non aliter vitabili; vi tuere vitam etiam cum interfectione periculum inferentis. Non fac αὐτοχειρίαν &c. Jus naturalis juſtitiæ eſt, quod dictat homini recte ſe gerere erga

Alia juris naturalis diviſio.

Jus naturalis pietatis quid?

Jus naturalis probitatis quid?

Jus naturalis juſtitiæ quid?

erga proximum: e. gr. jura naturalis juſtitiæ ſunt: ſerva quod promiſiſti, gratum animum benefactori exhibe, mutuum redde, non fac homicidium, adulterium, furtum &c.

NOTÆ.

I. Petitur hæc diviſio a triplici *objecto*, ut *Scholis* dicitur, *perſonali.*

II. *Jure naturalis pietatis* cultus DEI immediatus ſignificatur, quo de *lib. II. cap. 20.* disquiſitio fiet.

III. Jus dictans homini recte ſe gerere erga ſe ipſum vocavimus *jus naturalis probitatis.* Cuivis id commodiori nomine indigitanti lubentiſſime ſuffragabimur. Poſſet etiam jus naturalis Φιλαυτίας dici, ſi uſus loquendi ferret, & non Φιλαυτία, ut ea vox intelligitur, turpitudinem moralem includeret. De hoc tractabitur *hujus libri capite tertio*, magis vero *ſequentis libri capite primo.*

IV. Quia juſtitiæ voce audita plerique concipiunt λόγον πρὸς ἕτερον, reſpectum ad alterum, placuit appellare jus naturæ dictans homini recte ſe gerere erga ſeipſum *jus naturalis juſtitiæ.* Nam uti reſpectus ad alterum, qui formalis ratio eſt, ſub qua bona præciſe ad juſtitiam particularem, nec ad aliam virtutem moralem

per-

pertinent, in eo vulgo conſtituitur, quod bona aliena ſunt ſive perfecto jure alteri debentur, ita jus naturæ dictans homini recte ſe gerere erga proximum verſatur circa proximo debita cum ſtricto ac perfecto, tum laxo ac imperfecto jure, quo de *infra* pluribus in doctrina juſtitiæ videbimus, & quidem *hoc ipſo capite*.

§. 26. Non paucis admodum placet 5. diſtinctio juris naturalis in ſimpliciter tale & in relatione ad certum hominis ſtatum tale. Jus naturale ſimpliciter tale vocant, quod quemvis hominem obligat, in quocunq; etiam vivat ſtatu. Jus naturale in relatione ad certum hominis ſtatum nominant, quod hominem, prout in certo vivit ſtatu, obligat. E. gr. jura naturalia abſolute & ſimpliciter talia ſunt: Cole DEUM, ſerva promiſſum, non fac furtum &c. quia omnes, qui in ſtatu hominis vivunt, tenentur colere DEUM, ſervare promiſſum, omittere furtum &c. Contra e. g. jura naturalia in relatione ad certum hominis ſtatum ſunt: Ale fœtum, non expone fœtum &c. quia hiſce juribus homines in ſtatu ſocietatis patriæ conſtituti obligantur.

Alia juris naturalis diviſio.

Jus naturale ſimpliciter tale quid vocetur?

Jus naturale in relatione ad certum hominis ſtatum quid appellent?

NOTA.

Quæ circa hanc diſtinctionem notatu digniora occurrunt, *lib. II. c. 5.* enodabuntur.

§. 27. *Jus voluntarium eſt jus, quod ex libera auctoris ſui voluntate quali originem ducit.*

[*Grotius* §. 13.]

NOTA.

Ex voluntate originem ducere idem eſt ac hoc, quod tale ſit aut fiat, non aliunde habere aut accipere, niſi a libera auctoris voluntate.

§. 28. *Jus voluntarium duplex eſt: divinum & humanum.*

[*Grotius* §. 13.]

NOTA.

Uti voluntas eſt vel increata ſeu divina, vel creata, quæ iterum eſt vel angelica, vel humana: Ita jus voluntarium, prout nempe originem ducit ex creata voluntate, potuiſſet rurſus diſtingvi in angelicum & humanum: Sed quia de corpore juris angelici nihil in præſenti ſumus ſolliciti, merito *Grotius* jus voluntarium ſtatim diviſit in divinum & humanum.

§. 29.

§. 29. *Jus voluntarium divinum eſt, quod ex voluntate DEI ortum habet.* Tale jus voluntarium erat quælibet lex ceremonialis & forenſis qua talis populo Judaico a DEO lata.

[*Grotius* §. 15.]

NOTÆ.

I. *In hoc jure divino locum habere poteſt, quod nimium indiſtincte dicebat Anaxarchus apud Plutarchum in Alexandro: non ideo id DEUM velle, quia juſtum eſt, ſed juſtum eſſe, id eſt, jure debitum, quia DEUS voluit. Grotius* §. 15. *n.* 1. Alias enim jus naturale ſano quoque ſenſu divinum jus dici poteſt, cum quatenus *DEUS ſecundum illud de ſe judicari patitur*, *Grotius* §. 10. *n.* 5 tum quia ut rectæ rationis, ita juris nuturalis in nobis DEUS auctor eſt, de quo tamen jure divino hoc poſteriori ſenſu tali nequit dici, quod ſit juſtum, id eſt, jure debitum quia DEUS voluit, ſed potius, quod id DEUS voluerit, quia per ſe juſtum eſt ac ſuapte natura debitum. *Grotius* §. 10. *n.* 1. & 2.

II. Jurium voluntariorum divinorum: ceremonialium & forenſium, ſedula inſpectio hunc imprimis habet uſum: Quia ius naturale perpetuum eſt & adeo immutabile, ut ne a DEO quidem mutari

queat, certiſſimi ſumus, quod ea, quæ legibus ceremonialibus & forenſibus præcepta ſunt, non poſſint eſſe per ſe ac ſua natura turpia jureque naturæ prohibita, quodque ea, quæ legibus ceremonialibus & forenſibus prohibita ſunt, non poſſint eſſe per ſe ac ſua natura honeſta jureque naturæ præcepta, *Grotius §. 17. n. 2.*

III. *Grotius §. 15. n. 1.* diſtinguit inter *jus divinum voluntarium toti humano generi* & *inter jus divinum voluntarium uni populo*, ſoli nempe Judaico, *peculiariter datum*. De hoc ex *Moſis libris* ſatis liquet: Illud vero non temere auſim aſſerere. Equidem *Grotius n. 2.* ſcribit: *Humano generi ter jus datum reperimus: 1. ſtatim poſt hominem conditum. 2. in reparatione humani generis poſt diluvium. 3. in ſublimiori reparatione per Chriſtum.* Verum quod jura toti humano generi ſtatim poſt hominem conditum, ut & in reparatione humani generis poſt diluvium data attinet, neſcio ubi ea reperire potuerit, niſi apud Talmudicos, qui ſoli iſta memorant. Scilicet valde iſti celebrant ſex præcepta præter legem illam *de non comedendo fructu* Adamo tradita, voluntque eſſe: I. על ע״ז, *de cavenda idololatria.* II. על ברכת השם, *de cultu DEI.* III. על שפיכות דמים, *de effuſione ſanguinis* ſeu homicidio. IV. על גילוי עריות, *de non revelanda turpitu-*

pitu-

pitudine ſeu fugiendo illicito concubitu. V. על הגזל *de rapina* ſeu furto. VI. על הדינים, *de judiciis* ſeu judiciorum adminiſtratione. Et hæc *ſex præcepta* poſtea itidem Noacho data cenſent, huic tamen una cum iſtis aliud novum præceptum impoſitum volunt VII. על עבר מן החי, *de membro animalis vivi non comedendo*. Inde fit, ut vulgo dicantur *ſeptem præcepta Noachi*, de quibus videantur *Johannis Seldeni* (quem *Grotius in florum ſparſione ad Jus Juſtinianeum pag. m. 36.* Virum *juris non Hebraici tantum & Romani, & Anglici, ſed omnis omnino doctiſſimum* vocat) *libri de Jure naturali & gentium juxta diſciplinam Ebræorum*, qui forſan loco ampliſſimi in illa præcepta commentarii eſſe poſſunt. En *Grotium* judaizantem! Mirari ſubeat, cur tantus Vir *Talmudicorum* auctoritati, dicam, an potius figmentis immane tantum tribuerit, & quod majus eſt, majorem quandoque fidem talismodi traditionibus, quam Rabbini ipſi, fecerit. Nam ut *Dn. Johannes* Friſchmuth / Socer omni pietatis cultu æternum a me ſuſpiciendus, *diſſertatione prima de ſeptem Noachi præceptis* docet, ipſe *R. Maimonides*, quem *eruditorum diverbio ineptire deſiiſſe* ſcribit, in ea ſententia fuit, quod *ſex antea recenſita præcepta neutiquam Adamo voce divina tradita*

fuerint, adeoque nec per traditionem ad poſteros manarint, ſed quod in ipſa creatione DEUS homini ea inſeverit ac indiderit, ut unicuique, niſi honeſtatis notitiam plane decoxerit, conſtare poſſit iſthæc mortales vi rationalis obligare, idque iſtum Rabbinorum Coryphæum Maimonidem perſpexiſſe ex eo colligit, quod expreſſe dicat Hilk. מלכים *cap. 9.* הדעת נוטה לזה, *naturalis ratio illuc inclinat.* Item הכרע הדעת, *naturalis ratio ſuadet.* Unde a me pie venerandus Vir nullus dubitat, quin *Rabbi Maimonides, etiamſi a ſocienis recedere ipſi alioquin non fuerit integrum, ac ipſemet cabalam ſive traditionem more judæis recepto crepuerit,* tamen *ſtudiis Philoſophicis innutritus, raro inter recutitos exemplo acutius viderit, quam cæteri, utpote qui multum in Ariſtotele ejusque Interpretibus verſatus fuerit, ut vel ſolus ipſius liber* מורה נבוכים, *Doctor perplexorum ſatis ſuperque teſtetur, ac præclarum elogium, quod Ariſtoteli tribuerit, ſic ſonans:* דעת ארסטו היא תכלית דעת האדם מלבד ומי שנשפע עליהם השפע האלהי עד שישיגו על מעלת הנבואה אשר אין מעלה ממנה *Ariſtotelis eruditio terminus eſt humanæ doctrinæ, excepto tantum influxu divino, qui nonnullis contingit, ut gradum prophetiæ conſequantur,*

tur, quo ſuperior datur nullus. Epiſt. ad R. Samuelem Aben Typon. pag. 381. Septimum præceptum Noacho ſupra priora additum fuiſſe collegerunt ex *Gen. IX. 3. 4.*

IV. Rem liceat paulo uberius proſequi. Unde quæſo *Grotius* tandem probatum dabit, ſex illa præcepta eſſe jura divina voluntaria, a DEO hoc ordine autmodo, primum Adamo, deinde Noacho tradita perque traditionem in omnes homines derivata? Cur enim DEUS, ſi illa præcepta dediſſet, omiſiſſet præceptum de honorandis parentibus, quod *Talmudici* comminiſcuntur longe poſt demum ſecutum in *Mara*, cum tamen ipſe *Grotius lib. II. cap. 20. §. 30.* præceptum de honorandis parentibus primo loco ponat, ſicque pluribus illis ſic dictis Noachi præceptis præferat, imo & inter ea delicta, quæ cum ſecunda tabula Decalogi pugnant, peccatum contra quartum præceptum pro omnium maximo habere videatur. Deinde cur Sacer Codex nullibi recenſeret illa præcepta, vel narraret talia Patribus data fuiſſe? Tertio, imo potius contrarium teſtari videtur Scriptura Sacra, quando expreſſe τὰ ἔθνη vocat τὰ μὴ νόμον ἔχοντα *Rom. II. 14.* Quarto, probabiliſſimum credo, *Flavium Joſephum*, diligentem cumprimis antiquitatum Judaicarum inveſtigatorem & ſcriptorem, qui-

que,quæ brevibus in Scriptura Sacra indicata, latius exponere ſolitus eſt, procul omni dubio,ſi traditiones veræ eſſent, rem tanti momenti ſingulari diligentia notaturum fuiſſe. Quinto, quæ in fingendis traditionibus *Rabbinorum* ſit felicitas, quælibet illuſtriora ſibi viſa antiquiſſimis Patribus & Prophetis, ut prophetiam de ſex millenariis mundi, quæ in *Pandecte Talmudico Maſſech. Sanhedrin cap. XI.* legitur, quod ſcilicet ſex millibus annorum ſubſtiturus ſit mundus, Eliæ, atque ſimilia, adſcribere non erubeſcentium, *Grotium* tanti nominis Virum, latere non poterat. Sexto, verius ergo apparet, hæc præcepta materialiter divina eſſe, atque maximam partem ipſiſſima jura naturalia, atque hinc omnes ubique obligare. Unde quoque ex *Ebræorum* monumentis Socer deveneran-dus in modo citata *diſſertatione* §. *14.* deducit *citra immanitatis & barbariei efferatæ notam, quin & omnimodam deletionem ea violaſſe neminem.* Ab ipſis quoque Rabbinis inſigniuntur talismodi titulis, quibus non *Moraliſtæ* modo aliiq; *Philoſophi morales*, ſed & *Socrates, Plato, Ariſtoteles, Seneca* pluresque alii *Gentiles Philoſophi* jura naturalia cenſuere. Vocant ea מצוות, item שכליות, intellectiva, & שנתפרסמו בכל אומות *omnibus gentibus notoria & publicata.* Denique Decalogum inſpi-

inſpicienti non obſcure liquet, *ex ipſo & præcipuis aliquibus præceptis illa ſumpta & hoc modo diſpoſita fuiſſe. Fere quomodo apud Chriſtianos Symbolum Apoſtolorum habitum pro opere Apoſtolico, quaſi ab ipſis Apoſtolis conſtitutum, quod certum, diu poſt illos, quamvis ex ipſorum doctrina congeſtum fuiſſe. Ita ſeptem illa Noachi præcepta non ex naturali adeo, quam ex Moſis lege, cujus etiam methodum referunt, ſumpta, & temere a quibusdam ſub Adami nomine commendata fuerunt.* Verba ſunt *Johannis Hoornbeeck* תשובה יהודה ſive *pro convincendis & convertendis Judæis lib. 7. de lege c. 1. pag. 448.* qui, ut & ſæpius citata *diſſertatio de ſeptem præceptis Noachi,* pluribus videantur.

V. De jure voluntario toti humano generi a DEO dato in ſublimiori reparatione per Chriſtum, cujus *Grotius* ultimo loco mentionem facit, variæ ſunt opiniones. *Sociniani* præcepta Chriſti nova duum faciunt generum: alia additamenta Decalogi ad legem Moſis; alia Chriſti propria. Ita enim *Catecheſis Racov. de Prophetico Chriſti munere cap. 1. quæſt. 1. Quænam ſunt perfecta mandata DEI per Chriſtum patefacta?* Reſp. *Pars eorum continetur in præceptis a Moſe traditis, una cum iis, quæ eis ſunt in novo fœdere addita: pars vero continetur in iis, quæ peculiariter*

ter ipſe Chriſtus præſcripſit. Pariter *Smalcius de divinit. Chriſti cap. 5. Præcepta*, ait, *quæ Chriſtus revelavit, duplici modo comparari poſſunt: Quædam ſunt additamenta & perfectiones iſtius partis legis Moſaicæ, quæ moralis appellatur:* (ceremoniales enim & forenſes leges eſſe abrogatas a Chriſto agnoſcunt *Sociniani*) *quædam vero ſunt plane ſingularia & nova.* Similia, ut *Hoornbeeck* teſtatur, habent *Oſtorodus Inſtitut. cap. 22. Volkelius de relig. lib. 4. cap. 5. Schlichtingius diſp. contra Meiſnerum art. 4.* Et quidem præceptis Decalogi addita fuiſſe cenſent in ſpecie hæc: Ad primum, 1. *generale præceptum de faciendis precibus.* 2. *formulam orationis Dominicæ.* 3. *præceptum de adorando Chriſto*, quod ſcilicet ei divinum cultum deferre, ipſum adorare propter ſuam Majeſtatem, & ea, quibus indigemus, ab ipſo petere debeamus propter ſupremam ejus poteſtatem. Ad ſecundum, unicum *de cavendis idolis & idolothytis*, quod non ſolum imaginibus nullum cultum deferre, ſed etiam illas penitus fugere teneamur, imo & loca illa, in quibus coram ſimulacris procidunt, ut ea colant, easque res, quæ illis ſacratæ ſunt. Hic notandum, quod *Sociniani* (inſervientes hypotheſi *Reformatorum* cui itidem *Grotius* in eorum, qui *Calvinum* ſeqvuntur, religione & natus juxta & edu-

catus ſervit, ut ex *l. 2. cap. 20. §. 45.* lucu-lentiſſime conſpicitur) ſecundum præceptum Decalogi dicant eſſe præceptum de non faciendo ſculptili, quod noſtrates Theologi exegeſin ſeu explicationem præcepti primi de non habendis Diis alienis, ejusque quaſi appendicem cenſent. Ad tertium, quod nobis ſecundum, *1. de omittendo juramento levi*, ita ut nobis non ſolum non in rebus falſis, ſed nec in veris jurare licitum ſit, niſi ex urgentibus cauſis DEI gloriam attingentibus ad id adigamur. *2. de non aſſumendo in vanum nomine DOMINI noſtri JESU CHRISTI*, & quod etiam JESUS CHRISTUS vocari poſſit in teſtimonium, quodque ipſe ſit ſcrutator cordis. Quartum, quod Noſtratibus tertium, totum eſſe ceremoniale & ad Chriſtianos nihil pertinere adeoque in N. T. abrogatum volunt. Ad quintum, quod nobis quartum, ajunt additum, *de officiis mutuis parentum & liberorum, magiſtratus & ſubditorum, maritorum, & uxorum, dominorum ac ſervorum*, inprimis quod illi erga hos ita ſe gerere debeant, ne patres liberos irritent, ut Magiſtratus ſemper cogitent ſe habere a DEO poteſtatem. Ad ſextum, quod nobis quintum, *1. de diligendis inimicis, 2. de non concipienda ira adverſus proximum, omittendis conviciis, non intentanda vindicta*, ne proximum ulla

ulla verborum acerbitate lædamus, vindictamque neque per noſmetipſos, neque per Magiſtratum exerceamus. Ad ſeptimum, quod nobis ſextum, 1. *de fugienda concupiſcentia alienæ uxoris*, ne quis alterius uxorem adſpiciat ad concupiſcendum eam, cum is etiam adulter fiat. 2. *de illicita Polygamia & fugiendo divortio extra caſum adulterii*, quod nempe qui repudiat uxorem ſuam niſi ob adulterium, & aliam ducit vel repudiatam ducit, adulterium committat. 3. *de fugienda omni impuritate*, ut ſcil. vitemus ſcortationem, turpiloquia, geſtus, contrectationes libidinoſas ac quævis obſcœna. Ad octavum, quod nobis ſeptimum eſt, *de vitanda avaritia*: Avaritiam autem definiunt, cum plura concupiſcimus, quam ad noſtram & noſtrorum temporalis vitæ ſuſtentationem neceſſaria ſunt, reliquas divitias, ſi cui ſuppetant, ad DEI gloriam pauperum videlicet ſuſtentationes adhibendas eſſe. Ad nonum, quod nobis octavum eſt, *de fugiendis mendaciis temerariis, ſimulationibus, & diſſimulationibus, detrectationibus, condemnationibus temerariis* &c. Ad decimum, quod apud nos duo diſtincta præcepta: nonum & decimum, ſunt, *de vitandis concupiſcentiis rerum alienarum*, ne eas ullo modo concipiamus, cum lex moralis vetus prohibeat ſaltem, ne illis delectemur.

mur. Illis præceptis, tradunt *Sociniani*, Chriſtum veterem Moſis moralem legem perfeciſſe atque adimpleviſſe. *Propria* autem *Chriſti præcepta* conſtituunt *tria*: 1. *de ſui abnegatione*, quod quis ſeipſum negare, 2. *de tolerantia crucis*, quod crucem ſuam portare, 3. *de imitatione Chriſti*, quod Chriſtum ſequi debeat. Ita expreſſe *Smalcius contra Franzium diſp. 4. de juſtif. p. 93. At fides*, inquit, *quæ eſt ſub N. F. præter ea, quæ olim a fidelibus requirebantur, requirit etiam obſervationem eorum, quæ partim ad legem ſunt addita, de quo Matth. V. 6. 7. & alibi, partim tanquam nova prorſus a Chriſto præcepta, qualia: abnegatio ſui ipſius, portatio crucis ſuæ, & imitatio Chriſti, quorum ne veſtigium in lege extat.* Peculiare quoque *jus ceremoniale novum Sociniani* perhibent Chriſtum tuliſſe, nempe *de ſacra Cœna.* Hæc de *Socinianorum* ſententia. Plures ex *Anabaptiſtis* ut & alii eo abierunt, ut nihil æque neceſſarium crederent, quam ut credatur novam legem humano generi a Chriſto latam eſſe. *Franciſcus Svarez*, quamvis *tractatu ſuo de legibus*, de eo, an lex voluntaria olim toti humano generi lata fuerit? parum ſollicitus ſit; *libro* enim *nono*, in quo agit *de lege divina veteri, capite primo*, ubi hanc quæſtionem tractat, inter pauca alia §. 4. *pag. m. 616.* ſcribit: *Ante legem Moſis probabile eſt dediſſe DEUM*

homi-

hominibus interdum unum, vel aliud peculiare præceptum oportunum pro illo tempore juxta conſilium voluntatis & ſapientiæ ſuæ. Et quibusdam interjectis: *Sic enim probabile eſt, etiam angelis dediſſe DEUM poſitivum præceptum.* Verum quæ dediſſe autumet, non addidit. *De nova* tamen *lege divina* per Chriſtum lata prolixiorem tractationem inſtituit *integro libro decimo*, eamque *veram & propriam legem, & CHRISTUM DOMINUM perfectiſſimum legiſlatorem* aſſerit ac contra *Lutherum lib. de libert. Chriſtian. Calvinum, Bezam* aliosque omnibus viribus defendere conatur. Vid. totum *caput primum.* Interim multum abit ab ea ſententia, quæ *Socinianorum* eſt. Ipſe enim expreſſis verbis ſcribit *cap. 2. §. 5. p. 699. in lege nova nullũ eſſe additum a Chriſto præceptum poſitivum morale, ſi morale ſtricte ſumatur, ut a ceremoniali diſtinguitur.* Idem fere tradit *ſeqv. §. 13. p. 701.* hiſce verbis: *De moralibus præceptis duo vel tria breviter dicenda ſunt. Primum eſt in præceptis Decalogi & in illis contentis Chriſtum nihil præcepiſſe in rigore legis & obligationis, quod non eſſet de jure naturæ.* Hoc per ſpecialia eundo *ibidem* declarare nititur. *Secundo dicitur in explicanda hac lege morali multa Chriſtum addidiſſe, quæ ad exactam illius obſervationem utiliſſima ſunt, & propter ignorantiam hominum, vel per erro-*

errorem & deceptionem latebant, ut late exponit Auguſtinus in lib. de ſerm. DOMINI in monte, & Thomas I. II. quæſt. 108. art. 3. Tertio dicendum eſt, multa conſuluiſſe Chriſtum in hac materia morali, quæ non ad obligationem præcepti, ſed ad perfectionem vitæ ſpiritualis pertinent. Unde ſumendo late legem novam, ut comprehendit præcepta & conſilia, ſic verum eſt multa Chriſtum addidiſſe in materia morali, quæ ſunt ultra præcepta legis naturalis, & quæ in lege veteri data non erant. Tandem *per ſe notum* ait, *§. 16. pag. 702. nova præcepta de ſpeciali ſacrificio & ſpecialibus ſacramentis a Chriſto data.* Eandem ſententiam *Thomas Moraliſtarum* alias *Princeps* ante *Svarezium* tuitus eſt *I. II. quæſt. 108. artic. 1.* qui alias *quodlib. 4. a. 13.* dicit, *legem novam eſſe contentam præceptis moralibus naturalis legis, & articulis fidei, & ſacramentis gratiæ.* Sunt inter *Noſtrates*, qui ſe videre negant, quid impietatis aut abſurditatis ſubſit, quo minus admittenda ſint nova vitæ ac morum præcepta, quæ Chriſtus inprimis *Matth. V. & proxime ſeqq.* item alibi tradiderit, quæ tamen omnia citra præjudicium doctrinæ de juſtificatione, unice ad commendandam altioris ordinis, quam V. T. fuerit, ſanctitatem dicta volunt, nullatenus cum *Socinianis* conſentientes. Maximæ auctoritatis *Theologorum noſtratium*

ſententia eſt, Chriſtum nec novas tuliſſe, leges, quæ in V. T. quoad rem non extiterint, nec Decalogi præcepta novis auxiſſe additionibus, quæ implicite in illis contenta non fuerint, ſed eum repetiiſſe ſaltem, declaraſſe, & a Phariſaicis corruptelis vindicaſſe præcepta Decalogi. Maximi honoris ac obſervantiæ cauſa nomino venerabilem Seniorem, *Dn. Johannem Muſæum*, Theologum de univerſa Chriſti Eccleſia & Academia noſtra meritiſſimum ac indies de bono publico inſigniter merentem, Præceptorem ſumme colendum, ceu Collegio Anti-Sociniano *diſp. 9.* de Chriſto *quæſt. 2.* nos informavit. Prolixe etiam & ex profeſſo eandem ſententiam proſecutus eſt *Johannes Hoornbeeck, Theologiæ Prof. in Academia Ultrajectina*, qui *Socinianiſmi refutati tomo ſecundo lib. II. cap. 2. de præceptis Chriſti* videatur, ubi inprimis hoc urget, quod lege perpetuæ & communis obſervantiæ ſub N. T. æque ac ſub Veteri neceſſaria, lege nempe morali, quia perfectum doceat amorem erga DEUM, ſeipſum & proximum, omnia contineantur, quæ officii noſtri ſint aut eſſe poſſint, Chriſti vero doctrina non ſit doctrina præceptorum primo ac principaliter. Hoc ita deducere ſatagit *p. 374. Hoc Moſis fuit, præcepta vivendi tradere; quod & tam plene præſtitit copioſeque, ut, quemadmodum perfecto*

nil

nil addi poteſt, neque illis hoc in genere quidpiam ſuperaddi. Chriſtus vero modum ſalutis expoſuit & redemtionis, & ad hunc tum promerendum ſeu impetrandum, tum explicandum & (ex eo promerito, ut antea promerendo) applicandum, in mundum venit. Moſes legiſlator: Chriſtus Salvator fuit. Salvator non per legem ejusque opera, ut alia præcepta prioribus addere oportuerit; ſed per Evangelium ejusque meram, & operibus in juſtificandi modo paſſim oppoſitam, gratiam. Uti enim Moſes & Chriſtus, ſic Lex & Evangelium, gratia & opera in ſalutis negotio ſunt oppoſita. Et hic, alia eſt juſtificatio legalis, alia Evangelica. Quoque illa minus poſſibilis, hoc minus neceſſe fuit a Chriſto alia præcepta tradi vel legem aliam. Pergit: *Eumque in finem Sociniani theſin illam de lege & præceptis Chriſti perfectioribus arripuerunt, ut hinc errorem graviſſimum in articulo de juſtificatione hominis ſtatuminarent. Nam quia docent hominem coram DEO juſtificari, non quod Eccleſia orthodoxa, per juſtitiam Chriſti nobis imputatam, ſed per opera ſua, ſive obedientiam præceptorum Chriſti, quo hoc a lege, cui juſtificationis noſtræ per Chriſtum modum opponi paſſim ignorare non poſſunt, parumper diverterent, addiderunt obedientiam præceptorum, non legis tantum, ſed & Chriſti. Hinc diſputatio de præceptis Chriſti,*

quia per opera nos juſtificari dictitant: & de præceptis Chriſti perfectioribus ſupra legem, ut ſpeciem & colorem, quem juſtificationis Evangelicæ a legali ſcil. diſtinctæ, ſervare viderentur. Sed inanem revera ſpeciem, & præter nomen nihil. Nam nihil hoc pacto juſtitiam noſtram, qua coram DEO, in judicio ejus, ſubſiſtimus, conſtituit, quam legis aut præceptorum obſervatio, ſive a Moſe, ſive a Chriſto præſcripta. Illudque quod materiam juſtitiæ noſtræ præbet, noſtrum eſt totum, & nil niſi operum obſervatio. Subjicit ſtatim ἐπίκρισιν ſuumque judicium de *Pontificiorum* conſiliis Evangelicis ſequentem in modum: *Eodem ex fonte nata ſunt Pontificiorum conſilia Evangelica, ſua Sociniani præcepta appellant, pari omnia modo fineque, ut juſtificationem gratuitam obſcurent & invertant, doceantque hominem ſuis operibus & obedientia, ſeu conſiliorum illorum, ſeu præceptorum Evangelicorum, coram DEO juſtificari. Quare etiam Socinus ad Matth. V. pag. 46. in ſententiæ explicatione, illam quoque Pontificiorum adducit, de conſiliis.* Sed plus ſatis hac de re, quam totam exacto venerandorum *Theologorum* judicio lubens meritoque relinquo. Prolixitati hujus annotationis B. L. veniam dabit, cujus cauſa fuit, quod adeo magnam fidem *Rabbinorum*, *Pontificiorum*, *Socinianorum* traditionibus in

in hac materia tribuat, easque per illuſtre ſuum *de jure belli & pacis opus* & fere per ſingula capita hinc inde diſſeminaverit. Maxime vero easdem commendavit *lib. I. c. 2. §. 5. lib. II. c 5.* §. *13.* Item *lib. I. c. 3. §. 3. lib. II. cap. 1.* §. *4. 10. 13. cap. 13.* §. *21. cap. 20.* §. *10.* & alibi paſſim. Et hoc ſemel ſufficiat monuiſſe, nullibi vero in progreſſu noſtræ introductionis id iterum animadvertemus, quamvis frequens ejus cautionis occaſio nobis obventura ſit, cum uti diximus ſæpius ex hujusmodi hypotheſibus *Grotius* diſſeruerit.

VI. Quid vero jam de Decalogo dicemus: eſtne unus idemque cum jure naturæ, an diſtinctus ab eo & quomodo? Dicendum videtur, quod nec totus Decalogus ſit jus naturæ, nec formaliter ſit totum jus naturæ. Non totus Decalogus arguit præcepta juris naturæ, cum præcepto de certo aliquo tempore peculiariter cultui divino & beneficiorum a DEO præſtitorum meditationibus impendendo innectatur ſabbati ceremonia, hacque ratione non ubique eandem vim habeat, nec quamvis rationalem creaturam obliget. Idem docere gaudeo *Dn. Georg. Gœzium*, Virum de Academica Juventute meritiſſimum & indies de Eccleſia Chriſti inſigniter merentem, Anteceſſorem meum, Præceptorem & Promotorem filiali ſemper

& ſi qua major eſt, obſervantia colendum *obſervationibus ſuis in Guilielmi Grotii de principiis juris naturalis enchiridion* ſua laudabili cura editum, publice quondam prælectis, & quarum publica ac promiſſa expreſſio avide a pluribus deſideratur, *obſervat. 3. ad cap. 5. §. 7. Præceptum*, ait, *de ſanctificando ſabbato, eatenus, quatenus fluit ex opere creationis, h. e. ſeptimum diem ſanctificare jubet, naturalis juris hautquaquam eſt, ſed divini poſitivi, quia nihil quod cultum DEI ad definitum locum, tempus aut perſonas reſtringit, eſt naturale præceptum.* Nec vero Decalogus formaliter eſt totum jus naturæ. Dico formaliter: Jus naturæ enim expreſſe non tradit prima moralia, nec primo prima, nec ſecundo prima, h. e. nec abſolute prima principia, de quibus §. *24. pag. 63.* egimus, nec illis proxime cognata, ſed jura naturalia mediata, hoc eſt, concluſiones quasdam juris naturalis, nec tamen omnes. Interim quia Decalogus ſive lex moralis fundamentum ſuum habet tam in generaliſſimis illis, quam ſpecialibus præceptis, quippe nec aliud præcipit, quam quod ex ſe & ſua natura honeſtum eſt & intelligenti naturæ conveniens, nec aliud prohibet, quam quod ex ſe & ſua natura turpe eſt & intelligenti naturæ diſconveniens, ſi ſabbati ceremoniam excipiamus, ſano ac veriſſimo

mo ſenſu dici poteſt, quod Decalogus illa contineat, quæ principia juris naturalis ſupponant, & iſta, ex quibus partim per propiores, partim per remotiores conſequentias alia jura naturalia deduci queant. Hoc autem immenſæ DEI bonitati imputamus, quod ea denuo promulgare voluerit, quæ jam in omnium hominum notitiam venerant eo ipſo, quo rationales creati ſunt, & quorum promulgatione opus non erat. Benigniſſimum Numen noſtræ ſive tarditati, ſive pravitati ea, qua in nos eſt, ineffabili bonitate ſubvenire voluit.

§. 30. *Jus voluntarium humanum eſt, quod ex voluntate humana ortum habet. Eſt ergo hoc triplex: Civile, latius patens, arctius.* *Jus voluntarium humanū quid & quotuplex?*

[*Grotius* §. 14.]

§. 31. *Jus civile eſt* jus voluntarium humanum, *quod a poteſtate civili qua tali proficiſcitur*, civitatique per ſe proprium eſt. E. g. quando princeps legem fert ſubditis, de non geſtandis gladiis, de non exportando frumento, de ſeptem ad teſtamentum teſtibus adhibendis. *Jus civile quid?*

[*Grotius* §. 15.]

NOTÆ.

I. *Ariſtoteles jus legitimum* vocat legis vocabulo ſtrictius poſito.

II. *Poteſtas civilis eſt, quæ civitati præeſt. Eſt autem civitas cœtus perfectus liberorum hominum, juris fruendi & communis utilitatis cauſa ſociatus. Grotius §. 14. n. 1.* De his ex inſtituto *lib. I. cap. 3.* agetur.

Jus arctius quid? § 32. *Jus arctius eſt jus voluntarium humanum, quod a poteſtate, quæ civitati præeſt, non venit, ſed a poteſtate, quæ minori ſocietati præeſt*, qua tali: e. gr. præcepta patria, quæ ſcil. pater liberis, dominica, quæ dominus ſervis, domeſtica, quæ paterfamilias domeſticis fert, & ſi qua ſunt ſimilia.

[*Grotius §. 14.*]

NOTÆ.

I. Quantum ſocietas civitate minor a civitate, tantum jus, quod *arctius Grotio* dicitur, a jure civili differt.

II. Uti vero aliæ ſocietates civili poteſtati ſubjici, ita & jura illa arctiora ſubdita eſſe poſſunt.

III. Non tamen requiritur, ut reapſe ſubdita ſint. Obtinuerunt antiquitus taliſmodi jura, cum nulli mortalium in civitatem

tatem adhuc coiviſſent. Sparſim ſane antiquitus habitatum, & quemque patremfamilias fuiſſe regem ſuæ domus, hoc eſt, domui ſuæ tum imperaſſe ac leges tuliſſe, etiam *Ariſtoteles* fatetur, ne id ex ſacræ hiſtoriæ monumentis probare ſit neceſſum. *Ariſtoteles lib. I. Polit. cap. 2.* Conſulatur *Dn. Hermannus Conringius lib. de civili prudentia cap. 6. pag. 83.*

§. 33. *Jus latius patens eſt jus voluntarium humanum, quod ex gentium* qua talium *omnium aut multarum voluntate vim obligandi accepit.* Dicitur communi nomine *Jus gentium.* e. gr. jura gentium ſunt: Legati ab hoſte miſſi ſunto inviolabiles, præſcriptione quæſitum diverſæ genti aut diverſæ gentis rectori vel etiam ſubdito relinquitor, hoſtis veneno non occiditor. *Jus latius patens. Jus gentium quid?*

[*Grotius* §. 14.]

NOTÆ.

I. Variæ juris gentium acceptiones ſunt: 1. accipitur *pro* ipſo *jure naturæ*, quatenus omnes omnino gentes obligat: Ita ſumit ipſe *Grotius jus gentium lib. I. cap. 2. §. 4. num. 1.* ubi expreſſe ſcribit, quod *jus naturale etiam jus gentium* dici poſſit. Elegans

gans de ea acceptione locus eſt apud *Xenophontem libro de dictis & factis Socratis: Noſti etiam, o Hippia, leges quaſdam eſſe non ſcriptas, nempe eas dicis, quæ apud omnes gentes peræque obſervantur. Poteſne igitur dicere, illas ab hominibus latas eſſe? Quomodo,* inquit, *qui neque unum in locum omnes convenire, neque ſermone uno uti poſſint? A quibus ergo leges iſtas latas arbitraris? Equidem a Diis arbitror eas datas hominibus fuiſſe. Etenim apud omnes gentes prima illa poſita lex eſt, ut DEUM veneremur. Præterea lex ubique eſt, ut honorem parentibus deferamus* &c. Hæc ille Oratorum maximus *lib.* 3. Officior. *Neque vero,* ſcribit, *hoc ſolum natura, id eſt, jure gentium, ſed & legibus populorum eodem modo conſtitutum eſt.* Et 1. *Tuſc. ep.* 117. *In re conſenſio omnium gentium jus naturæ putanda eſt.* Hæc *Cicero.* Ratio hujus appellationis manifeſta eſt. Quod jus enim obligat omnes omnino homines, obligat etiam gentes, gentes quippe ſunt homines. Lubet tranſcribere ea, quæ hanc in rem diſſerit *Thomas Hobbes libello de cive cap.* 14. *n.* 4. *pag. m.* 234. *Lex naturalis dividi poteſt in naturalem hominum, quæ ſola obtinuit dici lex naturæ; & naturalem civitatum, quæ dici poteſt lex gentium, vulgo autem jus gentium appellatur. Præcepta utriuſque eadem ſunt: Sed quia civitates*

ſemel

ſemel inſtitutæ induunt proprietates hominum perſonales, lex, quam loquentes de hominum ſingulorum officio naturalem dicimus, applicata totis civitatibus, nationibus ſive gentibus, vocatur jus gentium. Et quæ legis & juris naturalis elementa hactenus tradita ſunt, translata ad civitates & gentes integras pro legum & juris gentium elementis ſumi poſſunt. Hac *Hobbes.*

II. Jus gentium 2. quandoque ſumitur *pro jure civili*, qua ſignificatione *Grotius* plus ſimplici vice, inprimis vero *lib. II. cap. 6. §. 1. n. 2.* uſus eſt. Rationem hujus appellationis *ibidem* exponit *Grotius*, eaque huc tendit: Sicuti conſtat jus civile per ſe eſſe proprium uni civitati, originem quippe ducit ex libera voluntate ejus, qui uni alicui civitati præeſt: Ita ſi ex accidenti fiat, ut aliquod jus civile uſu & approbatione fiat pluribus civitatibus ſicque pluribus gentibus commune, tunc tale jus civile certo modo dici poteſt & interdum ſolet jus gentium: e. gr. *homines rerum domini, ut dominium, aut totum, aut ex parte, transferre poſſint, juris eſt naturalis poſt introductum dominium, ineſt enim hoc in ipſa dominii, pleni ſcilicet, natura: Ut vero traditio etiam requiratur, ex lege eſt civili, quæ quia a multis gentibus recepta eſt, jus gentium improprie dicitur.* Verba ſunt *Grotii* loco jam citato. Multa ergo hoc

hoc ſenſu juris gentium dici poſſunt, quæ omnia ex jure eſſe civili certiſſimum eſt. Quamvis enim *jus civile* alias *a jure gentium diſtinguatur, quod omnes populi, qui legibus & moribus reguntur, partim ſuo proprio, partim communi omnium hominum jure utuntur, nam quod quisque populus ipſe jus ſibi conſtituit, id ipſius proprium civitatis eſt, vocaturque jus civile quaſi jus proprium ipſius civitatis §. Jus autem 1. Inſt. de Jure nat. gent. & civil.* licet de eo quoque nemo dubitet, quod *jus civile ex unaquaque civitate appelletur, veluti Athenienſium. Nam ſi quis velit Solonis vel Draconis leges appellare jus civile Athenienſium, non erraverit. Sic enim & jus, quo Romanus populus utitur, jus civile Romanum appellamus: vel jus Quiritum, quo Quirites utuntur. Sed quotiens non addimus nomen, cujus ſit civitatis, noſtrum jus ſignificamus, ſicuti cum Poëtam dicimus, nec addimus nomen, ſubauditur apud Græcos egregius Homerus, apud nos Virgilius §. Sed jus 2. eod. tit.* tamen quia *nullus fere in hunc diem non fatetur jus illud* (quod ſcil. noſtræ civitati per ſe proprium eſt) *omnium Chriſtianarum gentium uſu & approbatione commune ideo effectum, quia non auctoritate cujusquam & imperio, ſed per ſe continuisque rationum viribus adrepat animis legentium, miraque etiam arte ac ingenio, ac boni &*

peri-

periti artificis inſtar componat ſingula quæq; in rebus ſeu privatis ſeu publicis, verba ſunt *Antonii Mornacii* JCti inque Senatu Pariſienſi Patroni, *in l. 1. de Juſt. & Jur.* quid obſtaret, quo minus jus civile noſtræ civitati proprium, in quantum pluribus gentibus certe moratioribus atque regnis ob ſingularem æquitatem uſu & approbatione commune factum eſt totque Rebuspublicis convenit, per accidens jus gentium diceretur.

III. Singularem *Juris gentium* acceptionem reperire eſt apud *Livium*, quam tertio loco notare lubet, dum *librum quartum* ſic orditur: *Hos ſecuti M. Genutius & P. Curiatius Conſules. Fuit annus domi foriſque infeſtus. Nam anni principio & de connubio Patrum & plebis C. Canulejus tribunus plebis rogationem promulgavit, qua contaminari ſangvinem ſuum Patres confundique JURA GENTIUM rebantur.* Hæc *iſte*, qui voce: *gens*, in prorſus alia ſignificatione, atque quæ hujus loci eſt, utitur. Per *gentem* enim *Livius* genus ac gentilitatem intelligit, quam ſe ſolos habere patricii gloriabantur, quod eſt idem atque gentiles eſſe. Hoc ſatis liquere puto ex *lib 10.* ubi certamen inter Appium Claudium & Publicum Decium Murem de ſvadenda diſſvadendaque lege a tribunis plebis promulgata, ſimulque inter plura alia,

hæc

hæc P. Decii verba referuntur: *Noli erubeſcere, Appi, Collegam in ſacerdotio habere, quem in cenſura, quem in conſulatu collegam habere potuiſti: cujus tam dictatoris magiſter equitum, quam magiſtri equitum dictator eſſe potes &c. Semper iſta audita ſunt eadem, penes vos auſpicia eſſe, vos ſolos GENTEM habere, vos ſolos juſtum imperium & auſpicium domi militiæque: æque adhuc proſperum plebejum ac patricium fuit, porroque erit. En Romæ unquam fando audiſtis patricios primo eſſe factos, non de cælo demiſſos, ſed qui patrem ciere avumque poſſent, id eſt, nihil ultra quam ingenuos? Conſulem jam patrem ciere poſſum, avumque jam poterit filius meus. Nihil eſt aliud in re Quirites, niſi ut omnia negata adipiſcamur. Certamen tantum patricii petunt, nec curant, quem eventum certaminum habeant. Ego hanc legem, quod bonum fauſtum felixque ſit, vobis ac Reipubl. uti rogaſtis, jubendam cenſeo.* Juvat hic in majorem rei evidentiam adducere diſcrimen gentis ac familiæ, cum *multi ac ſummi viri*, ceu obſervat *Carolus Sigonius*, (quem *Cl. Gronovius & antiquitatis peritiſſimum & bonorum ſcriptorum intelligentiſſimum & eruditiſſimum nominat, ut ſi quid reliqvum ſit in Livio, perexiguum videri debeat, in quo levi parvaque opera alii defungantur præf. in Titi Livii hiſtorias*) utroq;

nomi-

nomine promiſcue utantur, qui vero melius quam laudati *Sigonii* verbis: *Illud intereſt, quod GENS ad nomen, familia ad cognomen refertur. Itaque illa tanquam totum continere videtur, hæc quodammodo partem: exempli cauſſa: Cornelii omnes unius gentis eſſe dicuntur, quia uno nomine continentur omnes, at vero partes gentis hujus ſunt plures, quæ ex cognominum varietate diſtinctæ ſunt, eæque familiæ dicuntur, ut Cornelii Dolabellæ, Cornelii Cethegi, Cornelii Scipiones, Cornelii Lentuli: itemq; in cæteris. At vero Cornelii omnes unius exiſtunt gentis.* Vidd. ejus *Scholia in Livii lib. 4. pag. m. 96. edit. Mod.* Hinc *Feſtus lib. 7. gentem* definit, *quæ ex multis familiis conficitur. Livius lib. 38. Scipio Naſica orationem habuit plenam decoribus non communiter Corneliæ GENTIS, ſed propriæ familiæ ſuæ.* Apud *Svetonium* ſic loquitur Julius Cæſar: *Ab Anco Marcio ſunt Marcii Reges, quo nomine fuit mater: a Venere Julii, cujus gentis familia eſt noſtra. Livius lib. 9. Duodecim familiæ Potitiorum fuerunt, cum gens Potitia tota interiit.* Quando igitur *Livius* ait: *De connubio Patrum & plebis C. Canulejus tribunus plebis rogationem promulgavit, qua contaminari ſanguinem ſuum Patres confundique jura gentium rebantur*, hoc & nihil aliud videtur indicare: Videbant Patres futurum eſſe, ut

ut ſi connubia Patriciorum & plebis admitterentur, incerta prole auſpicia turbarentur, quæ tamen *lege Romuli Regis* ſolis patriciis erant commiſſa. Ita enim expreſſe *Livius lib. 6. in oratione Appii Claudii contra tribunos: Quid de religionibus atque auſpiciis, quæ propria Deorum immortalium contemptio atque injuria eſt, loquar? auſpiciis hanc urbem conditam eſſe, auſpiciis bello ac pace, domi militiaque omnia geri, quis eſt, qui ignoret? penes quos igitur ſunt auſpicia more majorum? nempe penes Patres. Nam plebejus quidem magiſtratus nullus auſpicato creatur: nobis adeo propria ſunt auſpicia, ut non ſolum quos populus creat patricios magiſtratus, non aliter quam auſpicato creet, ſed nos quoque ipſi ſine ſuffragio populi auſpicato inter regem prodamus, & privatim auſpicia habeamus, quæ iſti ne in magiſtratibus quidem habent. Quid igitur aliud quam tollit ex civitate auſpicia, qui plebejos conſules creando a patribus, qui ſoli ea habere poſſunt, aufert?* Et paucis interjectis: *Majores noſtri maximam hanc rem fecerunt, nunc nos tanquam jam nihil pace Deorum opus ſit, omnes ceremonias polluimus.* Gentem enim ſacra ſequebantur, ac magna omnino cura ab eadem conſervabantur, id propter *gentilitia ſacra* dicta, quia erant communia toti genti, h. e. omnibus ac ſingulis unius generis familiis.

Hinc

Hinc apud *Poëtam Æneas* ex capta urbe fugiens patrem ita alloquitur:

Tu genitor cape ſacra manu, patriosque penates.

Et paulo poſt:

- - - Teucrosque penates commendo ſociis, & curva valle recondo.

Imo & ſepulchrorum jura ſequebantur ſacra, & gentem. Sic enim *Cicero libro ſecundo de legibus: Jam tanta religio eſt ſepulchrorum, ut extra ſacra & gentem inferri fas eſſe negent. Cajus* JCtus: *Familiaria ſepulchra dicuntur, quæ quis ſibi familiæque ſuæ conſtituit l. familiaria 5. D. de religioſis & ſumptibus funerum.* Conf. *l. vel quod paterfamilias 6. D. eod. tit.* Hinc illa inſcriptio: *Telaunius Genetlius Nummularius: de Baſilica Julia natione Beſſ. ſibi & conjugi, liberis, libertis libertabusque; deinceps de domo ſua deſcendentibus poſuit.* Vid. *Briſſonius 2. ſelect. 14.* Inde quoque ſi quis fuerat hæres, deinde hæreditas ablata fuerat ei, quaſi indigno, magis erat, ut penes eum ſepulchra remanerent: quemadmodum & penes eum, qui hæreditate ſe abſtinuiſſet *l. ſi quis fuit 33. & l. vel quod 6. D. eod. tit.* Et quid clarius tandem videri poterat iſtis verbis, quibus eodem loco, ubi paulo ante *Livius* dixerat: *Patres contaminari ſanguinem ſuum confundique jura gentium rebantur,* hæc

ipſa *Livii* verba explicata eodemque modo conſpiciuntur, dum Patres conqueruntur, *colluvionem* (ita enim *antiquus codex* teſte *Beato Rhenano in annotat.* habet) *perturbationem auſpiciorum publicorum privatorumque afferre.* Itaque informari cupio, qua ratione evinci poſſit, quod jus gentium ipſi dicto loco idem ſit, quod facultas ad actus & negotia peregrinis in civitate Romana competens, quodque matrimonia dicantur juris civilis, non juris gentium, quod eorum ſoli cives, non item peregrini, Romæ participes eſſent. Fortaſſis potius matrimonia ad *Livii* mentem juris gentium dicenda eſſent.

IV. *Graviſſimi celeberrimique Viri*, qui nempe dubitant, an *gentium jus*, uti quidem juri naturali contradiſtingvitur & a gentibus ipſis pro arbitratu conſtitutum dicitur, recte & proprie ſic dictum jus ſit? quibusque nihil aliud videtur eſſe quam id, quod plures gentes non fortuito, aut altera alterius imitatione, ſed quaſi ex compacto ſibi inter ſe conſtituerunt, non magis nomine legis cenſendum quam omnia omnium pacta, cum etiam leges commiſſoriæ aliique contractus, aut pacta contractibus addita non raro nomine legis appellentur, volunt etiam *gentium legem* dici poſſe non ſolum illud pactum, quod inter multas aut plerasque gentes,

ſed

ſed quoque pauciores,imo ſaltem duas intercedit: Ita inter Hiſpanos & Batavos peculiariter conſtitutum erat,ut bello captus a captore ſe ſuo menſis unius ſtipendio poſſet redimere. Inter Cyrum & Aſſyrium, teſte *Xenophonte*, olim convenerat, ut cum agricolis pax eſſet. Obſervat *Hugo Grotius l. III. cap. 12. § 4.* in ſuperiori Belgico-Germanico bello ſumma cum religione & utilitate idem obtigiſſe, exteris mirantibus, ita *ut Agricolæ intacti ac velut ſacroſancti imo prope caſtra & agmina opus feciſſent, ſepoſiti a periculo*, ceu morem veterem Indorum *Diodorus Siculus* delineat.

V. Aliam igitur ſignificationem *juris gentium Grotius* indicare voluit præter modo enumeratas & quaſcunque alias, dum nempe *jus gentium* pro jure poſitivo proprie ſic dicto, peculiari & juri naturali contradiſtincto habuit.

§ 34. Melioris ordinis gratia lubet indicare potiſſima juris naturalis a jure voluntario diſcrimina. Differunt enim 1. materia. Nam materia juris naturalis qua talis eſt actus intrinſece moralis, h. e. *per ſe ac ſuapte natura* aut honeſtus aut turpis: Juris autem voluntarii qua talis, materia eſt actus ex ſua natura indifferens, h. e. per ſe

Diſcrimina juris naturalis & juris voluntarii quænam ſint? Quomodo differant ratione materiæ?

ac ſuapte natura nec honeſtus, nec turpis.

[*Grotius* §. *10. n. 2.*]

NOTÆ.

I. *Materia legis* nihil aliud eſt quam objectum legis, h. e. actus, qui lege præcipitur aut prohibetur: e. g. objectum juris naturalis eſt adulterium, objectum juris voluntarii geſtatio gladii.

II. Studio mentionem fecimus juris naturalis *qua talis*, ut & juris voluntarii *qua talis*. Dantur enim jura mixta, h. e. talismodi leges, quæ partim naturales ſunt, partim voluntariæ: e. gr. lex prohibens adulterium ſub comminatione pœnæ capitalis eſt lex mixta, partim ſcilicet naturalis, quatenus actum ex ſua natura turpem ac illicitum prohibet, item quatenus adulterium punire, æqualitatem inter malum actionis ſeu delictum & inter malum paſſionis ipſamque adeo pœnam ſervare præcipit: partim voluntaria, quatenus determinat pœnam transgreſſorique pœnam capitis adjudicat. Quippe jus naturale qua tale præcipit quidem inter delictum & pœnam ſervare æqualitatem, eam tamen non determinat. Add. *l. jus civile 6. D. de juſt. & jure l. vel pugnantia 188. §. quæ rerum 1. D. de regg. juris.*

III. Utrius-

III. Utriusque juris cum naturalis, tum voluntarii, materiam *Ariſtoteles V. Nicom. cap. 10.* indicat, dum juris naturalis materia ipſi eſt ὃ πανταχοῦ τὴν αὐτὴν ἔχει δύναμιν καὶ οὐ τῷ δοκεῖν ἢ μὴ, *quod ubiq;* (in ſe) *eandem vim habet, & non quod huic vel illi ita videatur vel non videatur*: Contra pro juris voluntarii materia *d. l.* habet ὃ ἐξ ἀρχῆς μὲν οὐδὲν διαφέρει, οὕτως ἢ ἄλλως, id, *quod ab initio nihil refert, an ſic vel aliter fiat.* Add. *§. ſed naturalia 11. Inſtit. de I. N. G. & C. l. probrum 42. D. de verbor. ſignific. l. eas obligationes 8. D. de capite minutis l. ſed de pecunia 2. §. quo SCto 1. D. de uſufructu earum rerum, quæ &c. l. jura ſangvinis 8. D. de regg. juris.*

§. 35. Differunt jus naturale & jus voluntarium 2. forma. Formæ rationem ex parte juris naturalis dicit ipſa honeſtas per ſe & ipſa turpitudo per ſe ac ex natura actus reſultans, per rationem cognita ut in ſe eſt: E contrario ex parte juris voluntarii rationem formæ habet *voluntas*, quæ actui in ſe & ſua natura indifferenti neceſſitatem pro arbitrio ſuo ſuperaddere ſicque jus voluntarium formaliter conſtituere valet, (a qua etiam *jus voluntarium* denominatur) non quidem

Quomodo jus naturale & voluntarium differant ratione formæ?

quælibet, ſed aut ejus, penes quem, eſt poteſtas ferendi inferiori qua tali legem, quæ tanquam fundamentum legis civilis aut civili minoris prærequiritur, aut gentium omnium vel moratiorum, quatenus eum finem libere voluerunt, ex cujus neceſſitate ſic dictum jus gentium ſequitur.

[*Grotius* §. 14. & 15.]

NOTÆ.

I. *Forma* hic loci idem notat quod illud ipſum, quo unius juris objectum ab alterius juris objecto primo ac adæquate diſtingvitur: Inde quoque notio objecti *formalis* ſuam appellationem ſortita eſt. Sæpenumero tamen forma juris idem valet quod definitio juris.

II. Ita e. gr. jus naturale eſt: ſuum jus alteri tribue; jus voluntarium eſt: Uſucapione alteri acquiſitum relinque. Si jam quis quærat, cur juſtum ſit alteri jus ſuum relinquere? Ex *Grotii* mente dicendum erit, quia actus, quo jus ſuum alteri relinquo, certe talis eſt, ut quemadmodum homo ſano viſu præditus, qui intuetur cygnum, nequit aliter judicare, quam quod cygnus ſit albus, ſic quisque, qui ſatis novit uti recta ratione, ſi judicare velit

velit, num actus, quo ſuum jus alteri relinquit, ſit per ſe honeſtus adeoque ſuapte natura debitus? aliter judicare nequeat, quam quod talis ſit, idque propter jure naturali præceptus. E contrario ſi quæſtio moveatur, cur id alteri debeam relinquere, quod in ejus poſſeſſione eſt, ita quidem ut iſte bona fide rem poſſederit ac ſine omni contradictione, utque poſſeſſio memoriam excedat? *Grotii* judicio reſponderi nequit, quod talis actus ſit per ſe honeſtus ac ſuapte natura debitus: Nam ſi poſt aliquot dies aut annos rem bona fide ab altero poſſeſſam repetere poſſum, cur non poſt tempus memoriam excedens. Interim licet nulla ſit efficacia temporis, voluntatis tamen eſſe poſſet: In id enim omnes gentes conſenſiſſe præſumuntur, absque quo controverſiæ de regnis regnorumque finibus nullo unquam tempore extingverentur, absque quo dominia certa eſſe nequaquam poſſent, nec litium finis futurus eſſet. Itaque *Grotius* alteri jus ſuum tribuere per ſe juris naturalis, uſucapione alteri quæſitum relinquere juris voluntarii per ſe eſſe cenſet.

III. Formam legis voluntariæ, & in ſpecie civilis, ut JCti indicarent & a naturæ lege diſcernerent, *voluntatem legislatoris* dixerunt *ſpiritum & animam legis. Baldus in l. ſcire etiam D. de excus. tut. Tira-*

quellus in l. ſi unquam verb. ſi libertus n. 45. Huc refer. *l. non omnium 20. & ideo rationes 21. l. contra legem 29. l fraus enim 30. D. de legibus. § ſed & quod 6. Inſtit. de J. N. G. & C.*

IV. Interim probe ſemper diſpiciendum, an quæ lege voluntaria comprehenduntur, a ſola auctoris voluntate pendeant, num vero conjunctam habeant moralem rationem: Si prius, nihil refert, quomodo quid conſtituatur, an ſic, vel aliter: Si poſterius, omnino refert. Conf. *præced § not. 2.*

Quomodo Jus N. & J. voluntarium differunt ratione finis?

§. 36. Differunt jus naturale & jus voluntarium 3. fine. Juris enim naturalis qua talis finis eſt moralis perfectio cujuslibet hominis in ſe ſpectati & ut homo eſt, quod certe de nullo jure voluntario qua tali dici poteſt.

NOTÆ.

I. Venit alias perfectio moralis honeſtatis nomine. Et tanta quidem perfectio intelligitur, quanta in hac omnium rerum imperfectione haberi poteſt.

II. Juris voluntarii qua talis finis ſemper reſpectum importat ad voluntariam ſocietatem, ſive omnium ſociorum, ſive capitis tantum libera voluntate conſtituta ſit.

§. 37.

§.37. Differunt jus naturale & jus voluntarium 4. efficiente. Jus quippe naturale formaliter originem trahit ex recta ratione, uti voluntate prior eſt: Jus vero voluntarium qua tale ex libero ſui auctoris arbitrio qua tali.

Quomodo Jus N & voluntarium differant ratione cauſæ efficientis?

[*Grotius* §. 10. n. 1. & 2. §. 12. n. 1. § 13.]

NOTA.

Mutilatis terminis utuntur *Scholæ Doctores*, dum nempe diſtingvunt inter efficiens quod & quo: De hoc, non de illo, potiſſimum ſermo erat.

§.38. Differunt jus naturale & jus voluntarium 5. ſubjecto: Jus naturale obligat quemvis hominem ut hominem: Jus vero voluntarium neminem obligat ſine prævio reſpectu ad ſocietatem.

Quomodo ratione ſubjecti?

NOTÆ.

I. In vulgus nota diſtinctio eſt juris naturalis in illud, quod natura omnia animalia docuit, adeoque animantibus cum homine eſt commune, ut ita illius ſubjectum ſint homo & animantes: & iſtud, quod naturalis ratio inter omnes homines

conſtituit, ut adeo iſtius ſubjectum ſit ſo-lus & omnis homo. Illud vocant *jus naturæ primævum*, item *primarium*, iſtud *jus gentium primævum*, item *jus naturæ ſecundarium*, ortum. Diſcrimen hoc ex *Juris Romani libris* peti ſolet. Nam ita *Ulpianus l. Juri operam 1. § Jus naturale 3. D. de Juſt. & Jure: Jus naturale eſt, quod natura omnia animalia docuit. Nam jus iſtud non humani generis proprium: ſed omnium animalium, quæ in terra, quæ in mari naſcuntur; avium quoque commune eſt. Hinc deſcendit maris atque fœminæ conjunctio, quam nos matrimonium appellamus, hinc liberorum procreatio, hinc educatio. Videmus etenim cætera quoque animalia, feras etiam, iſtius juris peritia (perita,* ut legere mavult exacti judicii *JCtus Cujacius) cenſeri.* Et *§. jus gentium 4. eod. tit. Jus gentium eſt, quo gentes humanæ utuntur, quod a naturali recedere facile intelligere licet; quia illud omnibus animalibus, hoc ſolis hominibus inter ſe commune ſit.* Verum enim vero ſi *Grotii* judicio ſtandum, hoc *diſcrimen vix uſum ullum habet. §. 11. n. 1.* Rationem *ipſe* addit hanc: *Nam juris proprie capax non eſt niſi natura præceptis utens generalibus.* Quæ verba ſic intelligo: Ex omnium *Metaphyſicorum* accuratioribus ſcriptis hoc ſupponitur, quod natura regulæ conſiſtat in uſu. Item, quod regulæ inter-

internæ, qualis eſt lex naturæ, uſus conſiſtat in ratiocinatione, in quantum quidem conſcientia illud, quod lege comprehenditur, neceſſarium eſſe judicat, vel in ſe, ut in legibus naturalibus, vel ob inſignem neceſſitatem aut utilitatem, ut in legibus gentium, vel ob auctoritatem legislatoris, ut in legibus civilibus & arctioribus. Nam in naturalibus legibus conſcientia utitur illo principio: Ex ſua natura honeſtum eſt expetendum, ex ſua natura turpe eſt fugiendum. In legibus gentium iſto: Neceſſitas finis facit in Politicis jus. In legibus civilibus ac arctioribus hoc: Superiori obediendum eſt. Ex his principiis neceſſitas concluditur eaque efficaciter voluntati agentis proponitur, ut propria urgente conſcientia homo non poſſit non obligari. Imo ſalvo meliori judicio dicerem conſcientiam non tam eſſe regulam, quam regulæ uſum. Eſt quippe ſemper conſcientia concluſio, cujus major propoſitio eſt lex, minor notitia facti. Jam vero bruta omni omnino ratione carent, nec ejus capacia ſunt. Uſum igitur nullum haberet lex brutis lata, quia eſſet regula, qua bruta non poſſent uti: Fruſtra vero eſt omnis illa regula, cujus nullus uſus eſſe poteſt, cum omnibus doctoribus *Metaphyſicis* fatentibus natura regulæ in uſu conſiſtat. Idem *Grotius ibidem* egregiis

Hiſto-

Heſiodi, Ciceronis, Plutarchi, Lactantii, Polybii teſtimoniis confirmat. Alia,quibus eadem ſententia probari poteſt de facili, data opera prætereo.

II. *A communitate actus ad communitatem juris non valet conſequentia.* Nam alias & edere, & bibere, & vigilare, & dormire eſſent juris naturalis, quæ & ipſa nobis ſunt cum brutis communia.

III. *A communitate actus, qui juris naturalis eſt, ad communitatem ipſius juris naturalis non valet conſequentia.* Etenim *an actus ipſe, de quo jus naturæ conſtituit, ſit nobis communis cum aliis animantibus, ut prolis educatio: an nobis proprius, ut DEI cultus*, niſi cantillationes in quibusdam, in aliis alia, pro cultu divino ſatis inepte habere velis, *ad juris ipſam naturam nihil refert*, verba ſunt *Grotii §. 11. n. 2.* Imo certe multa, quæ communia ſunt homini cum brutis e. gr. coire cum parentibus, nocere aliis non nocentibus, hominibus prohibentur, brutis vero minime.

IV. *Ab eo, quod eſt naturæ, ad id, quod eſt juris naturæ, non valet conſequentia.* Sunt diſtincta: eſſe naturæ, & eſſe juris naturæ, imo quo confunduntur magis, eo accuratius ſunt diſtingvenda. Multa ſunt a natura, hoc eſt, ad multa natura inclinat, non tamen ea ſunt a lege naturæ, hoc eſt, non ea jubet natura, ut

fiant

fiant quæve adeo ſine peccato nequeant omitti, aut ut non fiant, quæve adeo ſine peccato nequeant committi. Ita multa, quæ bruta faciunt ſola incitatione naturali, ea ſi homines ratione faciant, jure naturæ feciſſe dicuntur, quo ſenſu *Cujacius* vult *l.1. §.3. D. de juſt. & jure* accipiendam eſſe, ut defendi queat.

V. Incidit quæſtio: *Quid videri poſſit obſtare, quo minus naturales inclinationes in brutis vim legis naturalis habere poſſint, cum ſint legis æternæ participationes?* In id certe *Moraliſtæ* omnes conſentiunt, quod lex naturæ ſit *participatio quædam & manifeſtatio legis æternæ.* Ita *Gregorius de Valentia tom. II. diſp. 7. qv. 4.* definit legem naturæ: *Lex naturalis eſt naturale rationis noſtræ judicium ſeu dictamen, quo per lumen nobis ab æterna lege impreſſum & inditum evidenter cognoſcimus ea eſſe facienda, quæ ita ſunt recta & naturæ noſtræ conſentanea, ut ea negligere ſit deforme & naturæ repugnans, & contra ea eſſe vitanda, quæ facere turpe ſit & naturæ rationali minime congruum.* Eamque definitionem in *Scholis Moralibus* receptam ac communiſſimam deprehendere eſt. Enimvero magna ambiguitate hic modus loquendi: *legem æternam participare*, laborat. Nam ſumitur lex æterna 1. *pro quavis regula morali neceſſariæ & æternæ veritatis naturaliter*

ter obligante ad id, quod in ſe ac natura ſua rectum eſt. Hac ratione ſumpta lege æterna, ſi ex eo quod inclinationes naturales in brutis ſint legis æternæ participationes, probare vellem eas in ipſis habere vim legis, non poſſet non in circulum revolvi omnis probatio. 2. Lex æterna ſumitur *pro ſumma atque æterna ratione ac voluntate DEI, quatenus res omnes ad deſtinatos fines ita dirigit, ut illis juxta conditionem ipſarum modum aliquem, & proprium ad agendum, & inclinandum imponat. Agentibus enim naturalibus modum agendi naturalem ac neceſſarium ipſorum naturis congruentem & accommodatum contulit: liberis vero agentibus per oppoſitum modum agendi liberum conceſſit, omnium rerum naturis ſe attemperans & accommodans.* Ita eam definit *Johannes de Rada Aragonius, Epiſcopus Pactenſis controverſiarum Theologicarum inter Thomam & Scotum ſuper quatuor libb. ſententiarum, lib. II. controverſ. 20. p. m. 501. Auguſtinus lib. I. de libero arbitrio cap. 6.* ſic legem æternam definit: *Summa ratio eſt in DEO & voluntas, cui ſemper obtemperandum eſt. Thomas* 1/2. *quæſt. 93. art. 1.* ſcribit *legem æternam nihil eſſe aliud quam rationem divinæ ſapientiæ, ſecundum quam dirigit omnium creaturarum motus & actiones in ſuos fines.* Imo vero nullus *Moraliſtarum*

rum circa hanc legis æternæ acceptionem diſſenſus datur, niſi hic, quod inter ſe nequeant convenire, num ſcilicet principalius actum intellectus, an voluntatis importet, cujus notatio ad præſens nihil facit. Credo hanc definitionem veriorem, qua lex æterna h. m. ſumpta definitur per judicium intellectus divini practicum de iis, quæ cujuslibet entis naturæ cōveniunt, cum decreto ut fiant conjunctum. Sed hoc modo participant legem æternam omnes res creatæ, non modo animantes, ſed & plantæ, imo etiam res inanimatæ. Cum enim lex æterna ſit ratio ab æterno in divina mente de modo regendi mundum & dirigendi omnes actus creaturarum, utique quæ divino regimini ſubduntur, ad legem æternam pertinent eique ſubſunt, quippe quæ tam late patet atque ipſa DEI providentia: Subeſſe vero directioni DEI omnes res creatas liquet, ex quo ſponte ſua fluit in DEO ab æterno fuiſſe rationem, ſecundum quam omnia gubernari & dirigi debeant, quod nihil aliud eſt, quam lex æterna. Res naturales omnes hac æterna DEI lege teneri ex *Pſ. CXLVIII. v. 1. laudate DEUM omnes Angeli ejus, verſ. 2. laudate eum omnes exercitus ejus. verſ. 3. laudate eum ſol & luna, laudate eum omnes ſtellæ* &c. *verſ. 5. ſtare fecit ea in perpetuum & in ſeculum, præceptum poſuit & non tranſgre-*

dietur, &c. v. 8. ignis, grando, nix, vapor, ventus turbinis faciens verbum ejus. Proverb. VIII. v. 27. 28. Quando præparabat cœlos, aderam, quando deſcribebat circino ſuperficiem abyſſi, quando firmabat cœlos, & librabat fontes aquarum & legem ponebat aquis &c. Id quod pulchre *Auguſtinus V. de civit. c. 11.* oſtendit. *Deum*, inquit, *qui non ſolum cœlum & terram, nec ſolum Angelum & hominem, ſed nec exigui animantis viſcera, nec avis pennulam, nec herbæ floſculum, nec arboris folium ſine ſuarum partium convenientia & quadam veluti pace dereliquit, nullo modo eſt credendum regna hominum eorumque dominationes & ſervitutes à ſuæ providentiæ legibus alienas eſſe voluiſſe.* Non indigna apparent verba *Adriani Heerbord Philoſophi Lugduno-Batavi* huc transferri, quando ita diſſerit *diſpp. ex Philoſophia ſelectarum 40. de lege æterna §. 2. p. m. 152. Ut in Deo eſt ratio rerum creandarum, quæ dicitur idea, ſic etiam eſt in ipſo ratio rerum gubernandarum, quæ dicitur lex æterna: & ſicut ratio rerum creandarum nihil eſt aliud quam conceptus divinæ mentis, quo concipit rem & judicat, quomodo illa ſit facienda: Sic ratio rerum gubernandarum, quam vocamus legem æternam, nihil eſt aliud quam conceptus divinæ mentis, quo concipit & judicat, quomodo unaquæque creatura debeat ſuas functiones*

obire

obire, adjuncta ſimul voluntate eam obligandi vel imprimendi inclinationem ad ſuam regulam ſervandam. Profecto ſi in rege aut principe particulari, multo magis in Deo, rege & principe univerſali, oportet eſſe quandam gubernandi normam & regulam, vel aliquam rationem, ſecundum quam omnium rerum adminiſtratio inſtituatur. Deus enim eſt ſapientiſſimus, quare nihil agit temere. Et quoq; omnia ab æterno diſpoſuit & in ſe ipſo mundum concepit, quo œconomiam mundi inſtituere, & præſertim actus humanos moderari ac dirigere vellet. Cum vero omnis gubernandi norma generali ſenſu lex dicatur, non male quoque æternam iſtam de mundi regimine rationem in & a divina mente conceptam legem appellamus, & quidem æternam, quia mens divina nihil novum in tempore concipit, ſed æternum habet de rebus omnibus conceptum; Neque enim Deus primum poſt conditum mundum de ejus œconomia cogitavit, ſed ab æterno, uti rerum creationem decrevit, ita creaturarum gubernationem diſpoſuit. Hæc *ille.* Uti ergo ratio in divina mente ab æterno concepta de modo regendi mundum & dirigendi omnes actus creaturarum dicitur & eſt lex æterna, ita ad legem naturæ, ut in moralib9 recte & proprie talis dicitur, certe quælibet participatio legis æternæ hoc modo ſumptæ non ſufficit.

VI. Huc ergo difficultas omnis redit: *Quo titulo quove ſenſu lex naturæ a Moraliſtis dicatur participatio quædam & legis æternæ manifeſtatio?* Illud vero exprimere facile eſt, ſi *antecedenti notæ* allatis legis æternæ acceptionibus tertiam adjiciamus, qua lex Dei æterna ſumitur præciſe pro *judicio intellectus divini practico, quo Deus cognoſcit, quænam cum natura rationali qua tali neceſſario conveniant aut diſconveniant cum decreto ut committantur aut omittantur.* Aut ut brevius efferam pro *judicio practico de in ſe ac ſuapte natura honeſtis ac turpibus, per ſe debitis ac illicitis.* Quando enim intimius penetramus modum, quo Deus in tempore judicat ac vult per ſe ac ſuapte natura honeſta ac debita eſſe proſequenda, per ſe ac ſuapte natura turpia eſſe fugienda, colligimus facile talem ab æterno fuiſſe in divina mente conceptum inque divina voluntate tale decretum. Quæcunque enim & quo modo in tempore Deus exequitur & exigit, ea & eo modo ab æterno exequi ac exigere decrevit per rationes legis ſuæ æternæ. Unde quæ in tempore homo ſecundum legem naturæ facit, ea Deus æterna lege conſtituit, adeoque quicquid lex naturæ in nobis & a nobis exigit, illud quoque ſancivit *νόμος αἰώνιος*, lex Dei æterna, ut proinde lex naturæ, ut in nobis eſt, derivetur a lege

æterna,

æterna, prout in Deo eſt, ſicque lex naturæ in nobis commodo ſenſu dicatur a *Moraliſtis participatio quædam & manifeſtatio legis æternæ*, ſeu ſi ita malis loqui, partialis expreſſio legis æternæ: e. gr. dictatum rectæ rationis humanæ de per ſe honeſto eſt: Serva promiſſum, utique hoc dictamen derivatur ab æterno dictamine divinæ rationis, quo Deus judicavit ab æterno promiſſum ſervandum eſſe, inque hoc dictamine conſiſtit pars æternæ legis. Ergo hæc lex naturæ; ſerva promiſſum, prout eſt in nobis, derivatur a lege æterna, ut eſt in Deo. Verum ſic potius aucta, quam imminuta videri poterat difficultas: Siquidem illud dubium ſub majori probabilitatis ſpecie redit, quod multa talismodi judicia practica, quæ in Deo ſunt lex æterna, in nobis lex naturæ, etiam in brutis ſint ut ita peculiari ratione lex naturæ homini cum cæteris animantibus communis dici poſſit, non item cum aliis rebus creatis, cum cæteræ res omnes, ſi genus animantium excipias, omni omnino judicio ſemper deſtituantur, ut id propter a participatione legis æternæ ad jus naturæ in rebus creatis vi cognoſcendi deſtitutis non valeat conſequentia, tamen valeat ad jus naturæ commune homini cum aliis animantibus. Eſto argumentum: Judicium, quo cognoſcitur educatio & defenſio ſo-

bolis, eſt judicium homini cum cæteris animantibus, non item cum aliis rebus creatis, commune. Judicium, quo cognoſcitur alendam & defendendam eſſe ſobolem, eſt proprie & recte ſic dictum jus naturæ. Ergo proprie & recte ſic dictum jus naturæ eſt homini cum cæteris animantibus, non item cum aliis rebus creatis commune, & per conſequens *Ulpianus* non valde *κατα̣χρη-ςικῶς* dixit: *Jus naturale eſt*, (ſubintellige *jus*) *quod natura omnia animalia docuit, nam jus iſtud non humani generis proprium, ſed animalium quoque commune eſt*, eaque ut recte & accurate dicta *Tribonianus* in *inſtituta* retulit. Major argumenti modo allati extra omnem dubitationis aleam poni debet. Minorem confirmat quotidiana experientia. At ſyllogismus vitioſus eſt in forma. Progreditur enim a non diſtributo ad diſtributum. Duplex quippe eſt hominis judicium de ſobolis educatione & defenſione. Unum ſenſitivum, quod competit homini quatenus eſt animal. Nam quia homines ut & cæteræ animantes numerum ſentientium complent, ideo judicium ſenſitivum cum illis, tum his, attribui debet. Alterum rationale, quod illi quatenus homo eſt adeoque ei ſoli convenit. Si ergo major & minor accipiantur, ut veræ ſunt, ſic evadunt quatuor termini. Major enim vera eſt de judicio, quod ſit

per-

per ſenſum ſeu facultatem ſentientem. Minor vera eſt de judicio, quod fit per facultatem rationalem nempe per intellectum. Et ſimilis erat ſyllogismus huic: Potentia cognoſcens eſt homini cum brutis communis. Potentia cognoſcens eſt intellectus E. intellectus eſt homini cum brutis communis. Quod ſi major & minor de eodem judicio intelligantur, vel ſenſitivo, ſic major vera, minor falſa eſt: Vel rationali, ſic minor vera, major falſa relinquitur. Facile quoque datur aſſequi, quid de ſequenti argumento judicandum ſit: Alere & tueri ſobolem eſt homini cum brutis commune. Alere & tueri ſobolem eſt proprie juris naturalis. E. quoddam quod proprie eſt juris naturalis eſt homini cum brutis commune & per conſequens etiam jus naturale quadantenus in bruta cadit. Totum argumentum ſententiæ eorum, qui brutis jus naturæ ſimpliciter omnique modo denegant, nihil certe detrahit, modo pernegent annexam conſequentiam, utpote quæ hujus argumenti concluſione colorari nequit. Nam per prius argumentum nihil aliud probabatur, quam quod quoddam, quod proprie juris naturalis eſt, materialiter ſumptum poſſit eſſe homini cum brutis commune. Et quis inter illos, qui jus naturæ nullatenus in bruta cadere cenſent, hujus aſſerti ſic intellecti verita-

tem non admitteret. Sed ſi quis inde elicere amplius velit, quod id, quod propriè juris naturalis eſt, formaliter ſumptum poſſit eſſe homini cum brutis commune, tunc ſane vitioſam nectit conſequentiam à materiali ad formale. Etenim *Jus naturale duo includit: Materiale unum, quod eſt v. gr. nutritio & protectio prolis: alterum formale, quod eſt convenientia cum naturali ratione & lege æterna. Quoddam, quod eſt juris naturalis, eſſe homini cum brutis commune quoad materiale evinci facili argumẽto poteſt, ſed inde nondum ſequitur, jus naturale ita cadere in bruta, ut æque ac homines illo obligentur. Ut enim non ſequitur: hic eſt naſus E. eſt ſimus, quia naſus eſt materiale ſimitatis: aut hoc eſt lignum E. eſt arca, quia lignum eſt materia arcæ. Haud magis audiendus eſt, qui ita argumentatur: In bruta cadit hic vel ille actus, & hic eſt materia juris naturalis E. in bruta cadit jus naturale.* His verbis mentem ſuam in *notis MSS. moralibus* alicubi expoſuit *B. Petrus Muſæus*, Theologus & Philoſophus dum viveret acutiſſimus. Ita quoque rem expediunt plures *JCti*, dum nempe diſtingvunt, ac jus naturæ *materialiter*, ut ipſi loquuntur, brutis tribuunt, *formaliter* non item, h.e. jus naturæ duabus partibus conſtare volunt: materia & forma: *Materiam* appetitum & naturæ inſtinctum vocant, quem brutis

com-

communem eſſe ajunt; *Formam* vero rationem, quæ his moderatur & imperat, quam ſententiam *Bachovius ad Treutler. diſput. 1. theſ. 4. lit. C. Antonio Fabro & aliis* tribuit, neque ipſe (advertente magni nominis *JCto Dn. Erico Mauritio diſſertationum de principiis juris publici ſpecimine c. 4. ſect. 1. § 7. p. m. 56.*) valde improbat *in comment. ad 1. partem Pandectarum ad tit. de juſt. & jure p. 21.* ubi tamen non fuiſſe eam *Ulpiani & Juſtiniani* ſententiam fatetur, & ita rem expediunt etiam *Hunnius ad princ. Inſt. de I. N. G. & Civ.* ac *Gœhaus. peric. Acad. part. 1. q. 2.* Imo monet modo laudatus *Dn. Mauritius* ſibi videri non aliter fere ſentire, qui quod jure facit homo, ſi faciat naturali incitatione idem beſtia, eſſe volunt juris naturalis, quam elegantem *Goveani, Cujacii, Giphanii & Heigii* diſtinctionem vocat *Dn. Harpprechtus ad princ. de Jur. Nat. Gent. & civil. n. 2.* Lubet ipſa celeb. *Mauritii* verba adſcribere: *Quia hi agnoſcunt duo requiri ad id, ut aliquid vere ſit juris naturæ, materiam & formam, quorum alterum idque præcipuum deeſſe in brutis agnoſcunt, itidem neceſſario nobis dant, non eſſe homini cum brutis communionem juris hujus naturæ, adeoque cum illis non plus nobis negotii erit, quam cum iis, qui improprie jus naturæ brutis tribuunt. Eo enim ipſo, quod hoc dicunt,*

negant proprie illis competere, de iis autem ſolis, quæ proprie vera ſunt, nos in præſens inquirimus.

VII. Hoc unicum addimus tantum abeſſe, ut hæc *Moraliſtarum* aſſertio, qua jus naturæ participatio & manifeſtatio legis æternæ eſſe dicitur, jus naturæ brutis cum hominibus commune indicet, ut potius hocce ſuo aſſerto *Moraliſtæ* e diametro oppoſitam ſententiam ſtabilire ac firmiter deducere ſatagant. Nam quod jus naturale in homines, non vero in cæteras animantes cadat, hoc ipſo certe probant, quod rationem formalem juris, i.e. convenientiam cum lege æterna cæteræ animantes non cognoſcant, Deus autem hanc convenientiam per dictamen rectæ rationis, quo bruta carent, homini manifeſtavit. Audiamus ipſum principem Moraliſtarum *Thomam*, qui *I. II. quæſt. 91. artic. 2. §. Reſpon. Dicendum* tradit ſeqq. *Lex cum ſit regula & menſura, dupliciter poteſt eſſ in aliquo: Uno modo ſicut in regulante & menſurante. Alio modo, ſicut in regulato & menſurato: quia in quantum participat aliquid de regula, vel menſura, ſic regulatur, vel menſuratur. Unde cum omnia, quæ divinæ providentiæ ſubduntur, a lege æterna regulentur & menſurentur, manifeſtum eſt, quod omnia participant aliqualiter legem æternam, in quantum ſ. ex impreſ-*

ſione

ſione ejus habent inclinationes in proprios actus & fines. Inter cætera autem rationalis creatura excellentiori quodam modo divinæ providentiæ ſubjacet, in quantum & ipſa ſit providentiæ particeps, ſibi ipſi & aliis providens. Unde & in ipſa participatur ratio æterna, per quam habet naturalem inclinationem ad debitum actum & finem. Et talis (NB. talis) *participatio legis æternæ in rationali creatura lex naturalis dicitur.* Et paucis interjectis : *Lex naturalis nihil aliud eſt, quam participatio legis æternæ in rationali creatura.* Adhuc clarius rem ipſam declarat *ultimo* §. *ejusdem articuli : Etiam animalia irrationalia participant rationem æternam ſuo modo, ſicut & rationalis creatura : Sed quia rationalis creatura participat eam intellectualiter & rationaliter, ideo participatio legis æternæ in creatura rationali proprie lex vocatur. Nam lex eſt aliquid rationis, in creatura autem irrationali non participatur rationaliter, unde non poteſt dici lex niſi per ſimilitudinem.* Hæc *Thomas.* Eadem fere perhibet *Joannes de Rada, Aragonius, Epiſcopus Pactenſis, antea in Salmanticenſi Academia Theologiæ Profeſſor,* quando *part. 2. controverſ. Theolog. inter Thomam & Scotum ſuper quatuor libb. ſententiarum, controvers. 20. art. 1. §. ſuppoſita autem p. 520.* colligit, *legem naturalem ſolum ad creaturam rationalem* per-

tinere. *Hujus*, addit, *eſt proprium rationis judicium, unde ad bruta animalia & alia non extenditur. Non enim brutorum æſtimatio, qua ſibi ea, quæ ſunt ipſorum appetitus, ut conſentanea proponit, nec eorum inclinationes dici poſſunt habere vim legis. Et ratio eſt, nam licet illæ inclinationes & æſtimationes ſint legis æternæ participationes, ſic tamen ſunt ejus participationes, quod ſolum per legem æternam menſurantur & regulantur: quia non ordinant & præſcribunt aliquid propter finem. Nam inclinationes naturales omnium nihil de fine percipiunt, & bruta quoque ordinem mediorum ad finem, atque adeo rationem formalem finis prorſus ignorant. Ad judicium rationis ſic eſt legis æternæ participatio, & ita per illam menſuratur, ut ſimul etiam habeat rationem regulæ; quoniam, cum ſit rationis actus, dictat & præſcribit modum ad finem aliquem.* Hæc *Rada*. His non adeo diſſona adfert *Franciſcus Suarez tractatu ſuo de legibus lib. 1. c. 1. num. 2. p. m. 1.* quando ſic diſſerit. *D. Thomas 1. 2. q. 90. art. 1. ita deſcribit quid nominis legis: Lex eſt quædam regula & menſura, ſecundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur. Quæ deſcriptio nimis lata & generalis videtur, ſic enim lex non ſolum in hominibus ſeu rationalibus creaturis, ſed etiam in reliquis locum habebit. Nam unaquaque*

quæque res ſuam regulam habet & menſuram, ſecundum quam operatur, & inducitur ad agendum, vel retrahitur agendo. Lex item verſabitur non ſolum in moralibus, ſed etiam in artificialibus &c. Poſt pauca alia pergit: *Circa hoc inprimis notari poteſt diviſio, quæ ex Platone ſumitur in dialogo Minos ſeu de lege, ubi duplicem diſtinguit legem: artis & morum, cui tertium membrum addere poſſumus, ordinis ſeu propenſionis naturæ ex eodem Platone in Timæo & Gorgia. Ubi quadruplicem legem diſtinguens, quandam vocat naturalem, de qua diviſione infra cap. 3 aliqua dicemus. Nunc per naturalem non intelligemus illam, quæ eſt in hominibus, de qua etiam poſtea dicturi ſumus: Sed eam, quæ rebus omnibus ex inclinatione ab auctore naturæ indita convenit; ita enim illam videtur explicare Plato, quamvis etiam in hominibus nobiliori modo eſſe fateatur. Unde hæc tertia acceptio metaphorica eſt: nam res carentes ratione non ſunt proprie capaces legis, ſicut nec obedientiæ. Efficacia ergo divinæ virtutis, & neceſſitas naturalis, quæ in his rebus inde reſultat, per metaphoram lex appellatur. Conſonatque phraſis Scripturæ: Quando certa lege & gyro vallabat abyſſos, & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos Proverb. 1. Atque hæc lex menſuræ nomine ſignificatur Job. 38: Quis poſuit menſuras ejus, ſi noſti? Et;*

ſti? Et: Quis concluſit oſtiis mare, & dixit: huc usque venies &c. *Et juxta hanc etiam ſignificationem ſolet inclinatio naturalis legis nomine ſignificari, vel quia menſura eſt operationis, ad quam inducit; vel quia eſt ex lege conditoris. Solet enim vocari lex, & ipſa regula, & opus ſeu effectus ejus, quatenus eſt illi conformis: Sicut ars interdum appellatur ipſum artificium.* Clarius mentem ſuam explicat ejusdem libri *capite tertio, num. 7. p. m. 10. Circa legem naturalem advertendum eſt, variis modis a Philoſophis, Juriſperitis vel Theologis accipi. Plato enim ſupra legem naturalem videtur accipere pro omni inclinatione naturali indita rebus a ſuo creatore, qua ſingula ad proprios actus & fines tendunt. Sicut enim legem divinam eſſe dixit rationem æternam in Deo exiſtentem, qua reguntur omnia, ita participationem illius rationis creaturis impreſſam, ut in deſtinatos fines ſuos tendant, naturalem legem appellavit. Imo etiam D. Thom. 1. 2. q. 91. art. 2. dixit, omnia, quæ divina providentia reguntur, participare aliqualiter legem æternam, in quantum ex efficacia ejus habent inclinationes in proprios actus & fines. At vero Juriſperiti legem naturalem communem eſſe dicunt, non ſolum hominibus, ſed etiam aliis animalibus; inanimata vero a participatione hujus legis excludere videntur, ut patet ex §. 1. Inſtit. de*

jure

Jure naturali, G. & C. & l. 1. ff. de Juſt. & Jure. Veruntamen, ut in primo capite notavi, lex non attribuitur rebus inſenſibilibus ſecundum proprietatem, ſed ſecundum metaphoram, & ideo de illa priori ac generaliſſima acceptione legis naturalis, nihil amplius hic dicere neceſſe eſt, præter ea, quæ in cap. 1. diximus. Animalia etiam bruta non ſunt capacia proprie legis, cum nec ratione, nec libertate utantur, & ideo non poteſt niſi per ſimilem metaphoram illis attribui naturalis lex. Quamvis enim in hoc differant ab inſenſibilibus, quod non ſolo pondere naturæ, ſed etiam cognitione & inſtinctu naturali ducuntur, qui inſtinctus eſt illis quaſi lex, & hac ratione poſſit aliqualiter ſuſtineri illa ſecunda acceptio Juriſconſultorum; nihilominus ſimpliciter eſt metaphorica, & valde analoga. Hæc *Suarez.* Eam materiam qui intimius penetrare geſtit, adeat, ſi placet, *Ariſtotelem V. Ethic. c. 10. Gaſſendum in Syntagm. Philoſophiæ Epicuri c. 27. Johannem Seldenum de jure naturali & gentium juxta diſciplinam Ebræorum lib. 1. c. 4. 5. & 6. Claudium Salmaſium de uſuris c. 9. p. m. 246. Georgium Calixtum epitom. Theol. Moral. p. m. 48. Conradum Hornejum Philoſ. Moral. l. 4. c. 3. n. 21. Guil. Ameſium de conſcientia l. 5. c. 1. q. 3. p. m. 268. Martinum Schoockium diatriba de Jure naturali §. 18. & ſeqq. p. m. 26. & ſeqq.*

ſeqq. Dn. Samuelem Pufendorffium de Jure naturæ & gentium l. 2. c. 3. §. 2. p. m. 158. Invenias facile aſſentientes JCtos præſtantiſſimos, e quibus nominare libet *Jacobum Cujacium* (cujus omnia Romani Juris ſtudioſis *Hugo Grotius* eximie commendat) ad *inſtit. tit. de I. N. G. & C.* ut & *epitome pandectarum lib. 1. tit. 1. c. 1. §. 11. Vinnium* init. *Inſtitut. de I. N. G. & C. Weſenbecium in paratitl. D. de juſt. & jur.* & ibi præprimis *Dn. Heinrici Hahnii* obſervationes, *Georgium Frantzkium*, inſignem JCtum ac quondam Cancellarium Saxo-Gothanum, in *comment. ad Pandectas tit. de Juſt. & Jure n. 106. & ſeqq.* ut & *exercitat. Jurid. 1. quæſt. 3. Hugonem Donellum comment. de jur. civil. l. 1. c. 16.* Dn. *Georgium Adamum Struvium*, illuſtre ſidus noſtræ Academiæ & ingens decus, *Syntagm. Jurisprudentiæ exercitat. 1. ad Lib. I. Digeſt. tit. 1. §. 50. p. m. 24. & 25.* Dn. *Ericum Mauritium Diſſ. de principiis juris publici ſpecim. c. 4. ſect. 1. §. 4. & ſeqq. p. 52. & ſeqq.* & inprimis *§. 9. & 10. p. 57. & ſeqq.* item *ſect. 3. §. 28.* a quo ſimul *Alexander Turaminus*, Patritius Senenſis, JCtus & in Neapolitana Academia primæ ſedis Profeſſor, *tractatu* Florentiæ ante annos ſeptuaginta typis excuſo *ad rubricam de legibus l. 1. c. 2. Hotomannus, Hortenſius, Equinarius Baro, Harpprechtus, Connanus* aliique,

que, id propter quod in Juris communionem adoptare bruta noluerint, commendantur, imo nullus dubitat laudatus *Mauritius* aſſerere, haud dubie falli illos, qui contrariam, quod bruta adoptari poſſint, ſententiam ut communem *JCtis* tribuunt, *p. 55. n. 20. & p. 58.* Eam ipſam communionem cœteris animantibus denegaſſe *Cajum ac Florentinum JCtos Bachovius ex l. 9. & arg. l. 3. de Juſt. & Jur.* probat, qui *comment. ad Pandect. ad dictum titulum* videatur. Idem ſentit Dn. *Mauritius, qui Cajo* & *Florentino Paulum JCtum* addit. Tantum hac de re. Interim quando *Grotius §. 11. n. 2.* adjicit hanc ὑπόκρισιν: *Quod ſi quando brutis animantibus juſtitia tribuitur, id fit improprie ex quadam in ipſis umbra rationis atque veſtigio*, idem videtur innuere, quod *Ariſtoteles lib. 9. de hiſtor. anim. c. 7.* dicens homines a brutis accipere μιμήματα τῆς ἀνθρωπίνης ζωῆς, *vitæ humanæ imitamenta*, ſeu ut *Cicero lib. 2. de finibus* exprimit, virtutum ſimulacra. Conſul. *Martinus Schoockius diatriba de Jure naturali th. 19. p. m. 28.* Ac neſcio ſane, quam ſingularem & vere admirandam arguat vim perſuadendi ac immane quantum ad exaggerandum ſcelus apud populum faciat, ſi oſtendatur ab iſtiusmodi facto ipſas belluas abhorrere. Quo argumento plus ſimplici vice Sp. S. ad populum uſus eſt.

Eſa.

Eſa. I. 3. Jerem. VIII. 7. Rom. I. 26. Jud. v. 10. Cum tamen vix, & ne vix quidem, ullum debitum juris naturæ detur, cujus contrarium bruta bene multa non faciant.

Quomodo ratione effectus formalis? §. 39. Differunt jus naturale & jus voluntarium 6. effectu formali. Nam juris naturalis obligatio oritur ex natura ſui objecti: Juris autem voluntarii obligatio originem trahit ex libera auctoris ſui voluntate.

NOTA.

Cujuslibet juris effectus formalis eſt & dicitur obligatio, de qua mox ſolidius agetur. Saltem prius diſcrimina jurium voluntariorum ab invicem videbimus.

Quomodo jus voluntarium civile & jus arctius inter ſe differunt? §. 40. Jus voluntarium civile & jus arctius inter ſe differunt: 1. Illud proficiſcitur a Majeſtate civili qua tali: Hoc a poteſtate, quæ & quatenus minor eſt. 2. Illud qua tale ad civitatem ſpectat, hoc minime.

NOTA.

De jure Voluntario divino hic nihil amplius agemus. Sufficiant quoque ea, quæ de jure voluntario civili & jure arctiori præcedd. *§. 31. & ſeqq.* 87. & ſeqq. diximus.

§. 41. Jus

§. 41. Jus voluntarium latius patens a jure civili & arctiori per hoc differt, quod jus civile ac arctius obligent inferiores qua tales: Hoc autem de jure gentium (illud quippe eſt jus voluntarium latius patens) dici nequit. Nam gentes qua tales in terris neminem habent ſe ſuperiorem ſibique ſunt æquales: Imo tantum minima gens, quantum maxima poteſt. *Quomodo jus gentium voluntarium a jure civili & arctiori differat?*

NOTA.

Sano tamen ſenſu dici poteſt, quod etiam jus gentium voluntarium originem trahat ex *ſuperioris* voluntate, ſi nempe vocem ſuperioris in ſenſu negante adhibeamus, ut eo ſenſu Majeſtatem habentibus quatenus inter ſe æquales ſunt per excellentiam tribuitur. Supra etiam §. 15. p. 35. & *ſeqq.* de hac eminentia aliquid diximus.

§. 42. Nunc de obligatione agemus. Eſt autem obligatio neceſſitas actionis in genere morum.

NOTÆ.

I. Vel ut *Dn. Samuel Pufendorff. l. 1. de jure naturæ & gentium c. 1. §. 21. p. 18.* definit obligationem: *Obligatio eſt, per quam*

quis præſtare aut admittere vel pati quid neceſſitate morali dicitur.

II. Uti ergo libertas phyſica & moralis differunt, ceu *p. 51. not. 1.* monuimus: Ita quoque neceſſitas phyſica & moralis confundendæ non ſunt. Interim bene notetur, quod neceſſitas moralis cum neceſſitate phyſica ſtare ſimul nequeat. Non enim actio in genere morum neceſſaria eſſe poteſt, niſi ſit phyſice libera, ſeu quod eodem redit, libera a neceſſitate phyſica, Conf. *not. 3. n. 11.*

III. *Moraliſtæ* neceſſitatem moralem duplicem: unam *commiſſionis*, alteram *omiſſionis* faciunt. E. gr. moraliter neceſſarius eſt actus miſericordiæ neceſſitate commiſſionis, moraliter eſt neceſſarius actus adulterii neceſſitate omiſſionis.

IV. Inter *Moraliſtas* controvertitur: *An neceſſitas omiſſionis ſine omni neceſſitate commiſſionis dari poſſit?* Sunt *qui ajunt*, quia moralis libertas exercitii conſiſtit in facultate agendi & non agendi. Sicut ergo cui moralis libertas exercitii competit, is non tenetur, actum committere, nec tenetur eundem omittere, ita cui neceſſitas moralis omiſſionis incumbit, tenetur actum omittere, atque ſic nihil aliud eſt illa neceſſitas quam meræ omiſſionis. *Sunt qui negant*, quia actus in genere morum neceſſarius dici nequit, ſive intelligas neceſ-

ſitatem

ſitatem commiſſionis, ſive omiſſionis, niſi ſit voluntarius: Nihil autem eſt voluntarium, niſi tale ſit per verum ac realem actum voluntatis, aut ſit ipſe actus voluntatis. Et a negantium partibus ſtat princeps *Moraliſtarum Thomas*. Sane commiſſionem ſæpe non dicimus niſi externam actionem veram ac realem, hacque ratione dubium non eſt, quin neceſſitas omisſionis ſine neceſſitate commiſſionis dari poſſit, nempe ut quis teneatur morali neceſſitate aliquam actionem omittere, nec tamen ad ullam aliam externam actionem, ut eam committat, obligatus ſit. Si vero actio ſumatur in laxiori ſignificatu, prout quoque continet veram ac realem actionem internam ac elicitam, ut non raro ſumi extra controverſiam eſt, ſic iterum aut de intentione formali, ut vocant, ac directa ſermo eſt, aut de indirecta: Si de illa, ne quidem neceſſitas commiſſionis, h. e. internæ ac elicitæ actionis, quæ ſit intentio directa, ſemper neceſſaria eſt: Si de hac, utique neceſſitas omiſſionis ſemper neceſſitatem commiſſionis h. e. veræ ac realis intentionis, ſive ſpectetur ut directa ſive in quantum indirecta eſt, ſupponit. Quod dicebatur ab *affirmantibus*, moralem libertatem exercitii conſiſtere in facultate agendi & non agendi, indeque deducebatur, neceſſitatem meræ omiſſionis dari

I 2 poſſe,

poſſe, hoc ſi de externa actione accipiatur, veriſſimum eſt & facillime hoc admiſimus: Si de interna, adhuc negatur. Quomodo enim voluntaria dicetur omiſſio, quæ a nullo actu voluntatis pendet? Quod *negantes* urgebant omiſſionem moraliter neceſſariam dici non poſſe, niſi ſit voluntaria per actum voluntatis, recte dicitur, ſi ad hoc, ut voluntaria ſit omiſſio, ſufficere putes, ſi vel maxime actus voluntatis ſaltem indirecta ſit intentio omiſſionis. Omnis enim indirecta intentio, licet non ut talis, vera tamen directa intentio eſt. e. gr. qui omiſit concubitum cum aliena uxore eo tempore, quo cum uxore, quam aliam eſſe putaverat, rem habuit, is non ſatisfecit juri, quo ad omiſſionem obligabatur, quia omiſſio fuit ſine commiſſione h. e. ſine omiſſionis intentione, adfuit enim commiſſionis huic omiſſioni contrariæ intentio. E contrario qui debitum miſericordiæ omiſit in ſomno aut quando neſciverat nec debuerat ſcire quod proximus auxilio ipſius indiguiſſet, is neceſſitatem moralis commiſſionis inſuper haud habuit, quia non adfuit animus iſtud debitum omittendi. Ita forſan prolixi *Moraliſtarum* diſſenſus conciliari poſſunt, cujus conciliationis occaſionem ſuppeditare videtur *Ariſtoteles*, quando docet *ab actu voluntatis magis, quam ab ipſis actionibus*

mores

mores dijudicari, III. Moral. Nicom. c. 2. morumque rationem atque VIM omnem in actu voluntatis eſſe poſitam, VIII. lib. c. 13. Add. l. Divus 14. D. ad L. Corn. de ſicariis & veneficis l. lege Corn. 1. § Divus Hadrianus 3. D. eod. tit. l. fœdiſſimam 20. C. ad L. Jul. de adult.

§. 43. Obligatio eſt duplex: alia naturalis, alia originem trahens ex voluntate imperium habentis qua talis. *Obligationis diſtinctio.*

NOTÆ.

I. Duplex hæc obligatio reſpondet duplici juri: Quodlibet enim jus obligat. Unde ſicuti jus aliud diximus naturale, aliud voluntarium: Ita illi obligatio naturalis, iſti obligatio originem trahens ex voluntate imperium ſeu poteſtatem habentis qua talis reſpondet.

II. *Ludovicus Molina de juſt. & jur. tomo 1. tract. 1. diſp. 4. n. 3. p. m. 10.* hanc ponit regulam: *Si obligatio oritur a natura rei, quæ præcipitur aut prohibetur, quia videlicet in ſe eſt neceſſaria ut fiat, ut eſt ſubvenire extreme indigenti, vel quia in ſe eſt illicita & mala, ut: furari, adulterari, mentiri, tunc præceptio aut prohibitio pertinet ad jus naturale: Si vero obligatio non oritur a natura rei, quæ præcipitur aut prohibetur,*

ſed a præcepto & voluntate prohibentis, eſto ex parte rei ſit congruitas & exigentia quædam, ut præcipiatur aut prohibeatur, pertinet ad jus poſitivum.

Obligatio naturalis quid? §. 44. Naturalis obligatio eſt, quæ originem ducit ex natura actus per ſe debiti aut per ſe illiciti: e. gr. naturalis obligatio datur ad actum miſericordiæ, ut committatur; ad actum homicidii, ut omittatur.

NOTA.

De hac obligatione *Molina loc.* modo *cit.* ſic diſſerit: *Jus naturale definitur ab Ariſtotele 5. Ethic. c. 7. eſſe illud, quod ubique eandem vim habet, & non quia videtur aut non videtur.* Addit *Molina* de ſuo: *Id eſt, cujus obligatio oritur ex natura rei, de qua eſt præceptum & non ex arbitrio præcipientis; & quia res eandem naturam retinet apud omnes, idcirco naturale jus eandem quoque vim apud omnes habet. Quo loco accipe egregium hoc diſcrimen inter jus naturale & poſitivum. Quod obligatio juris naturalis oritur a natura objecti, indeque ſe diffundit in præceptum. Ea vero de cauſa dici conſuevit, ea, quæ ſunt juris naturalis, prohibita eſſe, quia mala, & non ideo mala eſſe, quia prohibita. Similiter in bonis, juſſa eſſe,*

eſſe, quia bona & neceſſaria, ut fiant, & non ideo eſſe bona neceſſariaque ut fiant, quia juſſa. E contrario vero obligatio juris poſitivi oritur a præcepto & voluntate præcipientis, indeque derivatur in objectum. Et ſequitur *p. 11.* poſt alia: *Quia ergo,* ait, *jus naturale a rerum ipſarum naturis quæ præceptæ aut prohibitæ ſunt, oritur, eo quod in ſe illicitæ ſint aut neceſſariæ, ut fiant, ſi virtus ſalva debeat conſiſtere: natura vero quemadmodum indidit nobis ſemina quædam ad cognoſcendum ex rerum ipſarum naturis veritates ſpeculativas, non ſolum principiorum, ſed etiam concluſionum, quæ ex ipſis deducuntur, ſic quoque dedit igniculos ad cognoſcendas ex naturis earundem rerum veritates practicas, non ſolum principiorum, ſed etiam concluſionum, quæ ex eis deducuntur, inde oritur, ut dici conſueverit jus naturale eſſe, quod natura ipſa nos docet.* Hæc *Molina.*

Obligatio originem trahens ex voluntate quid?

§ 45. Obligatio originem trahens ex voluntate imperium habentis eſt, quæ hoc, quod obligatio ſit, habet a libera ejus, qui imperium habet, qua talis, voluntate.

Ejus diſtinctio.

§. 46. Obligatio originem trahens ex voluntate imperium habentis iterum triplex eſt: *Vel* enim *re-*

ſpondet juri civili, vel juri arctiori, vel latius patenti.

[*Grotius l.1.c.1.§.14.*]

NOTÆ.

I. Uti ſupra *§.30.p.87.* triplex jus voluntarium: *civile*, *latius patens*, *arctius*, ex *Grotio* docuimus: Ita modo allatæ diſtinctionis fundamenta quisque facile perſpicit.

II. Poterat obligatio ex voluntate originem trahens prius diſtingui, prout alia ex voluntate divina, alia ex voluntate creata oritur: Hæc rurſus vel ex angelica vel ex humana. Sed de his omnibus ſupra egimus. Erat ergo hæc diſtinctio obligationis ex voluntate humana ortum trahentis.

Obligatio juris civilis quid? §. 47. Obligatio, ex voluntate ducens originem, quæ juri civili reſpondet, eſt obligatio, quæ ex libero arbitrio ejus (eorum) qui ſummam poteſtatem obligandi ſubditos qua tales habet (habent) oritur.

NOTA.

Vid. ſupra *§.31.p.87.* & *§.40.p.128.*

Obligatio §. 48. Obligatio, ex voluntate ducens

cens originem, quæ juri arctiori reſpondet, eſt obligatio, quæ ex libero arbitrio ejus perſonæ, quæ poteſtatem civili minorem obligandi ſibi ſubjectum qua talem habet, oritur.

juris voluntarii civili arctioris quid?

NOTA.

Conf. §. 32. p. 88.

§. 49. Obligatio, ex voluntate ducens originem, quæ juri voluntario latius patenti reſpondet, eſt obligatio, quæ ex libero arbitrio gentium qua talium, nixo inevitabili neceſſitate civili aut inſigni utilitate in gentes redundante.

Obligatio juris gentium voluntarii quid?

NOTÆ.

I. De obligatione juris voluntarii, cum civilis, tum civili arctioris, nulla eſt difficultas: At de obligatione juris gentium voluntarii inter eruditos valde controvertitur. Interim quisque facili opera videt aſſertionis hujus, qua *Grotius* aſſerit dari peculiare jus gentium, & juri civili, & juri arctiori adeoque omnibus aliis juribus voluntariis, & juri naturali contradiſtinctum, aſſertionis, inquam, hujus veritate aut falſitate eam obligationem ſta-

re aut cadere. De quo aſſerto peculiari quæſtione ſub finem hujus capitis tractabitur.

II. Conferatur integer *§.33.p.89.cum Notis.*

DE JUSTITIA.

Juſtitiæ univerſalis definitio.

§. 50. Ad doctrinam de juſtitia nunc accedimus. Diſtingvitur juſtitia in univerſalem & particularem. Juſtitia univerſalis eſt virtus tota moralis (h. e. complexus omnium virtutum moralium) quatenus eo poſſeſſorem inclinat, ut omnes actiones ſuas ex legum naturalium præſcripto inſtituat moralis perfectionis cauſa.

NOTÆ.

I. *Ariſtoteles* juſtitiam univerſalem aliter definit, & quidem ut ex *V. Moral. Nicom. cap.3.* colligi ſolet, hoc modo: *Juſtitia univerſalis eſt virtus tota, quatenus poſſeſſorem inclinat, ut omnes actiones ſuas ex legum præſcripto inſtituat, boni publici cauſa.* Hinc quoque in *Scholis* ſubjectum juſtitiæ univerſalis non ſtatuitur homo abſolute conſideratus, ſed prout aliis ſocietate eſt conjunctus, cumprimis autem reipublicæ rectæ ſocius, ſive imperantium, ſive parentium ordini ſit addictus.

II. Enim vero fortasſis noſtra definitio

cum

cum Ariſtotelica ſtare poteſt. Nam ſi vir bonus & civis bonus ſimul ſtare poſſunt, quidni juſtitia univerſalis, nunc ut eſt viri boni, nunc ut eſt civis boni, ſpectari poſſet, ita ut illo modo pro fine moralem poſſeſſoris ſui perfectionem, hoc modo ſalutem publicam habeat. Favere videtur huic noſtro aſſerto ipſe *Ariſtoteles* quando laudati libri *cap. 14.* ſcribit: *Illa autem* (ſc. juſtitia univerſalis) *circa omnia, circa quæ etiã vir bonus, munus ſuum exercet.*

III. Ad juſtitiam univerſalem, *Moraliſtæ* reſpiciunt, quoties nominant debitum laxi juris, quaſi debitum juſtitiæ univerſalis nominarent.

IV. Forſan juſtitiam univerſalem ſpectatam, ut eſt moralis perfectio poſſeſſoris ſui propriumq; ejus bonum, virtutem moralem totam, item virtutem perfectam dixeris.

V. Exempla univerſalis juſtitiæ adducere res facillimi laboris eſſet. Ita Trajanus, ceu apud *Suidam* & *Eutropium* legitur, ob univerſalem juſtitiam adeo charus populo fuit, ut quoties deinceps crearetur Imperator, omnes acclamarent: *Sis felicior Auguſto, melior Trajano.* Is ipſe Trajanus eſt, qui Præfecto Prætorio pugionem tradens, *cape ferrum hoc*, dixit, *eoque pro me utere, ſi bonus fuero: Si malus, contra me.* Videatur *Nicephorus Hiſt. Eccl. l.3.c.23.*

l.3. c.23. Ejus quoque mentionem facit ex *Plinii Panegyrico Grotius lib. 1. c. 4.* §. *6. n.5.* Antiochus III. Aſiæ Rex omnibus regni ſui urbibus ſcripſit, ſi quid in regis mandatis adverſum legibus eſſet, ne obſequerentur. *Fulgos. lib. 6. c. 5. Camillus Gilinus l. 6. c. 5. de juſtitia.* Themiſtocles Simonidi petenti, ut amico, ſed in cauſa minus juſta, patrocinaretur, neque tu, inquit, bonus eras futurus, ſi præter Muſicæ modulos caneres; nec ego Princeps bonus, ſi leges & juſtitiam violarem. *Plutarchus in Apoph. Græc.* Plurium talismodi exemplorum ingens ubivis apud ſcriptores eſt copia.

IV. Juſtitiæ univerſalis, uti quidem uſitato loquendi modo & non niſi in ordine ad rempublicam ſic dicitur, *regula* eſt *lex*, id quod *Ariſtoteles V. Ethic. cap.3.* haud obſcure docet, *leges*, inquiens, *de omnibus præſcribunt, ea ſpectantes, quæ vel communiter omnibus conducunt, vel optimis quibusque, vel Principibus* &c. Et paulo poſt: *Quin etiam lex præcipit, & id, quod fortis viri opus eſt, ut non deſerere ordines, non fugere, non abjicere arma; Et id, quod eſt temperantis, ut non committere adulterium, non contumelioſe ſe gerere; & id, quod eſt manſueti, ut non verberare, non maledicere: Simili modo quoque ſecundum alias virtutes & vitia, alia jubet, alia prohibet.*

hibet. Contra ejus, ut *hoc* §. *48.* definiebatur, h. e. virtutis moralis totius ac perfectæ, *regula* eſt *recta poſſeſſoris ratio*, quippe quæ in omni virtutis moralis materia & quod per ſe ac ſuapte natura honeſtum eſt, eligere ac ſequi, & quod per ſe turpe eſt, fugere ac omittere, & quod indifferens, ad honeſtatem redigere dictat & decernit. Eo *Ariſtoteles libr. II. Eth. cap. 6.* reſpicit, quando virtutem abſolute ſumptam definiens, cum dixiſſet eſſe habitum in mediocritate quoad nos conſiſtentem, ſtatim addit: *Quæ quidem mediocritas ratione definita ſit, atque ita, ut vir prudens definiverit.*

V. Hinc ſatis liquet, cur juſtitia univerſalis dicatur *Philoſophis* & *JCtis juſtitia legalis*, quia nempe, ut modo dictum eſt, cum imperantes, tum parentes, in republica recta & ubi rectæ leges vigent, totam virtutem moralem in uſu & exercitio legibus accommodant, eaque ipſa ſe decenter accommodat legi in ſalutem reipublicæ. Et huc forſan reſpiciens *Marcianus JCtus l. nam & Demoſthenes 2. D. de LL.* ex *Chryſippi* (quem *Philoſophum ſummæ Stoicæ ſapientiæ* vocat) *libro de Lege* ita diſſerit: *Lex eſt omnium divinarum & humanarum rerum regina. Oportet autem eam eſſe præſidem & bonis & malis, & principem & ducem eſſe, & ſecundum hoc*

regu-

regulam eſſe juſtorum & injuſtorum, & eorum, quæ natura civilia ſunt, animantium, præceptricem quidem faciendorum, prohibitricem autem non faciendorum. Hinc quod *Ariſtoteles libr. I. Rhet. cap. 9.* ubi ſingulas virtutes definivit, innuere voluit, in nonnullarum definitionibus ſub finem addens hanc formulam: PROUT LEX PRÆCIPIT. *Fortitudo*, inquit, *eſt virtus, per quam actores ſunt honeſtorum operum in periculis, &* PROUT LEX PRÆCIPIT. Item: *Temperantia eſt virtus, per quam ad voluptates corporis ſic ſe habent*, UT LEX PRÆCIPIT. Hujus rei illuſtria & certe egregia documenta leges civiles, quæ in noſtra republica vigent, ſiſtunt. Annon enim *Imperator §. Juris præcepta 3. Inſt. de J. & J.* ad juſtitiam univerſalem digitum intendit, *juris*, inquiens, *præcepta ſunt hæc: honeſte vivere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere.* Et invenias eruditos viros, qui cenſent, præcepto: *Honeſte vivere*, hoc indigitari, quod homo recte ſe gerere debeat erga ſeipſum, præceptis autem: *Alterum non lædere, ſuum cuique tribuere*, quod homo recte ſe gerere debeat erga proximum, inter quos ſunt *Gvilielmus Grotius Enchirid. de Principiis juris naturalis cap. 9. & ſeq. Martinus Schoockius Diatriba de jure naturali th. 23. p. m. 34. & th. 26. p. 40.*

p. 40. & ſeq. qui ſimul, ut obiter hoc addamus, laudat *Ameſium*, quod ipſe vere inſtiterit adverſus horum præceptorum *Juſtiniani* ſufficientiam hunc in modum: *Nihil præcipitur de DEO colendo, quod tamen eſt principium juris naturalis.* Verum hic obſervari videas ex nōnullis, *Juſtinianum Imperatorē* ad jus privatum reſpexiſſe, cum ipſe alias juris poſitionesduas feciſſet, *publicum & privatum*, *§. hujus ſtudii 4. Inſt. de J. & J.* ſubque nomine *publici* demum ſacrum comprehenſum voluiſſet, quæ alibi diſſecuerat, nominans divinum publicumque jus & privata commoda *l. ſancimus 22. & l. ut inter 23. C. de SS. Eccleſ.* Sicut & primam Codicis ſui partem ex ſacris publicisque compoſuit, cum *in Theodoſiano* ſacra titulorum agmen clauderent. Et eo pertinet, quod *Ulpianus* jurisprudentiam, non illam forenſem, quæ eſt inter artes ancillantes, ſed νομοθετικὴν, quæ forenſi jurisprudentiæ aliisque artibus imperat, definit *divinarum atque humanarum rerum notitiam, §. jurisprudentia 1. Inſt. de J. & J. l. juſtitia 10. §. jurisprudentia 2. D. eod. tit. l. neceſſarium 2. §. deinde 6. D. de origine juris.* Conſulantur *Briſſonius IV. Select. 16. Dionyſius Gothofredus JCtus ad l. 10. D. de J. & J.* & *Hugo Grotius Commentario poſthumo de imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra cap. 1. §. 9.*

§. *9. p. 15. & ſeq.* Cum his apprime conſentit illud ipſum *Juſtiniani: Nihil tam ſtudioſum in omnibus rebus invenitur, quam legum auctoritas, quæ & divinas & humanas res bene diſponit & omnem iniquitatem expellit.* Alii præcepto: *Suum cuique tribuere*, ſimul debitum cultus divini ſeu pietatis ſignificari putant, cum juxta *Ciceronem* etiam *ſocietas quædam hominis* ſit *cum DEO.* Rurſus aliorum judicio *honeſte vivere, Juſtiniano* idem eſt, quod DEO, qui tanquam ens perfectiſſimum adprehendebatur, ſe ſimillimum reddere, ut ita ſimul ac primo omnium reſpectus ad cultum DEI habeatur, æque ac *Plato libr. IV. de LL.* ita per interpretem loquitur: *DEUS profecto nobis rerum omnium maxime ſit menſura, multoque magis, quam quivis, ut ferunt, homo. Qui igitur huic tali amicus fore ſtudet, neceſſe eſt, ut quam maxime pro viribus talis efficiatur.* Et *Epictetus apud Arianum libr. II. Diſſert. cap. 14. quales*, ait, *ſint Dii, conſiderandum. Nam ſi quales ſint repertum fuerit, eum, qui placere his ſtudeat, & obedire, pro viribus neceſſe eſt, his ſe ſimilem exhibeat: Quod ſi DEUS fidelis eſt, & eum, qui placere velit DEO, fidelem eſſe oportebit: Si liberalis, liberalem; Si beneficus, beneficum; ſi magnanimus, & ipſum te magno animo eſſe oportebit: Et in omnibus reliquis tanquam*

DEI imitatorem omnia facere & loqui conveniet. Quiſque ſane hanc ſimilitudinem cum DEO conſequi idem dixerit eſſe, quod *honeſte vivere.* Horum conjecturas aliquantisper auget, quod *Ulpianus* & ex eo *Juſtinianus* primo loco recenſuerit *honeſte vivere* inter juris præcepta.

VI. Ecquis igitur de eo dubitaret, quod jus a juſtitia univerſali *Ulpianus l. juri operam 1. D. de J. & J.* appellaverit? Et quid verborum ambages quærimus? Annon illud ipſum juſtitiæ univerſalis debitum leges civiles edocent luculentiſſime? Ita ſane ea præcipiunt, QUÆ VIRI FORTIS SUNT, ut ſervare ordinem, non excedere agmen, non ex vana oſtentatione ſibi mortem conſciſcere, non ruere in certiſſimam perniciem, non ſponte offerre ſe periculo, pro ſalute Reipublicæ nullum corporis diſcrimen recuſare, ceu patet ex *D. toto tit. de re militari.* Item *l. qui rei poſtulati 3. D. de bonis eorum, qui ante ſententiam mortem ſibi conſciverunt.* Præcipiunt ea, QUÆ VIRI TEMPERANTIS SUNT, ut omittere adulterium, ſtuprum, non infarcire ſe nimio cibo, non madere potu &c. Uti ſatis superque conſtat ex *C. & D. tot. tit. ad Legem Juliam de adulteriis & ſtupro l. ait prætor 1. §. is quoque 5. l. vel luxurioſum 2. D. de ſervo corrupto.* Præcipiunt ea, QUÆ VIRI

MANSUETI SUNT, ceu indicant *Inſt. D. & C.* integri *tituli de injuriis & famoſis libellis.* Præcipiunt ea, QUÆ VIRI LIBERALIS SUNT, *l. curatores 1. C. de curatore prodigi l. lege duodecim tabb. D. de curatoribus prodigo dandis* & inprimis *l. ſolent etiam 6. §. non vero 3. D. de officio Proconſulis.* Præcipiunt ea, QUÆ MAGNIFICI VIRI SUNT, ſcilicet in impendendis ſumptibus magnis nec excedere, nec deficere, ut: in ſpectaculis, conviviis, ædificandis templis, palatiis, operibus publicis &c. *C. tot. tit. de ſpectaculis l. Titia 38. §. Seja 3. D. de auro, argento* &c. Præcipiunt ea, QUÆ VIRI MODESTI AUT MAGNANIMI SUNT, ut: non appetere majores honores, quam conveniat, *l. antiquitus 1. l. ordinem 2. C. de conſulibus l. omnes privilegia 2. C. ut dignitatum ordo ſervetur.* Præcipiunt ea, QUÆ SUNT VERACIS VIRI, *l. in teſtimonio 2. D. de teſtibus l. in eum 1. D. de calumniatoribus l. hoc edicto 1. D. de dolo malo.* Præcipiunt ea, QUÆ SUNT COMIS AC URBANI VIRI, *l. obſervandum 19. D. de officio præſidis l. obſervare 4. §. antequam 3. D. de officio Proconſulis.* Præcipiunt ea, QUÆ JUS SUUM CUIQUE TRIBUENTIS SUNT, h. e. quæ ad juſtitiam particularem ſpectant, ad diſtributiones honorum, bonorum communium,

præ-

præmiorum &c. item contractus & maleficia, *D.* & *C.* integris *titulis de muneribus & honoribus l. ſi quenquam 31. C. de epiſcopis & clericis l. Impemtores 17. D. de ſervitutibus prædiorum ruſticorum l. præſes provinciæ 1. §. in honorariis 10. D. de extraordinariis cognitionibus l. antiquitus 1. C. de conſulibus l. perſpiciendum 11. D. de pœnis l. origo emendi 1. D. de contrahenda emptione l. ſi quos 16. D. de reſcindenda venditione l. ſi ſocietatem 6. D. pro ſocio l. ea, quæ 43. §. dolum malum 2. D. de contrah. empt.* Paucis: Jus noſtrum civile totum in eo occupatum eſt, ut præmiis afficiat obſervatores legum, transgreſſorumque delicta non relinquat impunita, *l. juri operam 1. §. cujus merito 1. D. de J. & J. l. Præſes provinciæ 1. §. in honorariis 10. D. de extraord. cognit. l. ita vulneratus 51. §. æſtimatio 2. D. ad L. Aquil.* Ut delinquentium audacia refrenetur, cum non remitti pœnam facile, publice interſit, ne ad maleficia temere quisquam proſiliat *l. ſi operis 14. C. de pœnis*, ut alii aliorum exemplis docti à flagitiis deterreantur & ad meliorem frugem redigantur, *l. ſi pœna 20.* & *l. capitalium 28. D. de pœnis*, ſicque unius pœna metus poſſit eſſe multorum, *l. ut unius 1. C. ad L. Juliam repetund.* Ut tumultuum & ſeditionum occaſiones amoveantur, inque omnibus ſatisfiat toti reipublicæ, *l. non*

eſt ſingulis 176. D. de R. J. l. capitalium 28. D. de pœnis. Neque vero mirari ſubeat, cur non leges civiles omnes omnino actus juſtitiæ univerſalis diſtincte præcipiant, cum inprimis reſpiciant ad illas actiones, ex quibus ſalus reipublicæ pendet. Pluribus & ex profeſſo id explicare totamque doctrinam moralem de virtutibus accommodare civilibus legibus velle, ratio præſentis inſtituti non patitur; quoniam nihil adferendum eſt in hac Introductione, quod a ſcopo propoſito nimis ſit alienum. Vid. *Petri Gilkenii, JCti & Wirceburgenſis quondam Profeſſoris, commentaria in quintum Ariſtotelis librum*, fortaſſis hanc in rem apprime commendabilia, utpote quibus omnia *Philoſophi* præcepta ad *leges & conſtitutiones Juſtiniani*, nec non *canonum* exigere voluit, quemque in commendatione juſtitiæ univerſalis bonam partem ſecuti ſumus, occaſione eorum, quæ habet ad *cap. 1.* Nec eſt, quod quempiam moveat hoc, quod ſupra diximus, *leges civiles* diſponere de indifferentibus: Nulli enim dubitamus, quin ſubtilius intuenti naturam *legum civilium* adparere facile poſſit, quod ſano ſenſu hoc accipiendum ſit. Scilicet veriſſimum eſt, ſolas actiones indifferentes juſtam eſſe *legum civilium* materiam in tantum, in quantum *leges civiles* actiones moraliter defini-

tas

tas (h. e. eas, quas cum *Grotio* vocavimus per ſe ac ſuapte natura debitas ac moraliter neceſſarias, item per ſe ac ſuapte natura illicitas ac moraliter impoſſibiles) intrinſecus immutare nequeunt. In promptu ratio eſt, quia ante *legum civilium* diſpoſitionem illarum actionum definitio ex ipſa actionum natura originem duxit: Non ergo ſunt materia mutationis. Sic igitur hoc, quod in ſuperioribus diximus, *leges civiles* diſponere de indifferentibus, intellectum volumus, ut idem ſit ac leges civiles ea, quæ per ſe debita ſunt, non poſſe reddere mere indifferentia, vel etiam prorſus illicita, eaque, quæ per ſe illicita ſunt, non poſſe indifferentia aut plane debita reddere, cum per ſe ac ſuapte natura debita aut illicita ſint prorſus immutabilia quoad moralem bonitatem vel turpitudinem, ſi in ſe ſpectentur.

VII. De cætero veriſſimum adhuc credimus, quod alia ratione admitti poſſit ac debeat, quod *leges civiles* diſponant quoque de moraliter definitis, hoc eſt, per ſe ac ſuapte natura honeſtis aut turpibus, debitis aut illicitis. Cujus rei ſummam ſic explicamus: *Primo*, quamvis multæ actiones ſint per ſe debitæ, ipſaque natura earum neceſſitatem definiat, non tamen ex omnibus, ſed ex quibusdam circumſtantiis moralis iſta definitio neceſſitatis

 oritur;

oritur: Quidni ergo de reliquis circumſtantiis illarum actionum ex ſua natura debitarum leges civiles diſponere poſſent, ut ſano ſenſu dici ac defendi poſſit, quod lex civilis disponat de actionibus per ſe debitis, in quantum ſpectantur ratione quarundam circumſtantiarum, in quibus (ut *Moraliſtæ* loquuntur) nulla moralis bonitas reſidet. Annon enim leges civiles actionibus per ſe ac ſuapte natura debitis his vel illis, certum tempus, locum certum, modum &c. aſſignare poterunt, quatenus ſcilicet hæcce talia per actionum naturam nequaquam definita ſunt? Annon leges civiles impedimenta auferre? Annon præmia addere poſſunt? Annō illis, qui hoc præciſe tempore, hoc loco, hoc modo, per ſe debita acturi ſunt, majora præmia, aliis minora, item nulla decernere poſſunt? Annon intereſt Reipublicæ leges civiles eo majori cura de actionibus per ſe debitis disponere, a quarum ſcilicet omiſſione graviora pericula civitati imminent, quam a quibus aut exigua aut certe nulla. Pariter quod per ſe ac ſuapte natura illicitas actiones attinet, quamvis plurimæ ſint, earumque turpitudo ab ipſa natura definiatur, quid interim impedit, quo minus leges civiles talium actionum circumſtantias aliquas, quæ per actionum naturam moraliter indefinitæ manent, de-

finire

finire quoque ac ſub ejusmodi circumſtantiis illicitas reddere? item pœnis quibusdam, quæ in legum civilum poteſtate ſunt, coërcere queant? quid? quod *legibus civilibus* hic vel ille ſubditus, quamvis hunc vel illum actum per ſe turpem commiſerit, impune ferat, & ſic *lex civilis* impunitatem dare poſſit, nullasque his vel illis actibus pœnas infligere, quæ per ſe turpia agendi impunitas improprie jus dici conſuevit, vocatur alias facti permiſſio, (qua de re *infra* aliquid agemus) &, ut facile aſſentientes habemus accuratiores *juris naturalis ac civilis doctores*, culpa morali certe vacat. *Deinde*, hoc ipſum, quod *leges civiles* de actibus moraliter definitis, h. e. per ſe ac ſuapte natura debitis aut illicitis disponere poſſint, inde demonſtramus, quia *leges civiles* mutare eas res poſſunt, de quibus jus naturæ disponit, ac circa quas illi actus, qui moraliter definiti ſunt, verſantur, quod dicere poſſumus extrinſecus factam juris naturalis mutationem, h. e. ſi *Scholas* ſequamur, mutationem, unde actus moraliter definiti extrinſece denominantur mutati, ipſumque jus naturale extrinſece mutatum nominari poteſt. Rem rudi ſimilitudine eaque commodiſſima declaramus; Quando quis deſinit amare virginem, ſic mutatio obtingit, & ſæpe fit exoſa ex

amata, non quaſi virgo mutationem reci-piat, ſed quia mutationem recipit ejus, qui amaverat virginem, appetitus. Item ex non creatore DEUS creator factus dicitur, non quaſi DEUS receperit mutationem quandam, ſed quia creatio, unde DEUS extrinſece creator denominatur, ante non fuit, poſtea fuit. Simili modo *leges civiles* mutare multa moraliter definitarum actionum objecta poſſunt, ut ſic moraliter definitæ actiones extrinſece mutentur, hoc eſt, non mutentur ex parte ſui, nec ex parte moralis bonitatis aut turpitudinis, ſed ex parte ejus, circa quod tales actiones verſabantur. Exempli gratia: Servare contractum per ſe debitum eſt, contractum violare illicitum per ſe, unde *lex civilis* non poteſt efficere, ut debitum ſit violare contractum, illicitum ſervare contractum, hoc tamen efficere poteſt, ut quod fuiſſet contractus, niſi *lex civilis* inter certas perſonas contrahi prohibuiſſet, ejusque violatio fuiſſet actus moraliter illicitus, nunc non ſit, cum auctoritate *legis civilis* effectum ſit, ut contractus nullum locum inveniat. Clarius eſto exemplum: Solvere debitum eſt per ſe moraliter neceſſarium: At faciamus creditorem, qui debitum exigit, ab eo, cui pœnæ exigendæ jus eſt, ad illius æris, quod alter ei debebat, pœnam damnari, cur non lege civili id conſtitui

poſ-

poſſet, ne pecunia a debitore ei, cui debebatur, ſolvatur? Non quaſi ea ratione *lex civilis* prohibeat debitum ſolvere,ſed quia efficit, ut pecunia, quæ alteri debebatur,illi ipſi deberi deſinat ac fiſco deberi incipiat. *Tertio*, judicent accuratiores, annon ex *civilibus legibus* in his, quæ moraliter definita ac determinata ſunt, ut eadem ante ſubditi facere aut non facere teneantur, imo tenerentur, ſi vel maxime ſubditi non eſſent, nova quædam oriatur obligatio etiam in conſcientiis ſubditorum, quanquam minoris gradus, quam prior fuerit, ita ut ſubditi contra facientes non eo tantum peccent, quod actum committant per ſe turpem ac ex ſua natura illicitum, ſed etiam quod *lege civili* vetitum, quia divinæ ordinationi reſiſtunt,& per legis civilis transgreſſionem legislatorem dehoneſtant. Hac in re gaudemus nos habere præeuntem ipſum *Hugonem Grotium tractatu poſthumo de imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra cap. 3. §. 4. p. m. 47. & ſeq.*

VIII. Cur LEX in moraliter definitis actionibus Reipublicæ præſcribendis prohibendisque potius, quam ſua cujusque RATIO vim regulæ obtineat, *Ariſtoteles* non minus vere, quam eleganter indicat, iſtud fieri cenſens cum propter imperantes, tum propter parentes. De

imperantibus ſic ſcribit. *III. Polit. cap. 16. Qui legem præeſſe jubent, videntur jubere DEUM præeſſe & leges: qui autem hominem jubet præeſſe, adjungit & beſtiam. Libido quippe talis eſt* (qualis eſt beſtiæ) *atque obliquos agit viros etiam optimos, qui ſunt in poteſtate. Quamobrem mens ſine appetitu* (ſine affectu) *lex eſt.* Quem locum *D. Petrus Muſæus* egregia *diſſertatione morali de Juſtitia cap. 1. §. 13. p. m. 3. & 4.* ſic illuſtrat: *Imperantes, quales tandemcunque ſint, vivunt affectibus obnoxii, ut omnes omnino homines. Et ſolent alias illi, qui clavum imperii tenent, haut paulo crebrioribus & validioribus, quam alii, peccandi illecebris tentari. Quod ſi ergo cuncta ſuo arbitratu gerant, quam facile fieri poteſt, ut a virtute deflexi & corrupti pluſculum amori vel odio perſonarum, quam æquitati, quam veritati, quam rectæ rationi tribuant? Ad hoc qui ſuo ipſorum quamlibet rectiſſimo arbitratu & judicio rebus gerendis præſunt, plurimorum improbis expoſiti odiis ſunt, præſertim quando ſeveritatem intuẽtes in ſceleratos dignis modis animadvertunt. Qui autem ex legum civilium præſcripto omnia adminiſtrant, etiamſi ad coërcendam hominum malitiam rigore quoque utantur, non adeo multum ſibi odii conflant. Quæ res nec experientia caret, nec teſtimonio Ariſtotelis libro X. Ethic. cap. ult.*

ita

ita inquientis: *Atque homines quidem, qui adpetitionibus adverſantur, etiamſi recte id faciant, plerique odio proſequuntur. At LEX, cum probitatem jubet, odio non eſt.* De parentibus ſeu ſubditis ſcribit *Ariſtoteles libr. X. Ethic. cap. ult. Ad hæc etiam & omnino ad omnem vitam opus legibus eſt. Plerique enim neceſſitati potius, quam rationi; & mulctis, quam honeſtati obediunt.* Hæc *Ariſtoteles.* Unde *leges civiles* in noſtra republica & omnibus prodeſſe dicuntur, cum malis, tum bonis, *l. juri operam 1. §. cujus merito 1. D. de J. & J. l. imperialis benevolentiæ 23. C. de nuptiis, l. ampliorem providentiam 39. C. de appellationibus & conſultationibus*, & optimis, *l. & qui originem 3. §. Præſes provinciæ 15. D. de muneribus & honoribus, l. Decuriones 1. D. de albo ſcribendo, l. quotiens viro 3.* in fin. *C. ubi Senatores vel Clariſſimi*, & Principibus *l. digna vox 4. C. de legibus & conſtitutionibus Principum l. bene a Zenone 3. C. de quadriennii præſcriptione.*

IX. Inde mirum non eſt, cur adeo egregiis elogiis & *Ariſtoteles* & *Juſtinianus* juſtitiam univerſalem extulerint. Ille *V. Ethic. cap. 3. hæc quidem juſtitia*, ait, *virtus perfecta eſt, & propterea virtutum præſtantiſſima, ut neque Heſperus neque Lucifer ſit adeo admirabilis. Et perfecta quidem maxime eſt, quia perfectæ virtutis eſt*

uſus:

uſus: Perfecta autem, quia qui eam habet, non ſolum ſecum, ſed cum altero etiam virtute uti poteſt &c. Videatur *ibi* pluribus. Iisdem eam encomiis prolixius ornat *Imperator Nov. 69. præfat.* Præclaris quoque teſtimoniis ac exemplis Biantis, Lycurgi, Charondæ, Themiſtoclis, Alcibiadis, Numæ Pompilii, Servii Tullii, Tarquinii, Junii Bruti, Valerii, Decemvirorum, qui primo & qui ſecundo anno faſcibus inſtructi cum ſumma poteſtate fuerunt, & plurium aliorum facile eſſet oſtendere, ſi ratio ferret inſtituti. Add. *D. totus titulus de origine juris & omnium magiſtratuum, & ſucceſſione prudentium.*

X. Num in uno eodemque homine revera dari poſſit juſtitia univerſalis? *Moraliſtæ* disquirunt. Qui negant, attendunt appetitus humani malignitatem, facilitatem peccandi tamque notoriam hominum imbecillitatem. Interim placet affirmantium diſtinctio duplex: Una inter juſtitiæ univerſalis *requiſita interna* & *externa*. Altera inter *inexiſtentiam*, ut loquuntur, *abſolutam* & *ſufficientem*. *Inexiſtentiam abſolutam* dicunt, qua juſtitia univerſalis ita in ſubjecto ſuo eſt, ut ipſum omnibus numeris & examuſſim adeo perficiat, ut nulla virtus nulliusque civilis virtutis actus ſit, quem ipſum ſubjectum ad ſalutis publicæ conſervationem in republica ſua

non

non inſtituat: *Inexiſtentiam* vero *ſufficientem* vocant, qua juſtitia univerſalis in ſubjecto ſuo datur, ipſum in tantum perficiens, ut quantum per copiam inſtrumentorum aliorumque externorum requiſitorum ſibi conceſſum eſt, virtuoſe agat, vel minimum ita ſe gerat, ut ex proæreſi nihil committat, quod vergat in perniciem aut detrimentum reipublicæ. Unde qui vere præfixam habet omnibus actionibus ſuis honeſtatem, prudens & conſtans eſt in omnibus ac ſingulis actibus & negotiis, is procul omni dubio habet juſtitiam univerſalem quoad interiora requiſita, eique ſufficienter juſtitia univerſalis inexiſtit, dum in civitate pro virili ſua ſalutem publicam tranquilla ac honeſta vita ſua nutrit, cum dentur homines, quos pœnis coërceri haut quaquam neceſſe eſt, quamvis vix exiſtant homines, quibus exteriora requiſita juſtitiæ univerſalis competant; aut, ſi competunt, non tamen æque perfecte. Inde fit, ut illa *inexiſtentia abſoluta* non ſit, hoc eſt, ut unus, quamvis interius juſtitiam univerſalem poſſideat, peculiariter commendetur ab hac vel illa ejus parte, eo quod ejus partis externa requiſita adſint, reliquis, juſtitiæ univerſalis partibus, quibus externa momenta deſunt, in occulto latentibus, non aliter, ac ſæpe nobis incognitum eſt, quod in alterius

terius intellectu tot ſint artes, quarum exiſtentiam, quia deſtituitur organis, quibus eas exerceat, alios docere nequit. Sic ſi quis divitiis deſtituatur, neutiquam liberalitatem, fortitudinem interim, ſi robore gaudeat, in ſalutem civitatis exercere poterit.

Oppoſitum juſtitiæ univerſalis. *Injuſtitiæ univerſalis definitio.*

§. 51. Oppoſitum juſtitiæ univerſalis eſt injuſtitia univerſalis. Eſt autem injuſtitia univerſalis vitium morale totum (h. e. complexus omnium vitiorum moralium compoſſibilium, ut *Moraliſtæ* loquuntur) quatenus eo poſſeſſorem inclinat, ut actiones ſuas inſuper habitis juribus naturalibus inſtituat commodi, quod ſibi imaginatur, cauſa.

NOTÆ.

I. Ut *Scholaſtici* dicere poſſent, qua ratione in uno eodemque homine injuſtitia univerſalis eſſe poſſit, diſtinxerunt inter vitia compoſſibilia & incompoſſibilia. *Illa* dicuntur, *quæ diverſis virtutibus oppoſita ſunt*, ut: Avaritia, audacia, iracundia &c. *Incompoſſibilia* vocantur, *quæ eidem virtuti opponuntur*: ut: prodigalitas & avaritia &c. Hinc tradunt ſufficere ad injuſtitiam univerſalem, ut ſit in uno eodem-

demque cive, omniaque vitia habere is dicatur, ſi habeat omnia, quæ ſunt compoſſibilia, h. e. quæ arguunt carentiam omnium virtutum moralium.

II. Quæ de juſtitia univerſali diximus, hæc mutatis mutandis intelligenda erunt etiam de injuſtitia univerſali, cum *contrariorum habituum contrarii ſint effectus & officia, una* vero *ratio*; ceu habent *regulæ Philoſophorum*, quas itidem *JCti* tuentur *l. qui accuſare 8. D. de accuſationibus & inſcriptionibus l. nihil tam naturale 35. l. fere quibuscunque 153. D. de Reg. Juris.*

§. 52 Hæc de juſtitia & injuſtitia univerſali. Juſtitia particularis eſt habitus voluntatis jus ſuum cuique tribuendi. *Juſtitia particularis quid.*

NOTÆ.

I. Hac definitionis formula idem exprimimus, quod vulgatiſſima definitione juſtitiæ indicatur, quam ex §. *Juſtitia 1. Inſt. de J. & J. & l. Juſtitia 10. D. eod. tit. JCti* tradunt hiſce verbis: *Juſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi.* Voluntas enim alias ſumitur nunc pro potentia, nunc pro actu volendi. Sed neutra ſignificatione de habitu juſtitiæ proprie prædicatur. *Logicus* igitur hanc prædicationem *cauſalem* appellaret, & forſan regulas interpretationis ſecu-

ſecutus ſic interpretaretur: Juſtitia eſt habitus voluntatis. Nam quod *Philoſophi* dicunt de habitu, quod ſit *qualitas permanens & de ſe ſtabilis in ſubjecto, per ſe primo ordinata ad operationem, non tribuens primam facultatem operandi, ſed adjuvans & facilitans eam*, ita enim habitum definit *Suarez diſp. Metaph.* 44. *ſect.* 1. *n.* 6. hoc forſan præſtant verba: *Conſtans & perpetua*, addita voci: *Voluntas*, ut ſignificetur habitus voluntatis.

II. Verbis *Ulpiani*: *Jus ſuum cuique tribuere*, apud *Ariſtotelem* reſpondet unicum verbum: δικαιοπραγεῖν, quod ſæpe in hac materia laudatus *D. Petrus Muſæus* ſic interpretatur: *In diſpenſandis bonis vel imponendis malis æqualitatem ſervare*. Explicat autem hic ſatis perſpicue mentem ſuam, quid videlicet per *æqualitatem* intellectum velit, nempe duas habitudines: Unam rerum ad invicem: Alteram rerum ad perſonas. Mentem ejus, ſi modo recte aſſecuti ſumus, declaramus hoc exemplo: Faciamus ab hominibus harum rerum peritis ac ſimul æquis æſtimatoribus æſtimatas fuiſſe magiſtratus juſſu ac auctoritate duplicis generis res: avenam & calceos, ita quidem, ut par calceorum æquivalens modio avenæ habeatur: Si jam agricola & ſutor contractum celebrant permutationis ſeu DO UT DES,

(dat

(dat ſc. ſutor agricolæ par calceorum, ut agricola ſibi det modium avenæ,) tunc datur jus ad calceos quæſitum agricolæ, & jus ad modium avenæ quæſitum ſutori. Hoc jus cognoſcere volens tenetur & res (par calceorum & medium avenæ) ad ſe invicem, & easdem res ad perſonas (agricolam & ſutorem) comparare. Hæ duæ permutatæ res: Par calceorum & modius avenæ, ſunt ſibi invicem æquales non ſecundum ſpeciem, cum ſint diverſæ ſpecie, tamen ſecundum proportionem, ut loquuntur: Eſt quippe idem utriusque rei valor. *Ariſtoteles* *ἴσον* vocat, quando ſimpliciter ad ſe invicem comparatæ res æqualitatem dicunt: Quod ſi illas ipſas res æquales referamus ad agricolam & ſutorem, a quibus permutantur, hæc modo ſimpliciter ſic dicta æqualitas illis ipſis perſonis ad ſe invicem comparatis jus quoddam eſt: Id propter *Ariſtoteles* quod priori reſpectu dixerat *ἴσον*, hoc poſteriori reſpectu appellat *δίκαιον*. Nam quando ſutor modium avenæ ab agricola accipit vi contractus, agricola autem par calceorum a ſutore, & ita uterque ab invicem res æquales accipiunt, agricola ſutori & ſutor agricolæ *jus ſuum* tribuiſſe, ſicque uterque, quod cuique debebatur jure quæſito, habere dicitur.

III. Num ergo *jus ſuum cuique tri-*

buere hoc loco ſic exponi poſſit, ut idem ſit, quod cuique tribuere quod ipſi ſtricto jure quæſito debetur, rem alieni judicii in præſenti eſſe volumus.

Injuſtitiæ particularis definitio. §. 53. Juſtitiæ particulari injuſtitia particularis opponitur, eſtque habitus voluntatis jus ſuum alteri non tribuendi.

NOTÆ.

I. Sicut præcedenti §. duas res inter ſe comparatas ſibique æquivalentes diximus res æquales, earumque habitudinem ad invicem *æqualitatem*, quam perſonis ad ſeinvicem *jus* quoddam eſſe monuimus: Ita ſi e contrario res ad invicem comparatas inæquales deprehendamus, illarum habitudinem cenſemus *inæqualitatis* nomine, imo hæc ipſa inæqualitas rerum in ordine ad perſonas non raro eſt injuria, quam unus infert, alter fert. Ita ut exemplum allatum ex *nota 2. p. 160.* repetamus, ſutor par calceorum dederat agricolæ, ut agricola daret modium avenæ, faciamus nunc agricolam dare avenam deterioris generis quam oportet, aut minoris ponderis, quam ad valorem æquandum ſufficere poteſt, ſic inæqualitas rerum ſuboritur, quæ in ordine ad perſonas *injuria* eſt, ſi nempe hanc inæqualitatem agricola ex deſti-

deſtinata animi malitia feciſſet ſuboriri, vel etiam de iſta inæqualitate a ſutore admonitus eam nequaquam voluiſſet corrigere: Dicimus enim, quod agricola ſutorem injuria affecerit, & quod ſutor ab agricola injuria affectus ſit.

II. Studio diximus hanc ipſam inæqualitatem rerum *non raro* in ordine ad perſonas injuriam eſſe, quia non ſtatim, ubi inæqualitas rerum datur, ibi injuria locum invenit. Aliud quippe eſt damnum, aliud injuria. Nam licet omnis injuria, ut in præſenti notionem injuriæ accipimus, ſit damnum, non tamen omne damnum eſt injuria. Si *Scholæ Doctorum* terminis res efferenda eſſet, damnum eſſet *materiale* injuriæ, *formale* vero injuriæ in eo demum conſtitueretur, quod damnum a volente alteri invito ac præter meritum illatum ſit.

III. De his diſtinctius agetur *libri II. cap.12.* & *libri III. cap. 11.*

IV. Nonnulli objectum juſtitiæ particularis duplex ſtatuunt: bona & mala, e. g. præmia dicunt bona, onera vocant mala: Alii tantum bona objectum juſtitiæ particularis faciunt. Verum res tandem eodem redire videtur: Minora enim mala, ſi comparentur cum majoribus malis, quæ ſic avertuntur, ſubire valent denominationem bonorum, & minora bona comparatione majorum ſæpe denominationem malorum.

Juſtitiæ particularis diviſio. §. 54. Juſtitia particularis alia eſt Ariſtoteli διανεμητική, diſtributiva, Grotio *attributrix*: Alia Ariſtoteli συναλλακτική, commutativa, Grotio *expletrix*.

[*Grotius* §. 8. *n.* 1.]

NOTÆ.

I. *Ariſtoteles* rationem appellationis ac diviſionis deſumit ab actibus & effectibus juſtitiæ particularis, qui ſunt: Diſtributio & commutatio.

II. Vix quicquam cauſæ habuit *Grotius* noſter, quare a receptis ſpecierum juſtitiæ particularis appellationibus abierit, & unam non diſtributivam, ſed attributricem, alteram non commutativam, ſed expletricem appellare voluerit. Utriusque quidem novæ appellationis rationem dare allaborauit *Grotius*, & quidem cur attributricem, quam diſtributivam aut diſtributricem appellare juſtitiam maluerit, hanc rationem reddit, quod *ſi unus tantum aptus inveniatur ad munus publicum, non diſtributio, ſed attributio locum inveniat*, ceu ex §. 8. in fin. *n.* 2. colligimus. * Verum niſi judicium nos fallit, neque diſtributio publicorum munerum, neque eorum attributio in ſe ſpectata ac per ſe actus juſtitiæ parti-

particularis eſt. Non enim facile confunderemus munera publica & præmia publica, quorum diſcrimina fortaſſis ſine labore datur aſſequi. Lubet adſcribere laudati *D. Petri Muſæi* verba ex *Diſſert. de juſtit. cap. 3. §. 75. p. m. 20. officium publicum*, ait, *& præmium non modo formaliter diſtinguuntur, ſed & diverſi ſunt utriusque ſcopi, ut & diverſa recte vel male diſtribuendi ratio. Nempe qui bene meritis præmia denegat, in bene meritos injuſtus eſt: Qui vero indignis minusve idoneis publica munera committit, toti reipublicæ injuriam facit.* Hæc *ille*. Et licet pro *Grotio* dicatur, quod publica munera non raro fiant præmia, hocque titulo viris de republica bene meritis decernantur: Hoc tamen utut lubenter concedatur, vix ullum *Grotianæ* opinioni patrocinium præbet, cum hoc plane per accidens fiat, quando publica munera ob adjunctos honores & emolumenta ſic diſtribuuntur. Nec eſt, quod urgeatur, in tantum tamen attributionem publici muneris fieri actum juſtitiæ particularis, in quantum conſideratur ut attributio præmii, quæ tamen diſtributio in allato caſu, ſi nempe unus tantum aptus inveniatur, fieri nequeat. Nam nondum hæc dubitatio nos movet: Non dicemus de eo, quod talismodi caſus vix poſſit obtingere, ſemper tamen diſtributioni adhuc

locus relinquetur, ſi daretur. Fiat enim comparatio bene meritorum & optime meriti, fiat comparatio aliorum præmiorum & ſplendidiſſimi præmii. Et ſic vix quicquam obſtiterit, quo minus facta dicatur aliorum munerum publicorum, ad quæ plures apti inveniebantur, & excellentiſſimi muneris, ad quod unus, diſtributio. Etenim ibi quoque, ubi *Grotio* fatente diſtributio propriiſſime actus juſtitiæ particularis dicitur, certo ſenſu ea non diſtributio, ſed ſaltim attributio eſt. Dum enim duo præmia inter Titium & Sempronium diſtribuuntur, ſingulis attribuuntur.

III. Quid *Grotium* adduxerit, ut commutativæ juſtitiæ appellationem faſtidiret, ſatis expreſſit *§. 8. n. 1.* quia ſcilicet nimis arcto vocabulo ſic dicta fuerit Ariſtoteli. *Nam*, inquit, *ut poſſeſſor meæ rei eam mihi reddat, non eſt ἐκ συναλλάγματος, tamen ad eandem hanc juſtitiam pertinet.* Enimvero nondum hæc ratio ab Ariſtotelica appellatione nos abſterret. Quippe credimus *Ariſtoteli* etiam commutationem dici actum, quo poſſeſſor meæ rei eam mihi reddit. Sicut enim duobus modis aliquid particulare aut proprium hujus aut illius recte dici poteſt: 1. *Quando alter ei ad illud præſtandum obligatus eſt*: E. g. quando quis tenetur pecuniam dare

pro merce, aut mercem pro pecunia, ut fit in contractu emptionis venditionis, quando quis ſimpliciter tenetur ſatisfacere pro altero, ut fit in fidejuſſione &c. *JCti* hocce jus *JUS AD REM* vocant. 2. *Quando aliquid ita ejus eſt, ut ubicunque inveniat, vindicare illud poſſit:* E. g. mea eſt ea res, quam amiſi, alter invenit bonaque fide poſſedit, nunc autem a poſſeſſore eam repeto & exigo, ut mihi reddat. *JCti* JUS IN RE nuncupant. Videatur ex *Moraliſtis Ludovicus Molina tom. 1. de Juſt. & Jur. tract. 2. Diſput. 2.* quæ tota agit *de diſcrimine inter jus ad rem & jus in re p. m. 30. & ſeqq.* & e *JCtis* Magn. D. *Struv. Syntagm. J. C. Exerc. 3. ad D. lib. 1. tit. 8. p. m. 108. §. 87. & ſeqq.* Nihil igitur impedit, quo minus actus juſtitiæ commutativæ cenſeatur is, quo poſſeſſor meæ rei eam mihi reddit, atque actus juſtitiæ commutativæ habetur is, quo fidejuſſor pro altero ſatisfacit, quia certe uterque actus eſt is, quo alteri jus ſuum, quod ſolus ut peculiare ac proprium habet, tribuitur. Quibus poſitis juſtititiæ commutativæ eſt & JUS ſuum AD REM, & JUS ſuum IN RE cuique tribuere. Nec ſatis cauſæ ſubeſſe videtur, cur juſtitiæ commutativæ actus ad ea, quæ JURIS AD REM appellatione veniunt, velimus reſtringere. Huc forſan apprime facit *l. Omnem 20. D. de judiciis,*

diciis, ubi *Paulus* ſic pronunciat: *Omnem obligationem pro contractu habendam exiſtimandum eſt, ut ubicunque aliquis obligetur, & contrahi videatur.* Conſulatur Domini *Ziegleri*, Excellentiſſimi *JCti*, eruditiſſima *animadverſio in hunc Grotii locum p. m. 47.*

IV. Obiter addimus, videri nobis, ac ſi minus felici calamo *Grotius* correxerit linguam *Ariſtotelis*, dum contra omnem Philoſophi intentionem de ipſo ſcribit: *Itaque* ἐπανορθωτικὴν *idem felicius dixit* eam ſc. juſtitiam, quam *Ariſtoteles* συναλλακτικὴν dixerat. Imo vero infelicius ita dixiſſet. Nam ſi nimis arcto vocabulo συναλλακτικὴ dicitur, longe arctiori ἐπανορθωτικὴ dicetur. Certe latius patet συναλλακτικὴ quam ἐπανορθωτικὴ juſtitia, hæcque illam ex mente *Ariſtotelis* ſupponit, ut ſequenti §. *56. nota 2. p. 170.* dicturi ſumus.

Juſtitia diſtributiva quid? §. 55. Juſtitia diſtributiva eſt habitus voluntatis de bonis communibus qua talibus jus ſuum cuique tribuendi.

NOTA.

Jus ſuum tribuere alteri de bonis communibus qua talibus eſt Ariſtoteli idem ac diviſionem inter eos, qui ejusdem communi-

munitatis participes ſunt, inſtituere circa bona communia qua talia, ut quisque accipiat, quod de bonis communibus qua talibus ſibi debetur: E. g. Sunto duæ perſonæ: capitaneus & miles, quibus quinquaginta imperiales, inter eos ſc. titulo præmii diſtribuendi, debentur. Ponamus ſatis æſtimatam utriusque perſonæ dignitatem ac deprehenſa capitanei merita fuiſſe meritis militis quadruplo majora, dum igitur quinquaginta imperiales inter capitaneum & militem ſic dividuntur, ut capitaneus quadraginta, & miles decem accipiat, diſtributor actum juſtitiæ diſtributivæ exercuiſſe, & cuique jus ſuum de quinquaginta imperialibus ut bono communi tribuiſſe dicitur.

§. 56. Juſtitia commutativa eſt habitus voluntatis de commutato jus ſuum cuique tribuendi. *Juſtitia commutativa quid?*

Notæ.

I. Jus ſuum de commutato alteri tribuere eſt ei concedere, quod ex commutatione ipſi debetur. Exemplum dedimus antecedenti *§. 52. n. 2. p. 160.*

II. Commutatio bonorum dupliciter fieri poteſt ſecundum juſtitiam particularem: 1. ita, ut quisque ſtatim accipiat, quod jure quæſito ſibi debetur. E. g. quando

do in exemplo permutationis *§. 52. n. 2. p. 160.* indicato agricola & ſutor absq; omni antegreſſa inæqualitate *ſuum jus* accipiunt. 2. Ita ut inæqualitas ſit antegreſſa, unusque lucrum, alter damnum tulerit; E. g. quando in *ibi* propoſito exemplo ſutor dederat par calceorum agricolæ, a quo, ut ei daret, acceperat modium avenæ, poſtmodum ſentit agricolam ſibi impoſuiſſe, cum quarta modii pars deſit. Si tandem agricola vel ſponte ſua, vel judicis auctoritate compulſus modium compleat, ſutori *jus ſuum* ante eidem denegatum *tribuere* dicitur. Hæc ideo notamus, quia ea demum faciunt ad meliorem Ariſtotelicæ doctrinæ notitiam. Nam quoties actus juſtitiæ particularis prior datur, h. e. talis, quo de commutato alteri jus ſuum tribuitur, ita ut nulla inæqualitas antegreſſa ſit, ſed ipſe ſtatim jus ſuum accipiat, toties actus ille in *Ariſtotelis Schola* in ſpecie actus juſtitiæ commutativæ & *κατ' ἐξοχὴν* dicitur: Si vero actus juſtitiæ particularis poſterior obtineat, h. e. ita comparatus, ut eum inæqualitas anteceſſerit, ſtylo *Ariſtotelis* ille actus juſtitiæ *ἐπανορθωτικῆς* dicendus erit, ut adeo commutativa juſtitia *Ariſtoteli* alia ſit in ſpecie ſic dicta, alia correctiva juſtitia, utraq; ex *Ariſtotelis* ſentētia laxiori juſtitiæ commutativæ nomine digna. Huc ea referantur, quæ *§. 54. not. 4. p. 168.* diximus. *§. 57.*

§. 57. Differunt ergo juſtitia diſtributiva & juſtitia commutativa finibus ac effectibus: Illius enim actus ſunt diſtributiones communium, hujus vero commutationes propriorum. Unde illa diſtributiva, hæc commutativa juſtitia denominatur. *Diſcrimen juſtitiæ diſtributivæ a commutativa.* 1.

§. 58. Differunt 2. Objectis: Nam objectum juſtitiæ diſtributivæ ſunt communia qua talia: Commutativæ propria qua talia. *Aliud diſcrimen.*

NOTA.

Hic diſſentit *Grotius*, qui plerumque, non vero ſemper hoc verum eſſe pronunciat, quod ab *Ariſtotele* & qui eum ſequuntur, dicitur. Ipſe enim *§. 8. n. 3.* in contrarium has dubitationes movet: *Contra,* ait, *ſi quis de re ſua legare velit, attributrice* (diſtributiva) *juſtitia uti ſolet: Et civitas, quæ de communi reddit, quod civium quidam in publicum impenderunt, non niſi expletricis* (commutativæ) *juſtitiæ officio fungitur.* Videtur interim ac ſi noluerit *Grotius* ſenſum, quem Scholæ vocant compoſitum, a ſenſu, ut vocatur, diviſo diſcernere. Studio diximus: *Communia qua talia, propria qua talia.* Nihil enim prohibet, quin ea, quæ communia ſunt, alia ratione propria, & quæ propria,

pria ſunt, alia ratione communia eſſe poſ-ſint. His obſervatis difficultas, quæ *Grotium* premit, tanta non videbatur, ut tantum virum afficeret. Nam ſi quis de re ſua legare velit, is non ſolet juſtitia uti, ſed liberalitate, ut forſan felicius Grotius ſic dixiſſet: *Si quis de re ſua legare velit* pluribus, liberalitate *attributrice* (diſtributiva) *uti ſolet*. Videntur enim confundi diſtributiva juſtitia & diſtributiva liberalitas. Nam actus, quo quis de re ſua pluribus legat, eſt meræ liberalitatis actus, quo rem ſuam pluribus donat ac inter plures diſtribuit. Namque nemo ex reliquis habuiſſet, quod de injuria ſibi illata vel etiam damno conqueri potuiſſet, ſi is, qui de re ſua pluribus legare volebat, ſaltem uni legare voluiſſet. Jam inſtet quispiam, quod tamen judex ab eo, qui legare de re ſua voluit, executor teſtamenti electus de ejus, qui legavit, rebus diſtributionem vi juſtitiæ particularis inſtituat, ut adeo negari nequeat, quod diſtributor juſtitiæ particularis munere defungens diſtributione circa rem propriam ejus, qui legat, verſetur. Ad id reſpondetur: Tunc non amplius res propria ejus, qui legat, eſt, ſi enim adhuc ejus, qui legat, propria eſſet, quo jure ab alio poſſet diſtribui inter plures, cum hoc paſſu injuria ei, cui propria eſſet, fieret. Quid aliud eſt legare quam dona-

donare? quod autem quis donat alteri, eo ipſo, dum donat, deſinit eſſe donantis, & fit ejus, cui donatur. Unde dicerem potius quemque eorum, qui id, quod ſibi legatum eſt, accipit aut ſibi vindicat, per juſtitiam commutativam id accipere, ut ſic per teſtamenti executorem ex pluribus, quibus quiſpiam de re ſua legaverat, unicuique id, quod ipſi legatum eſt, tribuentem quisque quod ſuum eſt ſibi vindicet, nam facimus etiam, quod per alium facimus. Talem actum, ut *§.54. n.3.p. 166.* videre eſt, juſtitiæ commutativæ actum vocavimus. Nec moveat aliquem, quod legatum revera diſtribuatur inter plures: Nam ſi diſtribuitur, proprium diſtribuitur, non ut proprium amplius eſt, ſed ut proprium fuit, actu autem ejus, qui pluribus id legaverat, commune factum eſt. Quamvis perſuaſum mihi ſit, id prorſus per accidens fieri, ut legatum ex juſtitia diſtribuatur, in quantum ex accidenti factum eſt, ut plures jus in re legantis quæſitum habeant. Alteram dubitationem, quam movit *Grotius*, eadem facilitate diſſolvi putamus. *Civitas*, ait, *quæ de communi reddit, quod quidam in publicum impenderunt, non niſi expletricis* (commutativæ) *juſtitiæ officio fungitur*. Ita quidem eſt, civitas de communi reddit, verum non ut communi. Nam ſicut in tali caſu cœtus iſte, quem
alias

alias civitatem vocamus, non ut communitas ſpectatur, ſed ut debitor, ita quod ſolvit de communi non ſolvit tanquam de communi & ut cœtus, ſed tanquam de proprio & ut debitor.

Aliud diſcrimen juſtitiæ diſtributivæ a commutativa.

§. 59. Differunt 3. formis: Juſtitia namque diſtributiva proportionem geometricam, juſtitia vero commutativa arithmeticam reſpicit.

NOTÆ.

I. Quid proportio ſit, quid proportio arithmetica, quid geometrica, an recte ita vocentur, an proportio, quæ vulgo geometrica appellatur, ſola nomen proportionis mereatur, omniaque, quæ eo ſpectant, ſolius *Mathematici* eſt tradere, ad quem interim qua talem æſtimatio virtutum moralium, jurium ac quorumvis aliorum, quocunque tandem veniant nomine, dogmatum vere moralium, nullo jure ſpectat. Nam ut mathematica ethice tradi nequeunt, ita nec ethica mathematice doceri aut diſci poſſunt. Apprime huc facit elegans hac de re diſcurſus *B. Horneii*, Viri poſt fata etiam celeberrimi, qui *Philoſophiæ moralis lib. 3. c. 12. §. 1. & 3.* videatur. Idem *eodem* ut & *ſequenti capite* uberrime proſequitur ea omnia, quæ ad explicandam proportionem in quaque ſpecie juſtitiæ ſcitu neceſſaria videbantur, qui

qui tamen ſimul in gratiam eorum, qui ſolidam Philoſophiam quærunt, optime monet operæ pretium non eſſe, multa huc afferre, quæ *Mathematici* de proportionum natura & differentiis in Geometricis aut Arithmeticis tractant, cum nulli rei id futurum ſit & fieri poſſit, ut ſi anxie nimis illa quis hic perſequatur, magis doctrinam hanc Ethicam inutilem ac impeditam reddat, quam explicet. Ipſe *Ariſtoteles V. Nicom.c.3.* utramque proportionem, ut ad præſens ſpectat, ſat nervoſe ac feliciter tradidit. Commendamus hanc in rem merito *duas Domini D. Johannis Muſæi diſſertationes Horneji diſpp. Ethicis* cura celeb. *Domini Gözii Jenæ editis* annexas: *Unam de æqualitate in juſtitia particulari obſervanda, Alteram de quæſtione Ethica: Utrum æqualitas inter delictum & pœnam geometrica, an vero arithmetica proportione conſtituenda ſit?* ut & *B. D. Petri Muſæi diſſertationem moralem Rintelii typis exſcriptam de Juſtitia*, præſertim quia hiſce hoc *inſigne* Theologorum pariter ac Philoſophorum ſummorum *Par Grotii* rationibus, quibus *Ariſtotelis* doctrinam de juſtitia impugnare ſategit, (*cum tamen ex ſententia D. Petri Muſæi c. 1. §. 2. Ariſtoteles cumprimis aureo illo Ethicorum ad Nicomachum quinto libro, accuratiori ſane diligentia, quam ante aut poſt ipſum quiſquam alius*
doctri-

doctrinam de juſtitia commentetur & inculcet) ex profeſſo ſatisfacere ſategerunt.

II. Lubet pauciſſimis ea tangere, quæ *Grotius* contra *Ariſtotelem* in proportionum materia urget hiſce verbis : *Quod vero idem Ariſtoteles ab expletrice ait reſpici proportionem ſimplicem, quam ἀριθμητικὴν vocat; ab attributrice autem comparatam, quam γεωμετρικὴν appellat, quæ ſola apud Mathematicos nomen habet proportionis; ex eorum genere eſt, quæ ſæpe locum habent, non ſemper : neque vero per ſe juſtitia expletrix ab attributrice differt tali proportionum uſu. Itaque & contractus ſocietatis expletur proportione comparata, & ſi unus tantum aptus inveniatur ad munus publicum, non alia quam ſimplici commenſione attributio fiet.* Hæc *Grotius l. 1. c. 1. §. 8. n. 2.* Enim vero quod prius attinet, ſunt qui negant, quod contractus ſocietatis expleatur proportione comparata, cum in diviſione lucri non fiat exæquatio rei ad perſonam, ſed rei ad rem, ſcilicet portionis lucri ad portionem pecuniæ collatæ. Quod autem illa per geometricam proportionem inveſtigetur, comparando portiones ſortis cum portionibus lucri, ex accidenti fieri cenſent, in quantum ſcilicet tres pluresve conjungi contingat, qui per collatam pecuniam ſimul lucrum quærant, cum ſi quisque ſeorſim ſua pecunia

lucrum

lucrum faceret, aut ſpectaretur ut ſeorſim ſua pecunia lucrum faciens, difficile non ſit rem rei ſine applicatione proportionis Geometricæ exæquare. Sunt qui affirmant contractum ſocietatis expleri per ſe proportione comparata, exiſtimantes, quod ſuppoſito contractu ſocietatis per ſe ſinguli ſocii in lucrum veniant, perinde ut quisque civium, ex quo civitati adſcriptus eſt, bonorum ejus per ſe particeps ſit. Hos amplius movet, quod nonnullæ negotiationes adeo ſumtuoſæ aut operoſæ ſint, ut non niſi ſocietas iis obeundis ſufficiat. Verum qui ſic ſtatuunt, negant, quod contractus ſocietatis ad juſtitiam commutativam pertineat, cum non omnes contractus auſint referre ad juſtitiam commutativam, ſed ſolum illos, vi quorum alter alteri æquale κατ' ἀριθμὸν debet, in quorum cenſum contractus ſocietatis non venit, cum in contractu ſocietatis hi, qui contraxerunt, ſibi invicem lucrum, quod ſuæ cujusq; ſorti κατ' ἀριθμὸν æquale ſit, hautquaquam promittendum habeant ob miras fortunæ viciſſitudines, quæ nunc lucrum ſortibus collatis majus, nunc minus, nunc damnum ſecum ferant, ut tamen ſemper quemadmodum ſors unius ad ſortem alterius ſe habet, ita cujusque lucri vel damni portioni portionem alterius reſpondere, ſicque diſtribu-

tionem ſecundum proportionem geometricam inſtituere neceſſum ſit. Inde adeſſe quoque volunt omnia juſtitiæ diſtributivæ requiſita: rem dividendam, perſonas earumque dignitatem ex eo æſtimandam, quod unus altero plus ad ſortem aut minime contulerit, æqualitatem per proportionem geometricam inveſtigandam. Quæcunque vero ex his duabus ſententiis eligatur, ſententia *Ariſtotelis* ſtat ſalva, poſteriorem tamen probat *Thomas expoſ. ſuper V. Nicom. lect. V.* Nam ſi id mere per accidens fit, ut contractus ſocietatis expleatur proportione geometrica, ſic ſtat *Ariſtotelis* ſententia h.m. explicanda, quod juſtitia diſtributiva per ſe reſpiciat proportionem geometricam: Si vero contractus ſocietatis per ſe ſpectat ad juſtitiam diſtributivam, ſic univerſaliter verum relinquitur a diſtributiva juſtitia proportionem geometricam ſemper reſpici. Ad poſterius *ſupra §. 54. n. 2. p. 164.* & *ſeq.* reſpondimus.

III. Eo facilius ſuperſedere poſſumus explicatione proportionum in utraque juſtitia, partim quod apud ante laudatos graviſſimos auctores ut & in *celeb. Domini Thomaſii Tabb.* ſufficienter tradita ſit, partim quod terminos mathematicos geometricæ & arithmeticæ proportionis *Ariſtoteles* ſaltem per ſimilitudinem quandam huc

huc accommodaverit. Imo vero doctrina de juſtitia tradi poſſet, nulla horum Mathematicorum terminorum mentione facta. *Non enim cum juſtitiæ ſpeciem unam geometrica, alteram arithmetica proportione Ariſtoteles gaudere dixit, aliud quicquam voluit, quam in una ſpecie aliquid occurrere ſimile illi, quod a Mathematicis geometrica proportio dicitur, & in altera tale quid reperiri, quod alias Arithmeticam proportionem appellant. Juſtitia enim diſtributiva per ſe minimum quatuor requirit terminos, duas ſcil. perſonas, quæ ad rem communem dignitatis ratione ſic vel ſic ſeſe habent; & duas res, quarum ad ſe eadem, quæ eſt perſona ad perſonam, ratio ſit. Atque in hoc conſiſtit convenientia, quæ æqualitati juſtitiæ diſtributivæ cum Mathematicorum geometrica æqualitate intercedit. Commutativa autem juſtitia per ſe in id incumbit, ut res rei adæquetur, non habendo reſpectum ad perſonarum dignitatem, ſed ſimpliciter medii ad extrema diſtantiam attendendo: in quo æqualitas juſtitiæ commutativæ cum æqualitate arithmeticæ proportionis convenit.* Verba ſunt *Domini Joh. Muſæi*, ſummi & exacti judicii Viri, *diſp. de æqualitate in juſtitia particulari §. 22.* Quibus addimus ſequentia, quæ *B. Hornejus* habet; Is enim poſtquam oſtenderat, cur in *Moralibus* utamur terminis Mathematicis, cum

tamen *Mathematicorum* ſit ſolummodo numeros abſtractos & proprie dictos, ſeu ut vocant, numerantes ac proprie dictam quantitatem explicare ac tradere, idque tandem fieri unice ob aliquam ſimilitudinem, quæ inter res, quæ proprie quantæ ſunt, & inter res morales, quæ alias a rebus, quæ proprie quantæ ſunt, toto genere diſtant, intercedat, ex *Ariſtotele* tradiderat, quæ nempe ſimilitudo nec explicari, nec intelligi poſſit, niſi Mathematicorum utamur terminis, tandem hæc ſubjicit: *Accurate id obſervandum eſt, cum alias abſurdum cuique videri queat doctrinam Ethicam ex Arithmeticis aut geometricis explicare velle. Sicut enim ſine dubio ineptum eſt concluſiones hujus disciplinæ ex principiis Phyſicis demonſtrare, ut notum eſt ex Logicis, & notat Philoſophus VIII. Ethic. c.1.t.9. ita nec ex principiis Mathematicis illarum veritas oſtendi poteſt. At longe aliud eſt terminos, quos una disciplina ex altera commodato accipit, in illa obiter explicare, & rerum ipſarum demonſtrationes confundere. Æqualitatem & proportionem in omni juſtitia requiri, aliam item proportionem competere juſtitiæ diſtributivæ, aliam commutativæ; & illi quidem ſolam geometricam, huic ſolam arithmeticam, concluſiones ethicæ ſunt. Unde iſtarum veritatem ex ſuis principiis Ethicus docet. Sed quid & quotuplex*

tuplex ſit proportio, quæ dicatur Geometrica, quæ Arithmetica, ſola Matheſis tradit &c. Vid. pluribus *loco ante citato*. In quo tantorum Virorum judicio merito nunc acquieſcimus.

§. 60. Et hæc de jure, prout idem ſignificat, quod lex, dicta ſunto. Pauca quædam de mutatione legis adjicimus. Eſt autem mutatio legis triplex: abrogatio, derogatio & diſpenſatio.

DE MUTATIONIBUS LEGUM. *Mutatio legis quotuplex?*

NOTÆ.

I. Non pauci quinque mutationis modos: *irritationem, abrogationem, derogationem, diſpenſationem* & *æquitatem* ſtatuunt. Alii *abſolutionem, privilegium, datam licentiam* addunt. *Irritationem* dicunt, *quando ii, ex quorum voluntate perfecta legis obligatio pendet, eam approbare recuſant*, e. gr. ſi magiſtratus aliquis oppidanus, cui a principe delegata eſt poteſtas ferendi leges civibus, ut tamen plena & perfecta obligatio legum pendeat ex voluntate principis, legem ſcripſiſſet, eam vero princeps nollet approbare, vel etiam penitus improbaret, tunc *irritatio* legis facta diceretur. Verum cum lex non ſit lex, niſi vim obligandi habeat, & vero antequam perfecta & plena obligatio legis

locum invenit, irritatio facta dicitur, vix meretur irritatio nomen mutationis legis. *Æquitas eſt correctio legis ea in parte, qua deficit ob univerſalitatem* : e. gr. ſit lex: *Portæ urbis non aperiantur in obſidione*, contingit autem cives quosdam Reipublicæ utiles elapſos e manibus hoſtium, apud quos captivi fuerant, ad urbem ſe recipere, absque quibus urbs defendi feliciter non poſſet, æquitas requirit, ut portæ aperiantur. Enim vero tantum abeſt, ut æquitas ſit mutatio legis, ut potius indicio ſit hunc vel illum caſum ſub lege nequaquam contineri, ſeu, quod idem eſt, ratione hujus vel iſtius caſus non eſſe legem. *Aliud enim eſt legem aut probabili aut etiam urgente cauſa tollere, aliud declarare factum ab initio mente legis non fuiſſe comprehenſum*, ceu ſcite diſſerit *Grotius l. II. c. 20. §. 27.* Jus mutandi legem non competit niſi legislatori, cujus uti eſt ligare, ita & ſolvere, nam Lex ex legislatoris voluntate originem ducens pendet a legislatore non in origine tantum, ſed & in duratione: At æquitas poteſt etiam fieri a ſubdito, præſertim quando res liquida eſt, imo ad eam ſcientia ac prudentia ſine poteſtate ſufficit. Mutatio legis ab animo legislatoris pendet, de æquitate id ſimpliciter dici nequit, cum alias facile obtineret vulgatum illud: *Summum jus, ſumma injuria.*

injuria. Imo non plane deſunt inter illos, qui jus naturæ adeo immutabile cenſent, ut ne a Deo quidem mutari queat, æquitatem interim in jus naturæ cadere admittunt. *Abſolutionem Moraliſtæ* vocant relaxationem non legis ſed alterius obligationis: Talis eſt e. gr. abſolutio a cenſuris: Vid. *Paulus Laymann. Theol. Moral. l. 1. tract. 4. de Legibus c. 21.* ſtatim ab initio *p. m. 87.* Non ergo abſolutio dici poterit mutatio legis. Rationem ipſe *Laymannus ibidem* dat, quia *abſolutio non eſt contra communem legem, ſed ſecundum legem, ſi perſona abſolutionem mereatur.* *Privilegium* propriiſſime ita dictum dicit omnimodam obligationis ex lege abſentiam, cum in rigoroſiori ſignificatu privilegium habuiſſe dicatur, qui ab obſervantia legis ſemper exemtus manſit. Huc forte reſpiciunt *Moraliſtæ* & *JCti*, quando *privilegium* definiunt, quod ſit *privata lex in alicujus favorem data. Laym. l. 1. tract. 4. c. 23. de privilegiis, n. 1. p. m. 96.* Aut, ut habet *Franciſcus Suarez tractatu de legibus lib. 8. de lege humana favorabili c. 1. p. m. 496. Privilegium eſt privata lex aliquid ſpeciale concedens.* Quæ definitio habetur paſſim apud *Doctores in rubricis de legibus* & *Summiſtas verb. privilegium.* Non ergo privilegium proprie mutatio legis dicetur. Equidem diſtinguunt *Moraliſtæ* inter *pri-*

vilegium præter jus, ſive, ut *alii* loquuntur, *ultra jus* & inter *privilegiũ contra* jus. Vidd. *Franc. Suarez & Laymannus locis citatis*. Sed de *privilegio præter jus* ſeu *ultra jus* liquet facile, quod non ſit mutatio juris: Cæterum *de privilegio contra jus*, quia hoc idem eſſe videtur cum diſpenſatione, *ſequenti* § *63. p. 188.* agetur. *Licentiam datam* nuncupant, *quando lex ea conditione lata eſt, ut omnes comprehendat ac obliget, niſi ſuperior vel alius quispiam licentiam præbuerit aliter agendi*: v. gr. nemo ſine conſulis licentia frumentum exportet. Verum enim vero nec data licentia eſt mutatio legis, quia ſuperior licentiam dans non tam efficit, ut aliquis lege ſolvatur, ſed potius, ut nunquam obligetur. Id quod *Laymannus cit. l. 1. tract. 4. c. 22. n. 1. p. m. 88.* his verbis aſſerit: *Tunc licentiam dans non diſpenſat in lege, aut relaxat legem, ſed affert conditionem, qua poſita, lex non obligat; licet ea ſublata, obligaret.*

II. Itaque mutatio legis in Scholis dicitur *relaxatio* legis ſeu remotio obligationis a ſubjecto legis. Non enim fit recte & proprie ſic dicta mutatio legis, niſi obligatio legis removeatur a ſubjecto legis, ita ut qui lege obligabatur, obligatus eſſe deſinat. Aut igitur obligatio legis abſolute tollitur, ut lex plane ac univerſim lex eſſe deſinat, vel ex toto, & ſic datur

abro-

abrogatio; vel ex parte, ſic *derogatio* fit: Aut obligatio legis in genere vigorem ſuum retinet, ac ſaltem removetur a certa perſona, quam alias obligaret, & ſic *diſpenſatio* locum invenit.

§. 61. Abrogatio eſt actus, quo legislator efficit, ut id, quod lex erat, ſimpliciter lex eſſe deſinat, nec quenquam amplius obliget: Ita e. gr. leges ceremoniales qua tales a Deo ſunt abrogatæ, h. e. illæ ipſæ leges, quæ perfecte obligabant populum Judaicum, ſimpliciter & ſecundum ſe totas ſublatæ ſunt. *Abrogatio quid?*

NOTÆ.

I. Ratio denominationis deſumpta inde creditur, quod populus conſueviſſet rogari, an vellet legem latam antiquari.

II. In cujus poteſtate eſt legem ferre, in ejus etiam poteſtate eſt eam abrogare. Tamdiu enim lex obligat, quamdiu legislator vult ut obliget.

III. Abrogatio fieri dicitur reſpectu ejus, quem obligabat. Nam quemcunque lex non obligavit, ejus reſpectu lex non fuit. Atqui lex ceremonialis nunquam nos obligavit. E. lex ceremonia-

lis reſpectu noſtri lex non fuit. Jam vero quicquid ex parte noſtri lex non fuit, illud ex parte noſtri non potuit abrogari, cum abrogatio ſit legis mutatio. Hæc adducimus in faciliorem intellectum eorum, quæ *Grotius §.16. n.7.* adfert, dum ait: *Hinc colligimus, nulla parte legis Hebrææ, quæ lex eſt proprie,* (lex ſcilicet voluntaria, de qua *ibi Grotio* ſermonem eſſe facile appa-ret) *nos obligari, quia obligatio extra jus naturæ venit ex voluntate legem ferentis. DEUM autem voluiſſe, ut alii quam Iſraelitæ iſta lege tenerentur, nullo indicio poteſt deprehendi. Non igitur, nos quod attinet, probanda eſt ulla legis abrogatio: nam nec abrogari potuit eorum reſpectu, quos nunquam obſtrinxit. Sed ab Iſraelitis ablata eſt obligatio.*

IV. Abrogatio dupliciter ſumi ſolet: 1. *in ſtrictiori ſignificatu*, nempe pro illo actu, quo legislator legi alias obligaturæ auctoritatem ſuam detrahit ita, ut legem in totum aboleat. Et hanc multi volunt abrogationem eſſe proprie ſic dictam. 2. *in largiori ſignificatu*, prout etiam abrogari dicitur lex, quando ejusmateria circa quam ſeu objectum mutatur, ita ut actiones, circa quas lex occupata fuerat, deſinant in poteſtate noſtra eſſe, ut juberi amplius cum effectu non poſſint, prohiberi eas opus non ſit; Item ſi objectum ita mu-

tetur,

tetur, ut obſervari lex nequeat, quin violetur alia magis obligans. Interim alii diſtingvunt inter abrogationem legis & ceſſationem, voluntque poſteriori modo dictam abrogationem potius meram ceſſationem legis eſſe. At qui contrariæ opinioni favent, exiſtimant nunquam ipſo jure, quod ajunt, aut citra legislatoris conſenſum ceſſare legem, ſed in tali caſu mutari voluntate legislatoris præſumpta, qui ſi publicæ ſalutis ſtudioſus eſt, uti eſſe præſumitur, nolet vel perniciosis legibus populi commodo obeſſe, vel inutilibus civitatem ſuam obruere, multo minus poterit ea, quæ non amplius in ſubditorum poteſtate ſunt, jubere.

V. Sublato ſubjecto, in quo eſt obligatio, utique lex ex parte ejus deſinit: Ita ceſſarunt leges forenſes Iſraelitis latæ, *poſtquam populus ille per excidium urbis & deſolationem præciſam ſine ſpe reſtitutionis populus eſſe deſiit. Grotius §. 16, n. 7.*

§. 62. Derogatio eſt actus, quo legislator efficit, ut id quod lex erat, non in totum, ſed in tantum lex eſſe deſinat, nec quenquam in tantum amplius obliget. *Derogatio quid?*

NOTÆ.

I. Unice per hoc differunt abrogatio & de-

& derogatio, quod per illam legis obligatio in totum, per hanc in tantum, ſeu ut alii, per illam ex toto, per hanc ex parte tollatur.

II. Quæ de abrogatione dicta ſunt, ea omnia mutatis mutandis facile de derogatione poſſunt intelligi.

Diſpenſatio quid?

§. 63. Diſpenſatio eſt remotio obligationis a certo ſubjecto legis, manentibus omnibus & iisdem circumſtantiis, ſub quibus lex viget aliosque obligat: e. gr. Princeps omnibus ſubditis geſtationem gladii lege prohibuerat, nunc vero eam obligationem legis de non geſtando gladio, quæ in genere vigorem ſuum retinet, removet a certis perſonis, quas antea legi adſtrinxerat.

NOTA.

Diximus §. *57. not. 1. p. 184.* quod *privilegium*, ceu vocant, *contra jus* videatur idem, quod diſpenſatio: *Moraliſtæ* tamen diſcrimen agnoſcunt. Ita enim *Laymannus Theol. Moral. lib. 1. tract. 4. c. 23. de privilegiis n. 5. p. m. 97. Altera eſt diviſio privilegii, quod aliud ſit præter jus; ſive, ut alii loquuntur, ultra jus: Aliud vero contra jus cujus generis ſunt multæ diſpenſatio-*

nes

nes in communi lege. Quamvis non omnino idem ſit privilegium contra jus & diſpenſatio in jure. Nam monopolium v. gr. privilegium quoddam eſt, & tamen diſpenſatio dici nequit: quia per illud jus commune non relaxatur, ſed potius reſtringitur. Deinde diſpenſatio facta ad unum actum, vel breve tempus v. gr. ut hodie carnibus veſci, ruri laborare liceat, privilegium proprie non eſt: hoc enim magis conſtans eſſe debet; cum ſit quaſi lex privata & jus ſingulare, ſicut notavit Salas diſp. 20. ſ. 1. in fine. Suarez lib. 8. de LL. c. 2. n. 10.

§. 64. Atque hæ fuerunt tres præcipuæ ſignificationes juris a Grotio propoſitæ; reſtat, ut pauca adjiciamus de permiſſionibus. DE PERMISSIONIBUS.

NOTA.

Antonius d' Escobar, qui *libro Theologiæ moralis* viginti quatuor ſocietatis Jeſu Doctorum doctrinam ſe complecti profitetur, *tractat. 3. exam. 1. c. 1. §. 1.* eaſdem acceptiones commendat: *Jus*, ait, *accipitur tribus modis: 1. pro juſto & æquo. 2. pro lege. 3. pro facultate ad aliquid, quo pacto quis dicitur uti jure ſuo.*

§. 65. Permiſſio locum habere dicitur, cum aliquis actus non impedi- *Permiſſio quid?*

peditur, qui tamen impediri poterat.

Permiſſio quotuplex? §. 66. Permiſſio eſt duplex: Una *nudi eſt facti*: Altera *fit lege.*

[*Grotius* §. *17. n. 2.*]

Permiſſio nudi facti quid? §. 67. *Permiſſio nudi facti eſt mera remotio impedimenti.*

[*Grotius* §. *17. n. 2.*]

NOTA.

Permiſſio nudi facti huc non pertinet, Grotius c. 1. §. 17. n. 2. Ita e. gr. ſano ſenſu dici poteſt, quod Deus permittat peccatum, hoc eſt, non impediat. Omittit enim Deus aliquid, quam omiſſionem ſcit conſecuturum eſſe peccatum: Quis enim neget, Deum ſpeciali auxilio facillime impedire poſſe peccatum, quod tamen omittit. Ita impedire potuiſſet DEUS, ne Petrus abnegaret, Judas proderet Chriſtum, modo ſpeciale auxilium utrique impertiviſſet, omiſit tamen impedire: At hæc Dei permiſſio eſt nudi facti, quæ nec impunitatem, nec jus dat, imo moraliter hoc potius agit Deus, ut impediat. Non enim Deus tenetur tali ſpeciali auxilio peccata impedire, & licet Deus ſciat, quod peccatum ſecuturum ſit omiſſionem auxilii,

xilii, aliud tamen eſt, ſi dicas, quod peccatum ſequatur talem omiſſionem,&,quod peccatum ſequatur ex tali omiſſione. Prius recte dicitur, poſterius, quod nempe peccatum ſequatur ex tali omiſſione, tanquam ex cauſa ſua, aſſeritur non ſine inſigni abſurditate ac impietate. Quomodo *Reformati* in morali Philoſophia ac Theologia abutantur doctrina de permiſſione, adeoque ſimul pernitioſum abuſum ac egregium uſum hujus doctrinæ recte intellectæ oſtendiſſe puto *B. Slevogtium* eximia & hunc in finem conſcripta *diſſertatione de voluntario*, quæ in *volumine diſpp.* habetur *p. 739.* totaque legi meretur. Add. *ejus diſſertatio de cauſa morali th. 39. & ſeqq p. 713.*

§. 68. *Permiſſio, quæ lege fit, aut plena eſt, aut minor plena. Permiſſio plena eſt, quæ jus dat ad aliquid omnino licite agendum*: e. gr. plena permiſſio eſt, qua ob grave periculum futuri mali ex dilatione pœnæ occiſio banniti privato permittitur. *Permiſſio minor plena eſt, quæ tantum impunitatem dat apud homines, & jus ne quis alius impedire licite poſſit*: e. gr. minor plena permiſſio eſt, qua ſubdito occiſio adulteræ uxoris ſuæ aut adul-

Permiſſio legis quid & quotuplex?

Permiſſio plena quid?

Permiſſio minor plena quid?

adulteri in continenti, hoc eſt, in ipſis rebus Veneris, aut quod *Solo* & *Draco* dicunt, ἐν ἔργῳ deprehenſorum permittitur.

[*Grotius* §. *17.n.2.*]

NOTÆ.

I. *Permiſſionis plenæ* indicium eſſe videtur *l. opprimendorum 2. C. quando liceat unicuique ſine judice ſe vindicare:* Contra *permiſſionem minorem plena* fortaſſis indicant *l. quod ait lex 23.* & *l. marito quoque 24. D. ad L. Jul. de adulteriis coërcendis.* Sed *de legis permiſſionibus* ſolidius agetur *l. II. c. 20.* quo B.L. remittimus.

II. *Ex prioris generis permiſſione non minus quam ex præcepto ſequitur, id, de quo agit lex naturæ, contra jus naturæ non eſſe. De poſteriori genere res aliter ſe habet. Sed raro locum habet hæc collectio: quia cum permittentia verba ſint ambigua, magis ex jure naturæ interpretari nos convenit, utrius generis ſit permiſſio, quam ex permiſſionis modo ad jus naturæ argumentando procedere. Grotius l. 1. c. 1. §. 17. n. 2.*

III. Hinc facile judicium ferri poterit de diſtinctione juris naturalis pro lege ſumpti in poſitivum & permiſſivum: Sane accurata ac recte ſic dicta diviſio non eſt. Nam

Nam vere & proprie dicta lex naturalis præcipit aut vetat, ſeu, ut *Hugonis Grotii* Philoſophia fert, lex naturalis proprie dicta obligat: *Permiſſio autem,* ut ſcite obſervat *Grotius l.1.c.1.§.9.n.2. proprie non actio eſt legis, ſed actionis negatio.* Dicis: Quicquid neceſſitatem imponit alteri, ne ponat ei, cui permittitur, impedimentum, illud obligat. Atqui lex permiſſiva neceſſitatem imponit alteri, ne ponat ei, cui permittitur, impedimentum E. Lex permiſſiva obligat. Reſpondetur 1. limitando Majorem: Quicquid qua tale neceſſitatem imponit alteri, ne ponat ei, cui permittitur, impedimentum, illud qua tale obligat. Sic conceſſa majore, negatur minor. Non enim lex permiſſiva, quatenus permiſſiva eſt, hanc neceſſitatem imponit alteri, ne ponat ei, cui permittitur, impedimentum. Nam permittere non eſt neceſſitatem imponere, ut liquet ex terminis. In ſenſu ergo materiali ac diviſo vera eſt hæc propoſitio: *lex permiſſiva obligat*; in formali autem ac compoſito ſenſu ſemper falſa manet. 2. Etiam hoc univerſaliter verum non eſt, quod dicitur, legem permiſſivam neceſſitatem imponere alteri, ne ponat ei, cui permittitur, impedimentum, ceu bene monet *Dn. Pufendorffius l.1. de jure naturæ & gentium c.6. §. 5.p.m 98.* quando, poſtquam ſic diſſeruerat: *Ali-*

qui tamen hactenus in permiſſione obligationem ſtatuunt, non quidem quæ ipſum, cui quid permiſſum dicitur, afficiat, ſed quæ tertium quemvis ſtringat, ne impedimentum alteri ponat, ſi quod lege permiſſum eſt, velit exercere; adjecit: *Etſi & hoc aliqui duntaxat ad illa pertinere volunt, quæ plene & perfecte permittuntur; non ſi quid imperfecte & per modum conniventiæ indulgeatur. Uti v. gr. leges civiles marito permittunt cædem uxoris in adulterio deprehenſæ, neque tamen vetant, quo minus alius eam cædem impediat.* 3. Idem *Dn. Pufendorf* hunc in modum exponit ſui animi ingenioſa ſenſa circa motam dubitationem: *Enim vero ſi accurate velimus loqui, neque iſte effectus proprie ex permiſſione reſultat, ſed ex cujusque libertate. Circa quæ enim lex mihi impedimentum non ponit, circa eadem libertate gaudeo; cujus hic præcipue eſt effectus, ut ne quis mihi innoxium ejusdem exercitium turbet. Sic ut expreſſe in legibus aliqua permittere, quorum licentia ex abſentia interdicti ſatis colligitur, ac de qua non temere dubium oriri queat, ſupervacuum fere videatur. Sicuti & non ſemper neceſſarium eſt, ut quando lex aliqua vetans abrogatur, actus hactenus vetitus expreſſa lege permiſſus deinceps declaretur, cum remoto impedimento naturalis libertas ultro velut reviviſcere cenſeatur.* Hæc *Dn. Pufendorf* loco citato.

QUÆ-

QUÆSTIONES.

Quæſtio I.

Num actus dentur neceſſario ac per ſe honeſti aut turpes?

§. 1. Negans ſententia adeo facilis apparet, ut niſi oppoſita in tralatitium dogma invaluiſſet, ſique modo quis præconceptis opinionibus ſtudioque partium occupatus animum ab hoc vinculo prius expedire, & tum de re ipſa vere & candide velit judicare, non poſſit non eidem ſubſcribere ac (velit nolit) confiteri, quod nulli actus dentur per ſe ac neceſſario honeſti aut turpes, quodque ante omnem legem quivis actus ſint indifferentes. Modo enim adhibeatur diſtinctio inter neceſſitatem hypotheticam & abſolutam, expirabit omnis difficultas, & quisque videbit facile, nullum actum eſſe honeſtum aut turpem neceſſitate abſoluta, ſed ſaltem hypothetica, atque adeo in ſe ac per ſe quemlibet actum eſſe indifferentem. Majoris perſpicuitatis gratia capiamus exempla. Quæritur: Num iſti actus e. gr. adulterium, furtum, homicidium &c. ſint (actus) neceſſario ac per ſe turpes? Ita quidem videri poterat, cum Deus ſane ne-

MYSTERIA MORALIA HIC REVELANTUR.

nequeat legem naturæ ita formare, ut inter officia hominis mutua ſint mœchari, furari, homicidium patrare, imo nullus homo poſſit adulterium, furtum, homicidium committere ſine omni turpitudinis nota. At quisquis rem ſine affectibus æſtimat, aperte videt, legem naturalem vetantem adulterium, furtum, homicidium, non congruere homini ex neceſſitate abſoluta, quamvis ea lex non poſſit non ipſi congruere ex neceſſitate hypothetica, poſtquam Deus (quem alias nulla neceſſitas adegit, ut omnino hominem crearet) ipſum deſtinaſſet creare animal rationale ac ſociale. Si enim is ad contraria officia fuiſſet adſtrictus, non ſociale animal, ſed alia feri ac horridi ſpecies animantis fuiſſet producta. Quo tamen non obſtante firmum manet, ante omnem legem quosvis actus eſſe indifferentes. Nam eo ipſo, dum Deus decrevit creare hominem, i. e. tale animal, cui non omnes actus deberent eſſe indifferentes, legem quoque ſimul eidem conſtituit. Sit enim animal, quod vocamus hominem, non amplius rationale aut ſociale, ſit ferum, ſit horridum, referat tamen forma externa hominem, ſed ita, ut præter nomen & externam ſpeciem nihil de homine habeat, utque adeo iſtud animal non ſit verus homo, qui animal ſociabile eſt, ſed aliud ferum & horridum ani-

animal, non obſtante externa figura inter bruta referendum, quis tunc iſtius hominis reſpectu adulterium turpe dixerit. Studio dicitur: iſtius hominis reſpectu, non enim hic notatur verus homo, quales nos ſumus, ſed id animal, quod ſuperfluæ quæſtionis gratia tantisper fingitur ac ex libertate philoſophandi homo vocatur. Corœbus ſæpius polluens alienas uxores ſicque committens adulteria, turpiter facit, quatenus verus homo, hoc eſt, animal rationale ac ſociale eſt. Sed fac *eundem* brutum, ferum ac horridum animal, ut nihilominus tamen forma externa hominem, qualis nunc eſt, referat, hunc ipſum (hoc eſt, hoc ferum ac horridum animal, quod non eſt verus homo, qui animal ſociabile eſt, quodque non obſtante externa figura inter bruta referri oportet) interim hominem, & quidem Corœbum vocabimus, ſane nunquam dixeris, ſi vel maxime errare velis, nunquam certe, quod pollutiones alienarum uxorum ab eo homine, nempe Corœbo, commiſſæ turpes ſint. Non ergo homini neceſſitate abſoluta prohibetur adulterium, nec adulterium a Corœbo commiſſum in ſe turpe eſt, ſed prohibetur adulterium homini ex neceſſitate hypothetica, quatenus rationalis ac ſocialis eſt, turpe quoque eſt adulterium a Corœbo commiſſum, quatenus

a rationali ac ſociali Corœbo commiſſum eſt. Quando igitur dicebatur, quod etſi nulla neceſſitas DEUM adegerit, ut omnino hominem crearet, tamen poſtquam ipſum deſtinaſſet creare animal rationale ac ſociale, non potuerit non lex naturalis ipſi congruere, non ex neceſſitate abſoluta, ſed hypothetica. Si enim is ad contraria officia fuiſſet adſtrictus, non ſociale animal, ſed alia feri & horridi ſpecies animantis fuiſſet producta; Tunc vocula Is d.l. non notabat verum hominem, quales nos ſumus, ſed id animal, quod ſuperfluæ quæſtionis gratia tantisper fingitur. Neque vero ejusmodi locutio plane inſolita, aut inaudita eſt; ſed ubicunque ſimiles quæſtiones proponuntur, reſponſio aliter concipi nequit. Sufficiat unum exemplum adduxiſſe: Ponamus conſtare de diverſa natura ſcarabæi & grylli campeſtris ſeu cicadæ. Ponamus moveri hanc quæſtionem: Num ex gryllo campeſtri potuerit fieri ſcarabæus? Reſpondetur, minime; quia ſi Is, qui jam ita petulca & obſtrepera eſt indole, tetricam & inficetam ſcarabæi naturam ſortitus fuiſſet, non amplius gryllus campeſtris foret, ſed purus putus ſcarabæus, pomis volvendis unice occupatus. Plura addere nihil attinet; mirari vero ſubeat, cur non *Grotius* ſolum, ſed & plerique ex

nostra-

noſtratibus Theologis, JCtis & *Philoſophis*, adeo perſpicaces eſſe nequiverint aut noluerint, ut viderent rem adeo planam ac evidentem, quod videlicet nulli actus in ſe ac neceſſario turpes ſint, qui interim contrarium, quo nihil ſtolidius fingi poſſe videtur, quod ſcilicet actus in ſe ac neceſſario turpes, item actus in ſe ac neceſſario honeſti dentur, citra ullam dubitationem paſſim aſſumpſerunt, quo admiſſo fieri non potuit, ut ullus eorum ſolidam doctrinam moralem ex fundamento, quod ajunt, poſſet tradere. Totum huncce diſcurſum in formam ſyllogismi ſi quis redactum deſideret, fortaſſis huc redibit ſyllogismus:

Quicunque actus ſunt ſaltem neceſſitate hypothetica honeſti aut turpes, quique non poſſunt non homini præcipi aut prohiberi ſaltem ex neceſſitate hypothetica, non abſoluta, illi neceſſario ac per ſe honeſti aut turpes non ſunt. ARGUMENTUM PRO NEGANTE SENTENTIA.

Atqui actus ab homine commiſſi, quos *Grotius* vocat per ſe honeſtos ac ſuapte natura debitos, aut per ſe ac ſuapte natura illicitos, ſunt ſaltem neceſſitate hypothetica honeſti aut turpes & non poſſunt non homini præcipi aut prohiberi ſaltem ex neceſſitate hypothetica, non abſoluta E.

Actus ab homine commiſſi, quos *Grotius* vocat per ſe honeſtos ac ſuapte natura debitos aut per ſe ac ſuapte natura illicitos, neceſſario ac per ſe honeſti aut turpes non ſunt.

Major eſt *Philoſophorum*: Quis enim neſcit aut in dubium vocat iſtud effatum: neceſſitas hypothetica ſtat cum contingentia.

Minor Solem, quod ajunt, quaſi in manibus geſtat. Nam ſi Deus hominem, qui nunc quidem eſt animal rationale ac ſociale, alium plane condidiſſet, tunc iſti actus, qui, uti nunc ab eo committuntur, poſtquam Deus ipſum creavit animal rationale ac ſociale, neceſſario turpes ſunt, turpes non eſſent. Reducantur huc omnia & ſingula, quæ in anteceſſum dicta ſunt.

AFFIRMANS SENTENTIA ADDUCITUR.

§. 2. Verum oppoſita *Grotii* ſententia, ſicut receptiſſima eſt, ita veriſſima videtur. Quidni enim certiora crederemus ea, in quæ communi opinione conſenſum eſt. Imo nulli dubitamus, quin commendator ac patronus contrariæ ſententiæ ad ſacrum quoddam ſilentium redactus ſit, ſi candidus ac æquiſſimus veritatis æſtimator rationes quidem, non autem terminorum luſus meris gravidos convitiis ſpectet. De ejusmodi homine, qui ſic faſtidit glorioſus ac omiſſis rerum momentis incautam juniorum aliorumque, qui docti videri

videri malunt quam eſſe, turbam novorum ac immutatorum terminorum decipula capere viroque docto indigna ſcommata in eum, qui communem ac ab iis,qui cunctis bonis optimi pariter ac celeberrimi Philoſophi, JCti,Theologi audiunt,hactenus defenſam ac penitus receptam ſententiam defendit, profligato pudore conjicere nititur, grave judicium fert ſummus Vir & cui commoda Academicæ & ad ſolida natæ juventutis cordi ſunt, celeberrimus *Conringius*, dum ea ſcribit: *Ridiculum atque inane eſt, contra receptam vocabulorum acceptionem multa conſtituere. Certe inſaniæ eſt proximum, hiſce novitatibus acumen ingenii oſtentare velle, proque excuſanda tanta inſolentia conviciis proſcindere antiquitatem.* Licet igitur ſatis pene eſſet ſententiæ, quæ §. *præcedenti* indicabatur, rejiciendæ,& quam cum *Grotio* defendendam ſuſcipimus, confirmandæ, unum illud, quod cõmmunis ſit,nec accuratioribus *Philoſophis* modo, ſed & *JCtis* ac *Theologis noſtratibus* placeat; non enim id facile poterit approbari a cordatioribus *Moralium Cultoribus*, quod tantis Viris diſplicet, lubet tamen unum ſaltem vel alterum argumentum non tam adducere, quam alibi prolixe adductum repetere. Et quidem hæc ipſa *Grotii* ſententia, quod actus dentur neceſſario ac per ſe hone-

ſti aut turpes, probari primo poteſt hoc argumento:

Pro Affirmante Sententia. Arg. I.

Si nulli dantur actus neceſſario ac per ſe honeſti aut turpes, ſequitur, quod Deus potuerit leges naturæ de officiis hominis mutuis ita formare, ut contraria forent præcepta illis, quæ jam ſunt, v. gr. ut inter debita ac officia hominis eſſent Deum contemnere, ſeipſum odiſſe, perdere, guſtus elementa per omnia quærere, omni libidini obſequi, homicidium, adulterium, furtum committere, calumniari, promiſſo cadere, fidem datam violare: inter vetita autem Deum colere, ſeipſum amare, conſervare, gulæ imperare, refrenare libidines, proximo ſuum relinquere, promiſſo ſtare, fidem ſervare.

Conſequens eſt abſurdum. E. & antecedens.

Conſequentia per ſe ſatis eſt manifeſta. Nam ſi homo, ſcilicet ille, penes quem leges ferendi poteſtas eſt, talismodi actus, in quibus plane nihil neceſſario ac per ſe honeſti aut turpis involvitur, quosque ante præceperat, prohibere, & quos prohibuerat, præcipere poteſt, quidni Deus multo magis invertere leges naturæ in tali caſu poſſet, ut ex debitis vetita, & ex vetitis debita fierent.

Abſur-

Abſurditatem conſequentis nemo inter illos, qui ſano judicio præditi ſunt, negat: Quis enim ſaniorum hominum eſt, cujus aures non abhorreant a talismodi injuſtiſſimis præceptis: Deum contemne, teipſum perde, fac homicidium, mœchare, furare, calumniare, fidem datam viola &c. Non cole Deum, non conſerva teipſum, non tribue proximo ſuum, & ſimilibus.

Deinde adeſſe iterum volumus hoc argumentum:

Si Deus ex ſua natura, neceſſario ac per ſe juſtus eſt, ſequitur, quod actus dentur neceſſario ac per ſe honeſti aut turpes. ARG. II.

Prius eſt verum. E.

& poſterius.

Conſequentia non eget prolixa probatione. Nam ille actus, qui cum ſimpliciter neceſſaria juſtitia ac quæ per ſe talis eſt, pugnat, neceſſario ac per ſe turpis erit, eidemque ex diametro oppoſitus actus neceſſario ac per ſe honeſtus.

Annon vero minor confeſſæ veritatis eſt apud *Philoſophos* ac *Theologos*? Stupidiſſimus profecto ſit aut peſſimi commatis, qui quod juſtitia perfectio ſimpliciter ſit, hoc eſt, in ſuo proprio & formali conceptu dicat perfectionem ſine imperfectione, aut nequiverit aut noluerit aſſequi.

qui. Remitto illum ad *Metaphyſicos*, prius vero caput purget. Interim uti quisque, qui ſani cerebri eſt, non poteſt Deum aliter concipere, quam non ſolum infinita quadam eminentia, ſed & ſummo in nos imperio præditum; ſecus enim inane idolum & quidvis potius quam Deum conciperet; Ita ſtante eo, quod juſtitia perfectio ſimpliciter ſit, uti notiſſimum eſſe debet, aut Deus juſtus eſt, aut infinitus non eſt. Imo amplius aut Deus neceſſario, per ſe ac ex ſua natura juſtus eſt, aut non eſt neceſſario, per ſe ac ex ſua natura infinitus.

ARG. III. Tertio hæc eſt ſententia ejus, quem omnes, qui ſolidam philoſophiam æſtimant, pro omnium Philoſophorum Principe habent. Ita quippe ille *I. Rhetor. c. 13. Eſt enim quoddam, quod augurantur omnes natura commune juſtum & injuſtum, etiamſi nulla ſocietas invicem ſit nullaque pactio. Non etenim id nunc, & heri, ſed ſemper fuit, & nemo ſcit, unde ejus ortus ſit. Et ut Empedocles dicit, de non interficiendo, quod animatum eſt; non quibusdam juſtum eſt, quibusdam vero non juſtum eſt, ſed hoc quidem omnium legitimum perque latum æthera omnibus in partibus extenſum eſt, perque ingentem ſplendorem.* Illuſtrem hunc Ariſtotelis locum deſumere placuit ex verſione, qualem ſuæ editioni adjun-

adjunxit eloquentiæ Profeſſorum ſplendidum lumen, *Dn. Schraderus.* Ex inſtituto hanc materiam *Philoſophus* tractat *l.II.Moral. Nicom. c. 6.* quando ſic diſſerit: *Nonnullæ ſunt actiones, ut adulterium, furtum, homicidium*, ἔνια εὐθὺς ὠνόμαςαι συνειλημμένα μετὰ τῆς φαυλότητος, *quæ ſtatim vel ipſo nomine malitiam implicant, hæque ita appellantur, quia non exceſſus aut defectus earum, ſed ipſæ turpes ſunt, ut nullo modo quis poſſit in iis recte ſe gerere, ſed peccare ſemper neceſſe ſit, neque bene aut non bene ſe gerat, dum quatenus & quando & quomodo oportet, adulterium committit, ſed abſolute unamquamque harum actionum committit, ſtatim peccat.* Hunc locum *Grotius* noſter laudat ac probat *c.1. §. 10. n.5.* Add. *III. ad Nicom. c. 1. I. Magnorum Moralium c. 8. & II. c. 10.* item *II. Evdem. c. 3.* Eadem ſententia eſt *Platonis, Socratis, Pythagoræ, Zenonis, Chryſippi, Epicteti, Senecæ,* veterumq; *Scholarum* ac *Philoſophorũ fere omnium,* ſi Scepticos eximas, e quorum nugis quaſi cineribus hodiernas novitates reſuſcitari, optimi pariter ac ævi noſtri doctiſſimi Viri cenſent. Ut nihil nunc dicamus de conſenſu Gentium, Legumlatorum hominumque ſingulorum, (quem probandæ ſententiæ *Grotii* ſatis idoneum chartæ alii operæ deſtinatæ anguſtia non capit, alio vero ſcripto priſtini

ſtini promiſſi memores docere parati ſumus) paucis exceptis, *qui communem hunc conſenſum ſuo diſſidio impedire non magis idonei ſunt, quam apud Geographos orbis rotunditatem diſperſi per terram montes, quando cum reliqua mole conferuntur*, ceu ſcite ac eleganter judicat ſupra a nobis plus ſimplici vice laudatus *Dn. Mauritius, JCtus, diſſertationum de juris publici ſpecim. c. 4. ſect. 2. §. 21. n. 24. p. m. 74.*

ARG. IV. Quarto eſt hæc communis *Moraliſtarum*, ut vocantur, ſententia, ut teſtatur *Gabriel Vazquez*, inſignis judicii Moraliſta, quando *comment. in 1.2. Thomæ quæſt. 71. artic. 6. diſp. 97. c. 3. p. m. 658.* ait: *Mihi ſemper placuit communis ſententia, quæ docet, non omne peccatum eo eſſe peccatum, quia lege aliquave prohibitione imperante vetitum ſit, ſed quia ſuapte natura malum ſit homini. Probatur hæc ſententia, quia ſi ex voluntate Dei prohibente omnia mala eſſent, conſequeretur, ea omnia voluntate etiam Dei potuiſſe non eſſe peccata. Hoc autem eſt abſurdum: Neque enim odium Dei, perjurium, & aliqua hujuſmodi fieri bona potuiſſent, ut manifeſtum eſt. Ergo non omnia peccata mala ſunt, quia prohibita, etiamſi ad æternam legem Dei reſpicias.* Hæc *Vazquez*. Loca *Moraliſtarum* melioris commatis adferre præter rem præſentem fuerit, cum id tam multi fecerint, alio vero lo-

co

co nos facturi ſimus. Præpoſtero interim ac impetuoſo judicio ejus, qui conſenſum *Moraliſtarum* admittit, iſtis tamen hominibus ſuorum traditorum nullum certum fundamentum aut hypotheſin ſubſternere ſolenne eſſe ſine rubore aſſerit, ut eorum unum ſi noveris, omnes noveris, cum ita omnes magno conatu magnas nugas agant, ut tamen vix ulla ſit quæſtio, in qua iſti in partes non diſcedant, huic, inquam, præpoſtero, aſpero, nimis rato judicio, cujus rigoroſius examen alius dies ſibi vindicat, interea temporis prudens ſincerumque *Hugonis Grotii* judicium opponimus: *Scholaſtici quantum ingenio valeant, ſæpe oſtendunt: Sed in infelicia & artium bonarum ignara ſecula inciderunt; quo minus mirum, ſi inter multa laudanda, aliqua & condonanda ſunt. Tamen ubi in re morum conſentiunt, vix eſt ut errent: quippe perſpicaces admodum ad ea videnda, quæ in aliorum dictis reprehendi poſſunt: In quo ipſo tamen diverſa tuendi ſtudio laudabile præbent modeſtiæ exemplum, rationibus inter ſe certantes, non qui mos nuper adeo literas coinquinare cœpit convitiis, turpi fœtu impotentis animi. Prolegom. in libb. de J. B. & P. n. 52.* Quid ſi Grotius reſurgeret ſibique mortuo leoni adeo quempiam inſultaſſe, cerneret, ut ſententiam ejus, quæ communis *Philoſophorum, Theologo-*

logorum ac *JCtorum* eſt, veritus non fuiſſet dicere eam, qua nihil ſtolidius fingi poſſe videatur & ex qua horribilia abſurda ſequantur, opusque de Jure B. & P. bonam partem fundamento obſcuro, circulatorio & nugatorio ſuperſtructum.

ARG. V. Quinto maxime aſſentiunt huic ſententiæ *JCti* cum veteres tum hodierni. Ita *Ulpianus l. probrum 42. D. de verborum ſignificatione: Probum & opprobrium quædam natura turpia ſunt, quædam civiliter & quaſi more civitatis: ut puta furtum, adulterium natura turpe eſt: Enim vero tutelæ damnari, hoc non natura probrum eſt, ſed more civitatis: nec enim natura probrum eſt, quod poteſt etiam in hominem idoneum incidere.* Ita *Pomponius l. nam hoc 14. D. de condictione indebiti: Hoc natura æquum eſt, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem.* Sic *Papinianus l. ſi adulterium 38. §. nonnunquam 3. D. de adulteriis* criminum natura graviorum mentionem facit, dum *inceſti crimen natura gravius* cenſet, *quam adulterii.* Add. *§. ſed naturalia 11. Inſtit. de Jur. Nat. Gent. & Civ.* & *§. ſingulorum 11. Inſt. de Rerum divis.* Plurimorum *magni nominis JCtorum* hujus ævi & qui aliis ſeculis ac diverſis locis vixere, conſentientes pro actibus neceſſario ac per ſe honeſtis ac turpibus ſententias alibi conſpiciendas dabimus.

Sexto

Sexto accedit auctoritas ipſius SPIRITUS SANCTI, qui pluribus *Scripturæ Sacræ locis* eandem ſententiam de actibus neceſſario ac per ſe honeſtis aut turpibus ſat manifeſto indicat. Inſignis locus extat *Ebr. VI. v. 18.* ubi *ſervare promiſſum & jusjurandum* expreſſis verbis vocantur, δύο πράγματα ἀμετάθετα, ἐν οἷς ἀδύνατον ψεύσασθαι Θεὸν, *duæ res immutabiles, in quibus prorſus nequeat fieri, ut Deus mentiatur.* Ex hoc loco ſi quis nolit cognoſcere ſententiam de actibus neceſſario ac per ſe honeſtis vel turpibus, eum oportet aut ſine oculis vivere, ut contextum legere nequeat, aut ſine mente, ut ea, quæ in contextu tam perſpicua ſunt, atque ſi radiis ſolaribus ſcripta ſint, nequeat intelligere, aut ſine pietate, ut ea, etiamſi videat, intelligat, nolit videre, nolit intelligere. Satis eſſe poterat, quod *antiquiſſimi Eccleſiæ Doctores probatiſſimique Scripturæ Sacræ Interpretes* eandem ſententiam inde probent, quorum fides longe major eſt, quam uti eam elevet pertinacis ſupercilii cenſor, qui quum aliud non habeat contra *Patrum, antiquiſſimorum ſimul & omnium ſeculorum Interpretum noſtratiumque Theologorum* interpretationes ac doctrinas, & quod præcipuum eſt, contra *expreſſam ſacri codicis literam*, ἐν οἷς ἀδύνατόν ἐστι ψεύσασθαι τὸν Θεὸν, in qui- Arg. VI.

bus Deus non poteſt mentiri, idem eſſe dicit, atque non vult mentiri. Omnium Theologorum, omnium qui veritatem cœleſtem amant, omnium cordatiorum judicio exponimus, velim, judicent ex contextu, annon *auctor epiſtolæ ad Ebræos* ibi ſufficienter & perſpicue velit declarare: An & unde homo plenam ac perfectam ſpei ſalutis æternæ certitudinem habere poſſit? Vel, an & unde homo certus eſſe poſſit, quod DEUS impleta ea conditione, ſub qua ſalus ſperanda certo propoſita eſt, certo ac indubitato ſalutem ei collaturus ſit? Sic enim *v.* præcedd. *9. 10. 11. 12. perſuademus nobis vos ſalutem æternam adepturos, quia bene cœpiſtis. Non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri cœpti. Cupimus autem, ut unusquisque veſtrum idem præſtet ſtudium ad plenam ſpei certitudinem, usque ad perfectionem. Ne ſitis imbecilles, ſed imitatores eorum, qui per fidem ac patientiam hæreditatem accipiunt promiſſionis. v. 17. quum Deus vellet hæredibus promiſſionis magis oſtendere firmitatem conſilii ſui.* Jam hoc ipſum ſic oſtenditur & declaratur: *v. 13. Deus pollicitus Abrahæ, cum non haberet ſe ſuperiorem, per quem jurare poſſet, juravit per ſe ipſum,* per neceſſariam ac intrinſecam ſanctitatem ac juſtitiam v. 16. *Nam homines quidem per eum jurant, qui ſit ſuperior*, per Deum,

Deum,qui & omnia certo novit & ad vindicandam injuriam eſt potentiſſimus, *atq; omnem ἀντιλογίαν tollit juramentum confirmativum promiſſi.* v. 17. *Qua in re quum Deus vellet hæredes promiſſionis magis certos reddere,intervenit juramento.* Dicuntur autem Latinis intervenire, qui fidem alicujus fulciunt. Ægyptii jusjurandum vocant *μεγίϛην πίϛιν,* narrante Diodoro Siculo. Terentius: Aliud ſi ſcirem, qui firmare meam apud vos poſſem fidem ſanctius quam jusjurandum, id pollicerer tibi Lache. Sic ergo DEUS ſuam ipſe fidem fulſit jurejurando, v. 18. *UT PER DUAS RES IMMUTABILES, IN QUIBUS IMPOSSIBILE EST MENTIRI DEUM, validam conſolationem haberemus, qui huc confugimus, ut potiamur propoſita fide, quam velut anchoram tenemus animæ & tutam & firmam & introeuntem usque ad ea, quæ ſunt intra velum,* v. 20. *quo præcurſor pro nobis ingreſſus eſt Jeſus &c.* Dicat ergo quis & iſtud dicat ex veritatis & pietatis amore,niſi promiſſo cadere & jusjurandum violare eſſent actus neceſſario & per ſe turpes, ut adeo Deus duobus vinculis moralibus teneretur, injuſtusque aliquo modo dici poſſet, ſi non ſtaret promiſſis, ſi violaret jusjurandum, niſi, inquam, hæc ita ſe haberent, quomodo ex eo, quod DEUS fidelibus

ac piis ad vitam æternam perducendis promiſerit & juraverit, quisquam πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος ἄχρι τέλους validamque conſolationem habere, & quanam ratione conſolatio, quæ ex illis promiſſis oritur, vice firmæ ac tenacis anchoræ eſſe poſſet, quæ inter tantos fluctus & tempeſtates ſeculi efficeret, ne mergeretur, imo quomodo ea velut præſentem eum ſiſtere valeret in cœlo illo ſummo? Nam ſi dicatur hoc ex proprio beneplacito DEI provenire, quod is quædam agere non poſſe dicatur, quod beneplacitum mortales ad magnitudinem & præſtantiam ipſius attemperatum concipiamus, aut nihil dicitur, aut hoc, quod promiſſo cadere, jusjurandum violare ſint actus neceſſario ac per ſe turpes, ut ſi a Deo tales actus procederent, illi eſſent ſimul neceſſario ac per ſe turpes, quia per ſe pugnant cum veracitate & juſtitia, & non eſſent ſimul neceſſario ac per ſe turpes, quia a Deo, qui eſt ipſa veracitas & juſtitia, procederent. Actum autem eſſe neceſſario ac per ſe turpem, & non eſſe neceſſario ac per ſe turpem, ut patet, contradictionem implicat. Atque hæc veriſſima ratio eſt, cur DEUS promiſſo cadere & jusjurandum violare nequeat. Lubet adjicere verba magni illius Theologi *D. Alberti Grawerí* p. m. qui *cent. illuſtr. quæſt. Theolog. diſp. 10. de prima cauſa*

cauſa & natura mali quæſt. 7. p.m. 420. poſtquam §. *1.* inter alia ſcripſerat: *Dicunt quidam: Profanus error & ridiculum delirium illorum eſt, qui cenſent & dicunt: Si Deus hoc vel illud imperaret, injuſtus eſſet. Hæc illi.* Hoc judicium fert: *Verum ipſi delirare videntur, dum hæc ſcribunt: neſcire videntur, quid ſit ſyllogiſmus δι' ἀδυνάτε, de quo Ariſtoteles in 2. prior. Analytic. Quemadmodum recte concludo: Si homo non haberet animam rationalem, ne homo quidem eſſet: Ita etiam recte concludo: Si Deus mendacium, ſcelera, injuſtitiam &c. vellet, injuſtus eſſet, & ne ſic quidem Deus eſſet.* Vid. *ibi* pluribus. Ex profeſſo hæc & uberius probata ac explicata dabimus in *libro de Jurisprudentia naturali, h. e. de univerſa methodo recte diſcendi docendique moralia ac diſcernendi ſcripta ad parandam prudentiam moralem maxime idonea a minus idoneis,* qui, ſi DEUS volet, brevi lucem publicam aſpiciet. Eandem quæſtionem *duabus publicis diſſertationibus* antidhac ventilavimus.

EA, QUÆ PRO NEGANTE SENTENTIA §. I. ADDUCEBANTUR, EXPENDUNTUR.

§. 3. Interim cordato doctiſſimorum virorum judicio relinquimus, num quæ §. *1.* adducta ſunt, mereantur aliquam prolixam refutationem, & annon potius magnam admirationem moveat ingenuis moralis doctrinę æſtimatoribus, qui omnia ſolidis & perſpicuis rationibus, quantum fieri

fieri potuerit, a ſe confirmata jactat, audet tamen adeo levi ac ludicro argumento convulſum ire ſententiam, in quam communi opinione conſenſum eſt, quæque non *Grotii* ſolum, ſed probatiſſimorum Virorum, *Philoſophorum*, *JCtorum* ac *Theologorum* omnis ævi ſuffragiis celebratur. Quis enim ſaniori judicio præditus non admittit regulam iſtam: *Talia ſunt ſubjecta, qualia permittuntur eſſe a prædicatis*, cujus in omni Philoſophia ac Juriſprudentia, in ipſa Scriptura Sacra ac Theologia inſignis ac frequens eſt uſus. Et hæc ſane regula non arbitrario hominum uſu, ſed lege & neceſſitate quadam immutabili conſtat, omnibus ſanioribus id lubentiſſime admittentibus: Quippe potentiſſima probatio eſt, ſi in id, quod dicimus, omnes conſentiant. Jam repetamus ſtatum controverſiæ. Quæſtio eſt: An actus dentur neceſſario ac per ſe turpes? Affirmativa eſt noſtra: exempli cauſa: Adulterium eſt neceſſario ac per ſe turpe. At *§. 1.* defendebatur contraria ſententia, atque negabatur dari actus neceſſario ac per ſe turpes: exempli cauſa: negabatur adulterium (perſequar enim hoc exemplum) eſſe neceſſario ac per ſe turpe. Quo vero colore? Ratio hæc erat, quia ſi animal forma externa hominem, qualis nunc eſt, referens, quod & ipſum tantiſper
homi-

hominem vocabimus, ſed ut idem non ſit rationale ac ſociale, ſed aliud ferum & horridum animal, non obſtante externa figura inter bruta referendum, ſi tale animal, talis homo, quem ita vocabimus, pollueret alienam uxorem, iſte actus non eſſet turpis. Sed videamus, num ſic ſervetur, an vero mutetur ſtatus controverſiæ? Hoc enim fixum & firmum credimus, toties contra boni ac ingenui diſputatoris leges mutari ſtatum controverſiæ, quoties contradicere volens non totum ſubjectum quæſtionis, de qua vult controverſari, ſed ſolummodo partem ſubjecti accipit. Jam aperte ac rotunde *iſtum Myſtagogum* hujus vitii arguimus. Nam quæſtio non erat: Utrum pollutio alienæ uxoris ſit turpis? Sed, utrum voluntaria pollutio alienæ uxoris ſit turpis? Id enim per adulterium ſignificatur. Provocamus ad communem Philoſophorum, JCtorum ac Theologorum, imo omnium, qui judicium habent, conſenſum. Namque putamus in hac re communem conſenſionem adeſſe, quod cuivis hanc quæſtionem: An adulterium ſit neceſſario ac per ſe turpe? veritatis gratia proponenti, adulterium voluntariam alienæ uxoris pollutionem ſignificet. Poſito igitur adulterio ponitur ſtatim aliena uxor, ponitur pollutio alienæ uxoris, ponitur animus polluendi alienam

uxorem, h. e. voluntas, conſenſus in pollutionem. Ubi talia non ponuntur, nec per naturam poni poſſunt, ibi nec adulterium. Porro ſubjectum poni debet, cui voluntas competat, & a cujus voluntate pollutio procedat. Jam quisque judicium ferat de eo: Numne in animali forma externa hominem, qualis nunc eſt, referente, ut idem non ſit rationale ac ſociale, ſed ferum ac horridum, ſi vel maxime ipſum tantisper hominem vocari permittamus, voluntas ponatur aut poni queat? Quis enim ſaniorum unquam quæſivit, an adulterium ſit turpe reſpectu ſimii aut lapidis, in quibus nec animus polluendi, nec voluntas. Itaque ſpectatum admiſſi riſum teneatis amici, quando forte cernitis *quempiam* inutili diſtinctione inter neceſſitatem abſolutam & hypotheticam in theatrum venire. Quis enim alias tam vanus, ut ambigat, utrum adulterium abſolute (h. e. nullo habito reſpectu eorum, quæ ad naturam adulterii requiruntur) ſit turpe? Quis ſi poſſet, hoc ſomniare vellet, & ejusmodi monſtrum, hoc eſt, tam frivolam quæſtionem comminiſci: An adulterium formaliter tale etiam ab ejusmodi creatura, quæ voluntatem nec habet, nec habere poteſt, commiſſum in neceſſario turpibus ponendum? Quis diſputabit, utrum neceſſario turpe ſit, quod

nec

Digitized by Google

nec fuit,nec eſſe per naturam poteſt. Quæ ergo ἀκρίβεια, quodnam acumen judicii, quæ ſubtilitas abſolutæ ac hypotheticæ neceſſitatis diſcrimen hic in ſcenam producere? quaſi adulterium patrari poſſit ab homine abſolute & hypothetice, nempe ab homine; quatenus eſt animal rationale ac ſociale, & deinde quatenus homo, qui interea ſic dicitur, non eſt homo,ſive quatenus non eſt animal rationale ac ſociale, ſed brutum & monſtrum, fortaſſis ſimius, vel etiam merus caudex ac ſtipes. Ut ab illo commiſſum, ſit turpe: ab hoc, non ſit. Omnino non eſt, nam non entis nulla ſunt prædicata. Quisquis tandem actus ab animali bruto commiſſus fuerit, ſive iſtud animal hominem voces, ſive eum, qui ſummus admirator ſui quam auditor veterum eſſe maluit, nequit ille actus eſſe adulterium, nec a ſanioribus unquam ita vocabitur. Dabimus aliud & ſatis quidem evidens exemplum, ut cordatus lector judicare poſſit, annon *iſte Myſtagogus* novum principium ac genuinum fundamentum ſuæ Philoſophiæ in inani futilique vocum bombo collocet ſuosque ſectatores ad ingentia promiſſa hiantes allifis ad umbram faucibus luſos dimittat. Tradit quispiam iſti Titium filium ſuum in diſciplinam,vultque, ut evadat JCtus moralis Doctori per-

omnia ſimilis: Quæritur: An JCto morali neceſſaria ſit cognitio juris naturæ? Per ſe ac abſolute neceſſariam negabit *iſte*. Poterat enim pater filium mercaturæ aut arti ſartoriæ deſtinare, quo caſu juris naturalis ſcientia non requiritur. Quare ut in beneplacito mercatoris fuerat, quali ſtudio filium vellet addicere, ita poſito demum fine deſtinatoque conſilio patris, ut ſcilicet Jurisprudentiæ morali operam filius navet, diſcendarum legum naturæ neceſſitas ſicque ex hypotheſi conceditur. Hæc pro iſto, ut videntur. Quæ tamen in meros vocum bombos aëreasque cogitationes, quibus *iſte* delectatur, reſolvi facile queunt. Non enim in genere quæritur: Num Titio neceſſaria ſit cognitio juris naturalis? multo minus an Titio, quatenus naſum, quatenus humeros habet, neceſſaria ſit juris naturalis cognitio, ſed an Titio ut JCto morali juris naturalis cognitio neceſſaria ſit? Et cur quæſo adducitur illa quæſtio: Quid ſi Deus creaſſet animal, forma externa hominem, qualis nunc eſt, referens, quod & ipſum tantiſper hominem vocabimus, ſed ut idem non foret rationale ac ſociale? Smulque additur: Ei reſpondemus, iſtud animal non futurum verum hominem, qui animal ſociabile eſt, ſed aliud ferum & horridum animal, non obſtante externa figura

inter

inter bruta referendum. Forte nulla alia de cauſa, quam ut imperitioribus glaucoma objiciatur, ſicque ii credere incipiant, hæcce talia ab iis, qui Grotii partes tuentur, in dubium vocari. Quaſi vero ſimius capillamento tuaque veſte incedens te forma externa referre non poſſet? Quis dubitaret enim eum ſuperfluæ quæſtionis gratia myſtagogum dici poſſe, ut idem non foret myſtagogus. Sed ea quæſtio in præſenti non movebatur, quia non puerilem & ſuperfluam, ſed ſeriam ac philoſophicam quæſtionem movimus: An actus dentur neceſſario ac per ſe turpes? An e. gr. adulterium ſit neceſſario ac per ſe turpe? Qui dicit: adulterium non eſt neceſſario ac per ſe turpe, ei opponimus: Deus non poteſt præcipere homini adulterium, ſed neceſſario ei prohibet. E. adulterium eſt neceſſario ac per ſe turpe. Dicis: Deus neceſſario prohibet homini adulterium, poſtquam ipſum deſtinavit facere animal rationale ac ſociale. E. neceſſario ac per ſe adulterium non eſt turpe. Nam ſi is, cui neceſſario a Deo prohibetur adulterium, ad contrarium officium obſtrictus fuiſſet, ſic non eſſet animal rationale ac ſociale. Nos excipimus: Sunt apinæ, tricæque & ſi quid vilius iſtis. Sic quærere debueras: Quid ſi animal, forma externa hominem referens, cui adulte-

rium lege naturali prohibitum eſt, ut tamen non ſit homo, a Deo obſtrictum fuiſſet ad contrarium officium, nempe ad committendum adulterium? Et tunc reſpondiſſemus, ſic Deum futurum fuiſſe injuſtum, ſi iſtud feciſſet. Nam Deus non vult nec poteſt velle adulterii commiſſionem, ſed prohibet adulterium: Si autem Deus ad contrarium officium nempe adulterii commiſſionem tale animal, quale fingis, obſtrinxiſſet, ſic injuſtus fuiſſet & proinde non Deus. Imo ſi tale animal ferum ac horridum obſtrictum fuiſſet ad officium, ſic non fuiſſet ferum ac horridum animal, ſed rationale animal. Nam ad officium obſtringi poſſe eum inque ipſum jus cadere poſſe, a quo ratio exulat, ipſe nequis intelligere, ut ſponte fateris. Sic numne negabitur, quod ad Jure naturali conſultum neceſſario ac per ſe requiratur juris naturalis cognitio? Fateri omnino quisque tenetur, qui judicium domi habet, quod ad Jure naturali conſultum qua talem ſit neceſſaria cognitio juris naturalis. Sic enim quisque intelliget hanc quæſtionem, &, manet ad Jure naturali conſultum qua talem omnino ſimpliciter neceſſaria cognitio juris naturæ, licet non ſit neceſſaria ad eum, quatenus ſtratiotes paganus eſſe aut acriculæ mentis pungentisque ſtyli argumenta

edere

edere urendique per ejusmodi voculas libidinem e ſcholis trivialibus forte contractam, quia ibi futilibus cognominibus nihil frequentius, explere vellet. Ad argumentum igitur in contrarium allatum reſpondetur negando prius. Nam diſtinctio inter neceſſitatem abſolutam & hypotheticam nihil facit ad præſens. Dum enim conceditur adulterium (idem judicium eſto de aliis actibus neceſſario ac per ſe turpibus) formaliter tale poſitis omnibus requiſitis patratum eſſe neceſſario turpe, conceditur, quod impugnabatur. Si dicis: quid ſi adulterium committeretur ab animali forma externa hominem referente, ut tamen idem non ſit rationale ac ſociale, quamvis hominem vocemus. Reſpondetur: Sic non committitur adulterium. Huc tandem redit omnis tua ſubtilitas, forſan dicis: Interim mihi non imputari poteſt, quaſi tranſierim in caſtra Parei antelapſarii dicentis DEUM potuiſſe, quos creavit homines, creare aſinos, cui Vir magni nominis oppoſuerat: Quid ſi in Pareo feciſſet initium! Hoc tandem tua ultima explicatione conſequeris, quod nemo Tibi eam explicationem urgenti hoc objecturus ſit. Sed quid turbas Philoſophorum omniumque doctiſſimorum Virorum ſcholas ac pulpita? Sufficit te conceſſiſſe, quod adulterium, quatenus eſt volun-

RESP. AD ARGUMENTUM ſub finem §. I. ALLATUM.

voluntaria pollutio alienæ uxoris, ſit neceſſario turpe. Idem profecto ſentis, quod illi, quos refutas eique ſententiæ, quam dixeras eam, qua nihil ſtolidius fingi poſſe videtur, ex qua horribilia abſurda conſequuntur, ſive velis ſive nolis, teneris ſubſcribere, licet interim ludas verbis terminosque aliter nunc ſumas, ne tui admiratores tam facile animadvertant. Inſtituitur proinde a te vana βαττολογία, dum adulterium negas eſſe neceſſario ac per ſe turpe, ſi ſpectetur reſpectu animalis feri ac horridi. Infelicia ingenia, quæ, palliandis peſſimæ notæ propoſitionibus, ſomniare poſſunt quæ volunt. Quid ſane eſt fucare nugas, ſi hoc non eſt. Imo quisquis novit, quo ſenſu Philoſophi, JCti ac Theologi utantur hac propoſitione: adulterium eſt neceſſario ac per ſe turpe, ei, ſi alter contradicat ejusque propoſitionem ſimul horribilis abſurditatis ac ſtoliditatis accuſet, talis interpretatio, adulterium quatenus committitur ab animali fero ac horrido, quod homo non eſt, hominem tamen vocabimus, talis, inquam, interpretatio vix per ſomnium in mentem veniet. *Utique enim verba ſunt ſigna ſenſus, & abſtinendum a verbis eſſe quæ facile in alienum ſenſum,* multo magis quæ in ſenſum nunquam auditum, nunqnam intentum *poſſunt accipi, inter regulas eſt humanæ ſocietatis,*

tatis. Ita ſinceriſſime judicat ſummus *Conringius* totiusque orbis eruditorum æternum ac incomparabile decus de non adeo diſſimili nugandi modo in nuper edita *animadverſione in libellum, cui titulus: Novena S. Antonii de Padua p. m. 18.* Imo tandem omnis color tuæ opinionis in fumos ventosque diſſipabitur, ſi *neceſſitatem hypotheticam* ab *abſoluta in certo genere* diſcas diſcernere, quam diſtinctionem ignorare nequeunt, qui primis labris prima attigerunt *Metaphyſices* rudimenta. Neceſſitate enim non hypothetica ſed in certo genere abſoluta quosdam actus neceſſario honeſtos aut turpes dici animadvertes, id quod *poſteriori ex diſſertationibus* ſub finem præcedentis §. citatis prolixiuſcule deduximus. Moniti meliora ſequemur. Quo enim jure ingenui Viri hoc nobis vitio poſſent vertere, ſi grato animo fateremur, ſub quo profecerimus, ut ante eum omnes pro celeberrimis Viris ab omnibus habiti rudes, ſi Diis placet, fuiſſent, ſibique nobisque totique eruditorum orbi impoſuiſſent? Modo vero modeſte & veritatis gratia admoneamur, ſic publice profecto reddemus grates pro ſolida informatione omnesque veritatis ac ſolidæ eruditionis amantes informatori læto ore acclamabunt: καλὸς ἀνὴρ, καλὸς ἀνὴρ, μόνος ἀνθρώπων ὁρᾷ. Si

vero

vero via modeſtiæ diſplicuerit, dicendo, quæ voluiſti, efficies profectò,ut quæ nunquam cogitaſſes, nec unquam voluiſſes, nunquam quoque grata futura ſint ac concoctioni idonea,audias. Hæc interim, quæ ſcripſimus, ſolius veritatis gratia, &, ne veram ſententiam videremur deſeruiſſe, ſcripſimus. Cæterum de uſu & abuſu novorum terminorum in moralibus ex profeſſo agetur in *Jurisprudentiæ moralis libro*.

OCCASIO QUÆSTIONIS. §. 4. Occaſionem hujus quæſtionis ſubminiſtrat *Grotius* noſter *lib.I. c.1.§.10.*

Quæſtio II.

An detur jus naturæ?

Negantium argumenta. §. 1. Eorum, qui negarunt dari jus naturæ, catalogum exhibebit promiſſus *liber* noſter *de jurisprudentia morali*, ſaltem præcipua hanc perverſam ſententiam defendentium argumenta nunc tangere lubet;

ARG. I. I. Quodcunque jus eſt jus naturæ, illud ubivis obtinet. Atqui nullum jus ubivis obtinet.

Ergo nullum jus eſt jus naturæ, adeoque nullum jus naturæ datur.

Major propoſitio vix ulla probatione indiget. Nam quicquid eſt naturale,illud ſem-

ſemper uno eodemque modo ſe habet: Ita e.g. ignis ubivis urit, nullibi friget.

Minor itidem eſt manifeſta, quia quæ alibi juſta ſunt, alibi injuſta ſunt, etiamſi reſpicias, quæ maxime dicuntur juris eſſe naturalis.

II. Quodcunque jus argumentum ſummæ ſtultitiæ eſt, illud pro vero jure admitti non debet. Arg. II.

Atqui vulgo ita dictum jus naturæ argumentum ſummæ ſtultitiæ eſt.

Ergo vulgo ſic dictum jus naturæ pro vero jure naturæ admitti non debet.

Majorem quisque admittit, qui a ſtulto ſe diſtare credit.

Minor probatur hoc modo, quia ſumma ſtultitia eſt, ſibi nocere velle, ut alienis omnimodis conſulatur. Jam vero qui jus naturæ vulgo ſic dictum pro vero jure habet, quo ipſe obligetur, is hanc ſtultitiam pro juſtitia habere tenetur.

III. Quodcunque natura nequit diſcernere, hoc non eſt naturæ. Arg. III.

Atqui vulgo ſic dictum jus naturæ natura nequit diſcernere.

Ergo vulgo ſic dictum jus naturæ non eſt naturæ. Major eſt manifeſta.

Minor probatur, quia natura omnia omnino animalia propriam utilitatem ſectari jubet.

IV. Quodcunque ſaltim validiorum Arg. IV.

cauſa, ne ab iis infirmiores opprimerentur, inventum eſt, hoc non eſt vere ſic dictum naturæ jus.

Atqui vulgo ſic dictum jus naturæ ſaltim infirmiorum cauſa, ne a validioribus opprimerentur, inventum eſt.

Ergo vulgo ſic dictum jus naturæ non eſt vere dictum naturæ jus.

ARG. V. V. Quodcunque jus DEO revera eripit ſuum jus, hoc non eſt naturæ jus.

Atqui vulgo ſic dictum jus naturæ DEO revera jus ſuum eripit.

Ergo vulgo ſic dictum jus naturæ non eſt naturæ jus.

Major patet, quia DEUS eſt auctor naturæ.

Minor probatur, quia DEUS ius habet in hominis vitam, ut adeo nemo poſſit eligere ſui interitum, niſi expreſſa DEI voluntas adſit: At vulgo ſic dictum naturæ jus dictat mortem appetere, antequam agas quid contra illud jus.

ARG. VI. VI. Quod naturæ maximum terrorem incutit, illud non eſt naturæ jus.

Atqui vulgo dictum jus naturæ maximum naturæ terrorem incutit.

Ergo vulgo ſic dictum naturæ jus non eſt naturæ jus.

Minor probatur, quia mortem præ ſui transgreſſione eligere præcipit, ſicque omni-

omnium terribilium terribiliſſimum injungit.

§. 2. Affirmativam ſententiam hoc unico argumento jam probamus: AFFIRMANS SENTENTIA PROBATUR HOC ARGUMENTO.

Si dantur actus neceſſario ac per ſe honeſti aut turpes, ſequitur utique dari naturæ jus.

Atqui prius eſt verum. Ergo & poſterius.

Conſequentia probatur hoc Proſyllogiſmo: Quicunque actus voluntarius per ſe & ex ſua natura talis eſt, ut ſi recta ratio de tali actu judicet, qua talis aliter judicare nequeat, quam quod ipſe neceſſarius ſit in genere morum ſive commiſſionis ſive omiſſionis neceſſitate, ille actus eſt ſolidum ac genuinum fundamentum proprie ſic dicti juris naturalis.

Atqui actus necesſario ac per ſe honeſtus ut turpis per ſe & ex ſua natura talis eſt, ut ſi rectaratio de tali actu judicet, qua talis aliter judicare nequeat, quam quod ipſe neceſſarius ſit in genere morum ſive commiſſionis ſive omiſſionis neceſſitate.

Ergo actus necesſario ac per ſe honeſtus aut turpis eſt ſolidum ac genuinum fundamentum proprie ſic dicti juris naturalis.

Major hujus Proſyllogiſmi liquet. Nam ſolidum ac genuinum fundamentum juris naturæ vocamus id, quo poſito primo aliquid aptum eſt, ut ſit vel fiat jus naturale, & quo ſublato ſi per impoſſibile reliqua omnia maneant, id jus naturale fieri aut eſſe nequit.

Minor patet, quia recta ratio eſt judicium de rebus uti ſunt, eſtque quaſi ſpeculum aliquod ipſarum rerum.

Principalis argumenti minorem integra *quæſtione præcedenti* probatam dedimus.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata reſpondere facillimi laboris eſt.

RESP. AD ARG. I. Ad 1. reſpondetur limitando majorem: Quodcunque jus eſt jus naturæ, illud ubivis, ubi ſcilicet natura ſeſe habet recte, obligat. Sic conceſſa majore, negatur minor, quæ talis eſſe debebat: Nullum jus ubivis, ubi ſcilicet natura recte ſeſe habet, obtinet. Probationem minoris quod attinet, fatemur quidem lubentiſſime ea, quæ alibi juſta ſunt, alibi injuſta eſſe, etiamſi reſpiciamus quæ maxime videntur juris eſſe naturalis, cujusmodi plurima exempla ediſſeruit maximus Vir *Georgius Calixtus Tractatu de Legibus in Epit. Theologiæ Moralis p.m. 49. ſeqq.* Sed omnia ac ſingula illa judicia multo ſtudio a laudato Viro ea fini collecta ſunt, ut præclare oſten-

oſtenderet ea non venire a natura recte ſe habente ac ratione recta. Memorat ipſe *Ariſtoteles* V. Eth. *c. 9. nationes quasdam barbarorum procul diſſitorum*, qui ex natura *ſeu a natalibus recto rationis uſu carentes & ſenſu tantum viventes inſtar ferarum erant.* Eleganti ſimilitudine ex optimo *moralium Ariſtotelis* interprete *Andronico Rhodio Grotius* noſter rem declarat: *Non mentitur, qui mel dulce eſſe dicit, ideo quod ægrotis aliter videatur: Sic apud homines recta ſanaque mente præditos immutabile eſt jus illud naturæ, quod dicitur. Quod ſi his, qui morbido, diſtortoque ſunt animo, aliter videtur, nihil id ad rem pertinet.* Ipſe *Ariſtoteles*, *quid naturæ aut ſecundum naturam ſit, ſpectare in his* jubet, *quæ bene ſecundum naturam ſe habent, non in depravatis.* Videatur *Grotius* noſter pluribus *L. I. §. 12.* Eandem reſponſionem celeberrimus *Conringius* ſic illuſtrat: *Sicut naturale eſt homini habere duos pedes & quinque digitos in ſingulis manibus, & tamen ſunt, qui naſcantur pede uno & ſex digitis: Ad eundem modum ſe res habet de eo, quod natura juſtum eſt. Ubivis illud tale eſt, ubivis tale habetur, modo mens atque ratio ſeſe recte habeat. Quæ igitur gentes id juſtum forte dixerunt, quod natura eſt injuſtum, illæ profecto & mente laboraverunt.* Ex his ergo non oportet ab

æquis judicibus æſtimatione facta humanæ naturæ convitium fieri,ut *Grotii* noſtri ore loquamur.

RESP. AD ARG. II. Ad II.reſpondetur negando propoſitionem minorem. Nam & bruta utilitatum ſuarum ſtudium partim fœtuum ſuorum, partim aliorum ſibi congenerum reſpectu aliquatenus temperant. Canis caninam non eſt, vetus eſt proverbium. Canes & pro heris moriuntur, ſi quod ſubito periculum eos contigerit. Cibum ſibi ſubducunt multa bruta, quam ut fœtui quid deſit. Videatur *Grotius* noſter *προλεγομένων n. 7.* & elegantiſſimis ad eundem numerum annotationibus.

- - - - - - Parcit
cognatis maculis ſimilis fera. Quando leoni
fortior eripuit vitam leo? Quo nemore unquam
expiravit aper majoris dentibꝰ apri?
Indica tygris agit rabida cum tygride pacem
perpetuam: Sævis inter ſe convenit urſis.

Pulchre *Juvenalis* canit. Stolidum igitur eſt & quo nihil ſtolidius, ſummam ſtultitiam dicere velle, ſi quis noceat ſibi, ut alienis commodis conſulat. Ipſa ſana ratio nos ad juris naturalis obſervationem, etiamſi inde nulla utilitas ſperari poſſit, du-

ducit. In recta republica civis bonus jus civile ex ſana ratione ſequitur, etiamſi ob ejus juris reverentiam quædam ſibi apprime utilia omittere debeat. Populus moratior non tanti facit ſuas utilitates, ut propterea communia populorum jura negligat. Fortiſſimus dux bellum non tam fiducia virium quam juſtitia & æquitate feliciter conficere parat. Romani non utilitate, ſed juſtitia bellorum olim gloriabantur. In infantibus quoque ante omnem diſciplinam oſtendit ſe ad bene aliis faciendum propenſio quædam prudenter a *Plutarcho* obſervata. Hæc omnia convellere neceſſum habet, qui ſtolido auſu jus naturale ſtultitiæ arguit. Imo qui nemini ſuo damno ullatenus prodeſſe cupit, ſuæ quoque utilitatis reſcindit munimenta. Et quomodo ſtultitiæ eſſet eo ferri, ad quod a natura noſtra nos duci ſentimus, ſi vel maxime nulla ex eo ſpectaretur utilitas. Imo ſufficit, quod adſit moralis tui animi perfectio.

Ad III. reſpondetur negando minorem. Ad probationem in ſolutione proxime præcedentis argumenti reſpondimus. Paratus potius in omnibus animalibus conſpicitur tum erga ſeſe, tum erga prolem amor, non modo abſtinent a noxa ſibi invicem ferenda ut plurimum, ſed etiam parata ſunt ad officia quædam mu- RESP. AD ARG. III.

tua præſtanda, cum leviora, ut quando colludunt, tum graviora, ut cum ſibi invicem opem ferunt adverſus hoſtes communes, idque ſe expectare indicant voce quadam propria, qua pleraque animalia, ubi periculum imminere ſentiunt, alia convocant in auxilium. Videatur pluribus *Ricardus Cumberland*, Anglus ſcriptor, *Tractatu* novo *de legibus Naturæ c. 2. p. m. 120*. Et quid nobis commercii cum hominibus ferina laborantibus amentia, ut *Andronicus Rhodius* loquitur, ſeu, ut *Michael Epheſius* ſcribit, *qui ferinum in morem vivunt, prorſusque excæcatam mentem habent, ac ſolum ut bruta voluptatem ſectantur*.

RESP. AD ARG. IV. Ad IV. reſpondetur negando minorem propoſitionem: Nam jus eſſe ſaltem infirmiorum cauſa, ne a validioribus opprimerentur, hoc verum eſt de iis juribus ac inſtitutis, quæ ad faciliorem juris executionem reperta ſunt. Multi enim per ſe infirmi, ne a validioribus opprimerentur, conſpirarunt ad inſtituenda ac communibus viribus tuenda judicia, ut quibus ſinguli pares non erant, his univerſi prævalerent. Jus naturæ in ſe ac ſimpliciter ſpectatum eſt moralis perfectionis cauſa, ut quisque naturæ convenienter agat ac recte erga DEUM, ſeipſum & proximum ſe gerat, imo, quod præcipuum eſt,

jus

jus naturæ erat, cum metui accipiendæ injuriæ nullus locus ullatenus eſſet, qui demum legis naturalis transgreſſionem ſecutus eſt. Nam ſi nemo unquam transgreſſor legis naturæ factus fuiſſet, toti humani generis ſocietati inter homines conſervandæ ſola lex naturæ potuiſſet ſufficere. Sic enim omnes odiſſent peccare boni virtutis amore, nec quisquam ulla vi ad juſtitiam colendam adigendus fuiſſet. Poſtquam vero homines in transgreſſiones legum naturalium prolapſi ſunt, ſic non jura naturalia, quæ ſemper fuere, ſed alia jura inventa metu injuſti (metu accipiendæ injuriæ) fateare neceſſe eſt. Jus enim naturæ non punit transgreſſiones ſui, ſed punire præcipit, nec etiam determinat pœnas transgreſſoribus, licet æqualitatem in irrogandis pœnis ſervare præcipiat. Hac ergo tandem ratione ab infirmioribus ſocietates quæſitas fuiſſe cenſeo, ut quia ſola lex naturæ ſufficiens non erat ad cohibendos accipiendarum injuriarum ſat juſtos metus, ipſi ſcirent finem modumque ſocietatis ſuoq; bono congruentem, quo validiorum, qui nempe ſola reverẽtia erga leges naturales earumq; auctorem (cum ipſe judicia ſua occultis ſæpe viis explicet, ſæpe etiam poſt hanc vitam reſervet) adduci nequiverant, ut naturæ convenienter agerent, iniqui in

juſtique inſultus coërcerentur reprimerenturve. Itaque ſatis liquere puto de legibus, non naturalibus, ſed aliis hoc accipiendum eſſe, quod infirmiorum cauſa ſint, ne a validioribus opprimerentur. Uberiorem hujus rei confirmationem eleganter ſuppeditat *Theodoretus oration. 7. de prudent.* *Quis*, ait, *homines injurios ferret, niſi erumpentem cupiditatis eorum flammam legum metus reprimeret? More piſcium enim, qui majores ſunt, devorarent minores, niſi lex ſtrictum gladium, ardentem rogum, & ſi quæ alia coërcendi ſceleribus, qui rempublicam gerunt, excogitarunt, oſtentaret. Quod ſi enim etiam ubi leges minantur, ubi magiſtratus puniunt, tamen quidam omni beſtia ſæviorem in proximos animum gerunt, & more ſcorpionum irruunt, more ſerpentum mordent, canum more rabiem exercent, denique adverſus conſortes ejusdem generis rugiunt, ut leones in diverſi generis animalia, quid illi non facerent, ſi leges non eſſent, aut magiſtratus non punirent?* Hæc ille. Nec interim temere affirmaverim ſaltem metu accipiendæ injuriæ ſocietates legesque civiles inventas eſſe.

RESP. AD ARG. V. Ad V. reſpondetur negando prius. Quod probationem attinet, certiſſimum quidem eſt, Deum habere jus in hominis vitam, ut adeo nemo poſſit eligere ſui interi-

teritum, niſi expreſſa Dei voluntas adſit: Nec vero illud negari poteſt, quod jus naturæ dictet mortem appetere, antequam agas quid contra illud jus, hocque *Ariſtoteles* ſat illuſtri ſimulque veriſſimo diſcurſu indicat, quando *III. Momlium Nicom. c. 1.* ſic diſſerit: ἔνια ἴσως οὐκ ἔστιν ἀναγκασθῆναι, ἀλλὰ μᾶλλον ἀποθνητέον, παθόντα τὰ δεινότατα, *ſunt nonnulla ejuſmodi, ut fortaſſe nulla vi aut neceſſitate coacti ea agere debeamus, utque potius mors nobis ſit oppetenda graviſſimique cruciatus perferendi. Etenim ridicula illa ſunt, quæ Alcmæonem illum Euripidis impulerunt, ut matrem interficeret.* Nam, ut *Euripides* refert, interfecit matrem hortante & impellente Amphiarao patre. Sic enim apud eum inquit Alcmæon:

Nam tunc me ad iſtud incitavit maxime facinus, equeſtre vehiculum inſcendens pater,
Thebas tumultu cum peteba bellico: &c.

Elegans eſt *Euſtratii* Nicæni Epiſcopi commentatio in allegatum *Philoſophi* locum; *Bono viro omnia tormentorum genera ac mors demum atrociſſima ſubeunda potius eſt, quam nefarium quippiam agendum, ut & Anaxarchus, qui cum malleis ferreis tunderetur, tunde tunde Anaxarchi follem, clamabat.* Huc forſan ſuo modo non incommode referres, quæ habent *JCti: Ulpianus l. ad ca*

157. *D. de Regg. Juris* & *Alfenus l. ſervus non in omnibus 20. D. de obligationibus & actionibus.* Sed qua ratione ex hiſce talibus ſequatur, quod jus naturæ Deo jus ſuum eripiat, nemo dixerit. Nam jus naturæ certe prohibet omnem αὐτοχειρίαν, ſed aliud eſt vim ſibi inferre, aliud vim alienam perferre. Tum demum aliquid evinceretur contra legis naturæ juſtitiam, ſi caſus dari poſſet, in quo citra expreſſam Dei voluntatem quis ſibi vitam proprio auſu eripere neceſſum haberet, ut evitare turpitudinem moralemque maculam animi ſui poſſet. Talis vero caſus nunquam dari poteſt. Et annon Deus autor naturalis juris eſt, hæcque juſtitia Deum faventem habet? quo igitur titulo homo mortem ac triſtiſſima quæque citius perferens quam peccatum morale faciens Dei ſanctiſſimi jura involaſſe dicendus eſſet. Mox plura, quæ ad meliorem hujus ſolutionis intellectum faciunt, jam ſequenti reſponſione ad ultimum argumentum monebimus.

RESP. AD ARG. VI. Ad VI. reſpondetur negando minorem. Falſum eſt, quod jus naturæ maximum naturæ terrorem incutiat. Quod dicebatur in probatione, quod jus naturæ mortem præ ſui transgreſſione eligere præcipiens ſic omnium terribilium terribiliſſimum injungat, ad hoc reſpondere facile

facile eſt: Uti enim natura rationalis eſt natura hominis propria, ita mors nequit terrorem naturæ rationali incutere, utpote quæ immortalis eſt, ceu ex naturæ lumine liquet. Et licet mors terrorem incutiat naturæ hominis, quam cum brutis communem habet, ac iſtiusmodi naturæ adverſetur, adhuc tamen, quod ei diſplicet, naturæ rationali placet, & quamvis corporis perfectionem deſtruat, animi tamen perfectionem auget & conſervat. Sicut id corpori damnoſum non eſt, quod linguam forte vellicat aut guſtum amaricat: Sicuti vitam digiti deſeris, ut vitam corporis ſerves: Ita quod vitam corporis perdit, rationali hominis appetitui non poteſt non eſſe gratum, ſi neceſſarium ſit ad perfectionem animi. Etiam bruta propter inteſtinos dolores modum ſuperantes mortem vitæ præponunt. Beſtiæ cum viderint corpora ſua nimiis morborum cruciatibus torqueri, ſe in præceps dant, vulneribus deturpatæ ferrum induunt, in viſcera ipſa rabide condunt, quaſi ulturæ illam deformitatem, vel inflicta tormenta. Quidni interitum corporis eligeret homo, ut morbum animi declinaret. Dicuntur canum illi, qui greges comitantur, præcedere pecora, depugnantes ad mortem usque, ut paſtores illæſos præſtent. Annon fœdum eſſet

in

in defendenda adverſus rabiem peccatorum anima vinci hominem a beſtiis. Pictores imaginem, qua cunctos alliciant, oblectent & capiant, delineaturi non oculos in mutila, deformia fœdiſſimaque intendunt, ſed in pulcherrima formoſiſſimaque: Sic animæ oculus, mens ſana rectaque, dirigitur in honeſtatem, utpote quæ maxima perfectio maxime naturam hominis tuetur. Si miniſtrum principis tui nequeas ſimul tueri, tueris principem, illum deſeris: miniſtrat animæ corpus, ut ſerves perfectionem animæ, relinque corpus, ſi iſtud ſimul ſervare nequeas. Etiam vitam poſt hanc vitam agnoverunt Gentiles, utut ignoraverint reſurrectionem mortuorum. Nam diverſa ſunt: An alia poſt hanc detur vita? &, an talis aliqua vita, in qua anima cum corpore ſit reunienda? Hoc captum rationis ſuperat: Ad illud ſufficit, quod animæ rationalis immortalitas naturaliter cognoſci poſſit. Quo ſtante nihil obſtat, quo minus *Ariſtoteles* aliique *gentiles ſapientes* cognoſcere potuerint, mortem non eſſe ſimpliciter noxium quid, ſed animam a morte quam beatiſſime poſſe vivere, nec dubium eſt, quin id actu cognitum habuerint, quod hic loci nolumus prolixe perſequi.

OCCASIO QUÆSTIONIS. §. 4. Occaſionem hujus quæſtionis uberrimam *Grotii prolegomena* præbent a

num. 3.

num. 3. uſque ad num. 28. quam inſpe-ctio *Inſtit. de I.N, G. & C.* ac *Digeſt. de LL.* augere poterat.

Quæſtio III.

An jus naturale ſit adeo immutabile, ut ne a Deo quidem mutari queat?

§. I.

NEgativa ſententia videtur ſequentibus probari poſſe argumentis: *Pro negante ſententia argumenta:*

I. O jus eſt mutabile. **Arg. I.**
Jus naturale eſt jus. E.
Jus naturale eſt mutabile.

Major eſt univerſaliter vera, quia nulla poteſt dari inſtantia.

Nam qui ab ipſo jure naturæ inſtantiam petere volunt, petunt id, quod in principio.

II. Quodcunque jus agnoſcit ſui autorem & dominum, illud eſt mutabile. **Arg. II.**
Jus naturale agnoſcit ſui autorem & dominum, nempe Deum. E.
Jus naturale eſt mutabile, ut a DEO mutari queat.

Major patet: nam quicunq; eſt autor & dominus juris, is poteſt illud jus mutare.

III. Si

Arg. III. III. Si Deus non poteſt mutare jus naturæ, ſequitur Deum & imperfectiorem & impotentiorem eſſe Principe in terris.

Conſequens eſt abſurdum. E. & antecedens.

Conſequentia probatur, quia quisque legiſlator humanus tantæ perfectionis ac auctoritatis eſt, ut leges a ſe latas mutare pro lubitu poſſit, imo in eo præcipua pars ac ratio poteſtatis circa leges conſiſtit.

Abſurditas conſequentis facile liquet, quia ſermo eſt de eo, qui poteſtatem habet ferendi leges omnibus hominibus & inter eos imprimis legumlatoribus ipſis.

Arg. IV. IV. Si jus naturale eſſet immutabile, ſequitur, quod etiam Deum obliget.

Conſequens eſt abſurdum. E. & antecedens.

Conſequentia probatur, quia dantur actus jure naturali præcepti, qui Deo cum hominibus communes ſunt, uti ſunt: ſtare promiſſis, ſervare jusjurandum &c. Si ergo hi actus immutabiliter debiti eſſent, DEUS quoque hiſce actibus obligaretur.

Abſurditas conſequentis patet, imo facile probatur hoc proſyllogiſmo:

Quicunque neminem habet ſe ſuperiorem, is non poteſt obligari.

Deus neminem habet ſe ſuperiorem. E.

Deus

Deus non poteſt obligari.

Majorem *Philoſophi* & *JCti* unanimi conſenſu admittunt.

Minoris veritatem vel audita voce DEUS quisque concipit.

V. Si Deus ex ſimpliciter nihilo poteſt facere ens illudq; iterum in plane nihilum redigere, ſequitur, quod ex malo actu poſſit facere bonum, ex bono malum. Arg. V.

Prius eſt verum. E. & poſterius.

Conſequentia probatur, quia qui poteſt majus, poteſt etiam minus. Plus enim diſtat nihil ab ente, quam actus malus a bono, & plus diſtat ens a nihilo, quam actus bonus ab actu malo.

VI. Quodcunque jus admittit interpretationem per æquitatem, illud jus eſt mutabile. Arg. VI.

Jus naturale admittit interpretationem per æquitatem. E.

Jus naturale eſt mutabile.

Major eſt manifeſta, quia interpretatio per æquitatem eſt vera quædam mutatio.

Minor videtur probatu facilis: Exempli gratia, reddere depoſitum, de jure naturali eſt, ſi tamen rei depoſitæ dominus fiat furioſus, periculumque ſit, ne vel ſe, vel alium interficiat, æquitas legem hanc naturæ ſic interpretatur, depoſita eſſe reddenda cum certa cautione & tali modo.

Idem *Ariſtoteles* paſſim ſcriptis indicaſſe videtur, ut *III. Moralium Nicomachiorum c.1.* ubi facta nonnulla hujusmodi eſſe aſſerit, quæ cum laude careant, venia tamen non deſtituantur. Item *V.c. 10.* ubi malitiæ deliberatæ culpa eximit eos,qui ex ira aut alio affectu ſeu naturali ſeu neceſſario damnum intulerint. Item *L. I. Magnorum Moralium c.13.* de judicio Areopagitarum in puncto philtri.

ARG. VII. VII. Quodcunque quandoque mutationem recepit a Deo factam, hoc eſt mutabile.

Jus naturale quandoque mutationem recepit a DEO factam. E.

Jus naturale eſt mutabile.

Minor probatur ex *Sacro Codice:* Ita DEUS *Exod.11.* præcepit Iſraelitis,ut ſecum auferrent vaſa aurea &argentea cōtra Ægyptiorum voluntatem, cum tamen jus naturale hujusmodi actum, absque mutatione a DEO facta ſi fuiſſet, Iſraelitis prohibuiſſet. Sic Oſeæ Deus *c. 1.* ſcortationem, *c.3.* adulterium quoque præcepiſſe legitur, & Abrahamo *Gen. 22.* parricidium.

AFFIRMATIVA SENTENTIA PROBATUR §.2. Verum affirmativa ſententia,quod nempe jus naturale ſit immutabile, adeo, ut ne a Deo quidem mutari queat, demonſtrari poteſt ſequenti eoque ſolido argumento:

Quod-

Quodcunque jus fundatur in ipſa natura ejus, quod præcipitur aut prohibetur, illud eſt adeo immutabile, ut ne a Deo quidem mutari queat. SOLIDO ARGUMENTO.

Atqui Jus naturale fundatur in ipſa natura ejus, quod præcipitur aut prohibetur. E.

Jus naturale eſt adeo immutabile, ut ne a Deo quidem mutari queat.

Major nititur hoc axiomate: Eſſentiæ ſeu naturæ rerum ſunt æternæ, h. e. immutabilem atque perpetuam cum illis, quorum eſſentiæ ſunt, connexionem habent. Natura enim ſeu eſſentia hoc loco nihil aliud notat quam id, per quod aliquid eſt, quod eſt. Et hoc indicat *Grotius* hiſce verbis: *Eſſe rerum poſtquam ſunt & qua ſunt aliunde non pendet.* Item: *Ut eſſe rerum poſtquam ſunt & qua ſunt aliunde non pendet, ita & proprietates, quæ eſſe illud neceſſario conſequuntur; talis autem eſt malitia quorundam actuum comparatorum ad naturam ſana ratione utentem. lib. I. c. 1. §. 10. n. 5.* Huc ſpectat *Metaphyſicorum* doctrina de eo, quod eſſentiale, &, quod eſſentiale conſequens dicitur, e quorum uno alterum ſemper infertur ac recte colligitur.

Minor liquet ex iis, quæ *§. 34. & 35. p. 9. & ſeqq.* dicta ſunt. Add. tota *quæſtio prima p. 195. & ſeqq.*

Reſp. ad Argumenta negantis ſententiæ.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata faciles ſunt reſponſiones.

RESP. AD ARG. I.

Ad I. reſpondetur, majorem, quæ hæc erat: Omne jus eſt mutabile, non eſſe univerſaliter veram. Damus inſtantiam petitam ab ipſo jure naturali, quod eſt verum jus, nec tamen mutabile eſt, ſed adeo immutabile, ut ne a Deo quidem mutari queat. Quod vero dicebatur, eos, qui ab ipſo jure naturæ inſtantiam petere velint, petere id, quod in principio, hoc fruſtra & ſine omni addebatur ratione. Eum ſane oportet hoſpitem eſſe in omni diſputandi arte, qui neſcit quandoque inſtantiam ab eo, quod eſt κρινόμενον, peti poſſe. Capiamus unicum exemplum: Si quis argumentaretur hunc in modum: O. ens eſt creatum. DEUS eſt ens. E. Deus eſt creatus. Annon recte reſponderetur ad majorem hujus argumenti, eam non eſſe univerſaliter veram? & ſane aliter non poſſet reſponderi. Si enim reſpondens firmiter probatum dederit, quod DEUS nullum agnoſcat ſui creatorem, ſimulque ſolida ratione demonſtret, cur ſolus DEUS ſit ens increatum, utique inſtantia a DEO deſumpta ſufficit ad infringendam, ut loquuntur, univerſalitatem majoris. Toties ergo fieri poteſt, ut inſtantiæ loco illud, de quo controvertitur, licet vel maxime de eo controvertatur, adferatur

quo

quoties illud, quod inſtantiæ loco adfertur, alio argumento ſolido ac ſufficienti probatur prius ſimulque genuina ratio additur, ob quam hæc unica inſtantia dari poſſit, ad quam ſi adverſarius reſpondere neſciat, tenetur ſive velit, ſive nolit, inſtantiam admittere. Sic probandum mihi incumbit, quod Deus ſit ens increatum, & poſtmodum recte nego hanc propoſitionem: Omne ens eſt creatum, eſſe univerſaliter veram, propterea quod Deus non ſit creatus, non obſtante, quod adverſarius non admittere vult Deum, eſſe ens increatum. Pariter in præſenti veriſſima manet hæc inſtantia: Jus naturale non eſt mutabile, ſed immutabile, adeo,ut ne a DEO quidem mutari queat. Jus naturale eſt jus. E. quoddam jus non eſt mutabile,ſed immutabile, adeo, ut ne a DEO quidem mutari queat, veriſſima, inquam, manet, donec reſpondeatur ad argumentum *§. præced. à* nobis allatum, quo demonſtratum ivimus juris naturalis immutabilitatem.

Ad II. reſpondetur prænotando ambiguitatem, quæ eſt in vocibus: *Autor & dominus legis*. Vel enim per autorem & dominum legis intelligitur is, in cujus liberrima poteſtate lex eſt, ita ut ea de mere indifferenti, ἀδιάφορον vocavimus, diſponat; Vel per autorem & dominum le- RESP. AD ARG. II.

 gis

157. D. de Regg. Juris & *Alfenus l. ſervus non in omnibus 20. D. de obligationibus & actionibus.* Sed qua ratione ex hiſce talibus ſequatur, quod jus naturæ Deo jus ſuum eripiat, nemo dixerit. Nam jus naturæ certe prohibet omnem αὐτοχειρίαν, ſed aliud eſt vim ſibi inferre, aliud vim alienam perferre. Tum demum aliquid evinceretur contra legis naturæ juſtitiam, ſi caſus dari poſſet, in quo citra expreſſam Dei voluntatem quis ſibi vitam proprio auſu eripere neceſſum haberet, ut evitare turpitudinem moralemque maculam animi ſui poſſet. Talis vero caſus nunquam dari poteſt. Et annon Deus autor naturalis juris eſt, hæcque juſtitia Deum faventem habet? quo igitur titulo homo mortem ac triſtiſſima quæque citius perferens quam peccatum morale faciens Dei ſanctiſſimi jura involaſſe dicendus eſſet. Mox plura, quæ ad meliorem hujus ſolutionis intellectum faciunt, jam ſequenti reſponſione ad ultimum argumentum monebimus.

Resp. ad Arg. VI. Ad VI. reſpondetur negando minorem. Falſum eſt, quod jus naturæ maximum naturæ terrorem incutiat. Quod dicebatur in probatione, quod jus naturæ mortem præ ſui transgreſſione eligere præcipiens ſic omnium terribilium terribiliſſimum injungat, ad hoc reſpondere facile

facile eſt: Uti enim natura rationalis eſt natura hominis propria, ita mors nequit terrorem naturæ rationali incutere, utpote quæ immortalis eſt, ceu ex naturæ lumine liquet. Et licet mors terrorem incutiat naturæ hominis, quam cum brutis communem habet, ac iſtiusmodi naturæ adverſetur, adhuc tamen, quod ei displicet, naturæ rationali placet, & quamvis corporis perfectionem deſtruat, animi tamen perfectionem auget & conſervat. Sicut id corpori damnoſum non eſt, quod linguam forte vellicat aut guſtum amaricat: Sicuti vitam digiti deſeris, ut vitam corporis ſerves: Ita quod vitam corporis perdit, rationali hominis appetitui non poteſt non eſſe gratum, ſi neceſſarium ſit ad perfectionem animi. Etiam bruta propter inteſtinos dolores modum ſuperantes mortem vitæ præponunt. Beſtiæ cum viderint corpora ſua nimiis morborum cruciatibus torqueri, ſe in præceps dant, vulneribus deturpatæ ferrum induunt, in viſcera ipſa rabide condunt, quaſi ulturæ illam deformitatem, vel inflicta tormenta. Quidni interitum corporis eligeret homo, ut morbum animi declinaret. Dicuntur canum illi, qui greges comitantur, præcedere pecora, depugnantes ad mortem usque, ut paſtores illæſos præſtent. Annon fœdum eſſet

in defendenda adverſus rabiem peccatorum anima vinci hominem a beſtiis. Pictores imaginem, qua cunctos alliciant, oblectent & capiant, delineaturi non oculos in mutila, deformia fœdiſſimaque intendunt, ſed in pulcherrima formoſiſſimaque: Sic animæ oculus, mens ſana rectaque, dirigitur in honeſtatem, utpote quæ maxima perfectio maxime naturam hominis tuetur. Si miniſtrum principis tui nequeas ſimul tueri, tueris principem, illum deſeris: miniſtrat animæ corpus, ut ſerves perfectionem animæ, relinque corpus, ſi iſtud ſimul ſervare nequeas. Etiam vitam poſt hanc vitam agnoverunt Gentiles, utut ignoraverint reſurrectionem mortuorum. Nam diverſa ſunt: An alia poſt hanc detur vita? &, an talis aliqua vita, in qua anima cum corpore ſit reunienda? Hoc captum rationis ſuperat: Ad illud ſufficit, quod animæ rationalis immortalitas naturaliter cognoſci poſſit. Quo ſtante nihil obſtat, quo minus *Ariſtoteles* aliique *gentiles ſapientes* cognoſcere potuerint, mortem non eſſe ſimpliciter noxium quid, ſed animam a morte quam beatiſſime poſſe vivere, nec dubium eſt, quin id actu cognitum habuerint, quod hic loci nolumus prolixe perſequi.

OCCASIO QUÆSTIONIS.

§. 4. Occaſionem hujus quæſtionis uberrimam *Grotii prolegomena* præbent a *num. 3.*

num. 3. usque ad num. 28. quam inſpectio *Inſtit. de I. N. G. & C.* ac *Digeſt. de LL.* augere poterat.

Quæſtio III.

An jus naturale ſit adeo immutabile, ut ne a Deo quidem mutari queat?

§. I.

Negativa ſententia videtur ſequentibus probari poſſe argumentis: *Pro negante ſententia argumenta:*

I. O jus eſt mutabile. **Arg. I.**

Jus naturale eſt jus. E.

Jus naturale eſt mutabile.

Major eſt univerſaliter vera, quia nulla poteſt dari inſtantia.

Nam qui ab ipſo jure naturæ inſtantiam petere volunt, petunt id, quod in principio.

II. Quodcunque jus agnoſcit ſui autorem & dominum, illud eſt mutabile. **Arg. II.**

Jus naturale agnoſcit ſui autorem & dominum, nempe Deum. E.

Jus naturale eſt mutabile, ut a DEO mutari queat.

Major patet: nam quicunq; eſt autor & dominus juris, is poteſt illud jus mutare.

III. Si

ARG. III. III. Si Deus non poteſt mutare jus naturæ, ſequitur Deum & imperfectiorem & impotentiorem eſſe Principe in terris.

Conſequens eſt abſurdum. E. & antecedens.

Conſequentia probatur, quia quisque legislator humanus tantæ perfectionis ac auctoritatis eſt, ut leges a ſe latas mutare pro lubitu poſſit, imo in eo præcipua pars ac ratio poteſtatis circa leges conſiſtit.

Abſurditas conſequentis facile liquet, quia ſermo eſt de eo, qui poteſtatem habet ferendi leges omnibus hominibus & inter eos imprimis legumlatoribus ipſis.

ARG. IV. IV. Si jus naturale eſſet immutabile, ſequitur, quod etiam Deum obliget.

Conſequens eſt abſurdum. E. & antecedens.

Conſequentia probatur, quia dantur actus jure naturali præcepti, qui Deo cum hominibus communes ſunt, uti ſunt: ſtare promiſſis, ſervare jusjurandum &c. Si ergo hi actus immutabiliter debiti eſſent, DEUS quoque hiſce actibus obligaretur.

Abſurditas conſequentis patet, imo facile probatur hoc proſyllogismo:

Quicunque neminem habet ſe ſuperiorem, is non poteſt obligari.

Deus neminem habet ſe ſuperiorem. E.

Deus

Deus non poteſt obligari.

Majorem *Philoſophi* & *JCti* unanimi conſenſu admittunt.

Minoris veritatem vel audita voce DEUS quisque concipit.

V. Si Deus ex ſimpliciter nihilo poteſt facere ens illudq; iterum in plane nihilum redigere, ſequitur, quod ex malo actu poſſit facere bonum, ex bono malum. ARG. V.

Prius eſt verum. E. & poſterius.

Conſequentia probatur, quia qui poteſt majus, poteſt etiam minus. Plus enim diſtat nihil ab ente, quam actus malus a bono, & plus diſtat ens a nihilo, quam actus bonus ab actu malo.

VI. Quodcunque jus admittit interpretationem per æquitatem, illud jus eſt mutabile. ARG. VI.

Jus naturale admittit interpretationem per æquitatem. E.

Jus naturale eſt mutabile.

Major eſt manifeſta, quia interpretatio per æquitatem eſt vera quædam mutatio.

Minor videtur probatu facilis: Exempli gratia, reddere depoſitum, de jure naturali eſt, ſi tamen rei depoſitæ dominus fiat furioſus, periculumque ſit, ne vel ſe, vel alium interficiat, æquitas legem hanc naturæ ſic interpretatur, depoſita eſſe reddenda cum certa cautione & tali modo.

Idem *Ariſtoteles* paſſim ſcriptis indicaſſe videtur, ut *III. Moralium Nicomachiorum c.1.* ubi facta nonnulla hujusmodi eſſe aſſerit, quæ cum laude careant, venia tamen non deſtituantur. Item *V.c. 10.* ubi malitiæ deliberatæ culpa eximit eos,qui ex ira aut alio affectu ſeu naturali ſeu neceſſario damnum intulerint. Item *L.I.Magnorum Moralium c.13.* de judicio Areopagitarum in puncto philtri.

ARG.VII. VII.Quodcunque quandoque mutationem recepit a Deo factam, hoc eſt mutabile.

Jus naturale quandoque mutationem recepit a DEO factam. E.

Jus naturale eſt mutabile.

Minor probatur ex *Sacro Codice:* Ita DEUS *Exod.11.* præcepit Iſraelitis,ut ſecum auferrent vaſa aurea &argentea cõtra Ægyptiorum voluntatem, cum tamen jus naturale hujusmodi actum, absque mutatione a DEO facta ſi fuiſſet, Iſraelitis prohibuiſſet. Sic Oſeæ Deus *c. 1.* ſcortationem,*c.3.* adulterium quoque præcepiſſe legitur, & Abrahamo *Gen. 22.* parricidium.

AFFIRMATIVA SENTENTIA PROBATUR §.2. Verum affirmativa ſententia,quod nempe jus naturale ſit immutabile, adeo, ut ne a Deo quidem mutari queat, demonſtrari poteſt ſequenti eoque ſolido argumento:

Quod-

Quodcunque jus fundatur in ipſa natura ejus, quod præcipitur aut prohibetur, illud eſt adeo immutabile, ut ne a Deo quidem mutari queat. SOLIDO ARGUMENTO.

Atqui Jus naturale fundatur in ipſa natura ejus, quod præcipitur aut prohibetur. E.

Jus naturale eſt adeo immutabile, ut ne a Deo quidem mutari queat.

Major nititur hoc axiomate: Eſſentiæ ſeu naturæ rerum ſunt æternæ, h. e. immutabilem atque perpetuam cum illis, quorum eſſentiæ ſunt, connexionem habent. Natura enim ſeu eſſentia hoc loco nihil aliud notat quam id, per quod aliquid eſt, quod eſt. Et hoc indicat *Grotius* hiſce verbis: *Eſſe rerum poſtquam ſunt & quæ ſunt aliunde non pendet.* Item: *Ut eſſe rerum poſtquam ſunt & quæ ſunt aliunde non pendet, ita & proprietates, quæ eſſe illud neceſſario conſequuntur; talis autem eſt malitia quorundam actuum comparatorum ad naturam ſana ratione utentem. lib. I. c. 1. §. 10. n. 5.* Huc ſpectat *Metaphyſicorum* doctrina de eo, quod eſſentiale, &, quod eſſentiale conſequens dicitur, e quorum uno alterum ſemper infertur ac recte colligitur.

Minor liquet ex iis, quæ *§. 34. & 35. p. 99. & ſeqq.* dicta ſunt. Add. tota *quæſtio prima p. 195. & ſeqq.*

Reſp. ad Argumenta negantis ſententiæ.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata faciles ſunt reſponſiones.

RESP. AD ARG. I.

Ad I. reſpondetur, majorem, quæ hæc erat: Omne jus eſt mutabile, non eſſe univerſaliter veram Damus inſtantiam petitam ab ipſo jure naturali, quod eſt verum jus, nec tamen mutabile eſt, ſed adeo immutabile, ut ne a Deo quidem mutari queat. Quod vero dicebatur, eos, qui ab ipſo jure naturæ inſtantiam petere velint petere id, quod in principio, hoc fruſtra & ſine omni addebatur ratione. Eum ſane oportet hoſpitem eſſe in omni diſputandi arte, qui neſcit quandoque inſtantiam ab eo, quod eſt κρινόμενον, peti poſſe. Capiamus unicum exemplum: Si quis argumentaretur hunc in modum: O. ens eſt creatum. DEUS eſt ens. E. Deus eſt creatus. Annon recte reſponderetur ad majorem hujus argumenti, eam non eſſe univerſaliter veram? & ſane aliter non poſſe reſponderi. Si enim reſpondens firmiter probatum dederit, quod DEUS nullum agnoſcat ſui creatorem, ſimulque ſolida ratione demonſtret, cur ſolus DEUS ſit ens increatum, utique inſtantia a DEO deſumpta ſufficit ad infringendam, ut loquuntur, univerſalitatem majoris. Toties ergo fieri poteſt, ut inſtantiæ loco illud, de quo controvertitur, licet vel maxime de eo controvertatur, adferatur quo

quoties illud, quod inſtantiæ loco adfertur, alio argumento ſolido ac ſufficienti probatur prius ſimulque genuina ratio additur, ob quam hæc unica inſtantia dari poſſit, ad quam ſi adverſarius reſpondere neſciat, tenetur ſive velit, ſive nolit, inſtantiam admittere. Sic probandum mihi incumbit, quod Deus ſit ens increatum, & poſtmodum recte nego hanc propoſitionem: Omne ens eſt creatum, eſſe univerſaliter veram, propterea quod Deus non ſit creatus, non obſtante, quod adverſarius non admittere vult Deum eſſe ens increatum. Pariter in præſenti veriſſima manet hæc inſtantia: Jus naturale non eſt mutabile, ſed immutabile, adeo,ut ne a DEO quidem mutari queat. Jus naturale eſt jus. E. quoddam jus non eſt mutabile,ſed immutabile, adeo, ut ne a DEO quidem mutari queat, veriſſima,inquam, manet, donec reſpondeatur ad argumentum *§. praced. à* nobis allatum, quo demonſtratum ivimus juris naturalis immutabilitatem.

Ad II. reſpondetur prænotando ambiguitatem, quæ eſt in vocibus: *Autor & dominus legis*. Vel enim per autorem & dominum legis intelligitur is, in cujus liberrima poteſtate lex eſt,ita ut ea de mere indifferenti, *ἀδιάφορον* vocavimus, diſponat; Vel per autorem & dominum legis

RESP. AD ARG. II.

gis ſignificatur is, unde lex procedit, ſive objectum legis ſit indifferens, ſive natura ejus fundet moralitatem. Si priori modo ſumatur, vera eſt major propoſitio, ſed falſa eſt minor ob rationem ante datam, quia lex naturalis non præcipit aut prohibet niſi id, quod per ſe & ex ſua natura honeſtum aut turpe eſt: Si poſteriori modo capiatur, major eſt falſa. Nempe univerſaliter verum non eſt, eum, qui autor & dominus legis eſt, ſive objectum legis ſit mere indifferens ſive natura ejus fundet moralem bonitatem aut malitiam, poſſe mutare legem. Nam illud valet ſaltem de iis legibus, quæ & quatenus ſunt de indifferentibus: De juribus autem naturalibus procedit minime ob rationem datam, quia ſcilicet iis non niſi actus ſuapte natura honeſti aut turpes præcipiuntur aut prohibentur. Ita melioris perſpicuitatis gratia ſumamus actionem mere adiaphoram e. gr. geſtationem gladii, hanc actionem ſalva juſtitia homo poteſt committere & omittere, quia priori ſenſu dominus ac autor actionis eſt, id eſt, in liberrima ejus poteſtate eſt, num gladium geſtare velit, nec ne? Sed ſi ſpectemus actionem ex ſua natura honeſtam, hujus adhuc quidem ſano ſenſu is, a quo actio procedit, autor & dominus dici poteſt, non tamen illa actio in liberrima ejus poteſtate

eſt;

eſt: Ita e. gr. quando princeps in ſua civitate homicidam punit eo tempore, quo a pœnæ executione nec principi nec civitati ullum imminet periculum, princeps quidem dominus & auctor eſt hujus pœnæ, neque tamen putamus a liberrima principis voluntate pendere, num velit homicidam pœna afficere, an impunitum dimittere, cum moraliter neceſſarium credamus, ut data tali occaſione homicida puniatur. Sicut ergo non ſequitur: Princeps quando homicidam punit, auctor h. e. cauſa efficiens pœnæ eſt E. a liberrima (de morali libertate ſermo eſt) principis voluntate pendet, num velit homicidam punire. Moraliter quippe neceſſarium diximus, ut homicida impunitus non dimittatur; ita idem judicium eſto in præſenti de juris naturalis mutatione. Deus quidem eſt dominus & auctor juris naturalis, non tamen ita, ut a liberrimo Dei arbitrio pendeat, num talem actum, quem jus naturæ præcipit aut prohibet, velit habere pro debito, an pro illicito. Hæc ergo propoſitio demum procedit: Quicunque ita autor & dominus juris e , ut a li ero arbitrio ſuo pendeat, num t lem actum, qui eo jure præcipitur aut prohibetur, velit habere pro debito, an illicito, vel etiam indifferenti, ille poteſt illud jus mutare, ſed ſic non amplius de jure natu-

rali ſubſumi poteſt, quod Deus ita auctor juris naturalis ſit. Habent enim in puncto rationis moralis honeſtas & turpitudo objecti legis naturæ ſe antecedenter ad Dei voluntatem; ut prolixe deduximus *poſteriori diſſertatione morali de actibus per ſe ac ſuapte natura honeſtis vel turpibus*, idemque a novis vindicavimus exceptionibus.

Resp. ad Arg. III

Ad III. reſpondetur negando conſequentiam majoris. Quod probationem attinet, hoc quidem veriſſimum eſt, quemque legislatorem humanum tantæ perfectionis ac auctoritatis eſſe, ut leges a ſe latas mutare pro lubitu poſſit, imo facillime conceditur, in eo præcipuam partem ac rationem poteſtatis circa leges a principe latas conſiſtere, ſed quando inde inferebatur, Deum, ſi tale non poſſit circa jus naturæ, quod homo circa leges poſitivas a ſe latas præſtare poteſt, fore imperfectiorem & impotentiorem legislatore humano, hujus certe rei ac conſequentiæ plane nulla ratio apparet. Objecta legum, quas homines ferunt, qua talium, ſunt, uti diximus, adiaphora: At objecta legum naturalium qua talium ſunt intrinſece neceſſaria. Sicut igitur nulla conſequentia valet ab adiaphoro ad morale, ut nempe actionem moralem dicas, quia adiaphora eſt: Ita nec licet ab eo, quod homo circa objectum legum a ſe latarum

qua

qua talium liberrime efficere valet, argumentari & conſequentiam ducere ad objecta legis naturalis. Paucis: Hoc ſequitur, prætereaque nihil: Si homo legem ſuam quomodocunque mutare poteſt, ſequitur, quod multo magis legem ſuam voluntariam Deus quocunque modo immutare poſſit ex liberrimo voluntatis ſuæ beneplacito. Prius eſt verum, E. & poſterius. Sic totum argumentum conceditur, eoque lubentius illud nos admittimus in præſenti, quia plane non eſt contra nos, qui jam agimus de Deo, ut eſt auctor legis naturalis & immutabilis, non vero legis voluntariæ & mutabilis, quamvis cum naturalis lex, tum voluntaria a Deo lata, quia immediatum ſui autorem habet Deum, in ordine ad alias leges, quæ originem ducunt ex mera voluntate humana, optimo jure lex divina vocetur.

Ad IV. reſpondent non pauci negando conſequentiam majoris, & qui ſic reſpondent, ad probationem dicunt, quod a communitate horum illorumve actuum moralium, quos ſcilicet Deus cum hominibus communes habet, ut ſunt; ſtare promiſſis, ſervare jus jurandum &c. ad communitatem juris, quaſi ſcilicet illud jus, quod circa tales actus verſatur, etiam Deo cum hominibus commune ſit, non valeat conſequentia, cum ſemper præterea RESP. AD ARG. IV.

requiratur reſpectus ad ſuperiorem. Et hoc cauſæ ſe habere putant, cur ex parte Dei nec jus nec obligatio locum habeat. Sed nondum videmus quicquam cauſæ, cur non feliciter reſponderi poſſit negando abſurditatem conſequentis. Ad proſyllogiſmum quod attinet, ſic ſe habentem: Quicunque neminem habet ſe ſuperiorem, is non poteſt obligari. Deus neminem habet ſe ſuperiorem. E. Deus non poteſt obligari. Sunt, qui dicunt ad minorem, quod in puncto rationis ſanctitas & juſtitia Dei ſit ſupra ipſum, cum non poſſit contra ſanctitatem & juſtitiam agere. Ad hoc quia regerunt alii, hoc ipſum reſponſum non obſcure contradictionem involvere, cum ſanctitas & juſtitia Dei ſit quoad rem ipſe Deus, ac nemo ſeipſo ſuperior eſſe poſſit: & vero non de nihilo difficultas moveri videtur, ideo nobis placet ſalvo cujusque meliori placito reſpondere ad majorem, præmiſſa diſtinctione inter obligationem naturalem ac voluntariam. Quicunque neminem habet ſe ſuperiorem, is non poteſt obligari a ſuperiori: Et hoc veriſſimum eſt, poteſt tamen obligatus eſſe ex natura rei, ſeu obligatione naturali. Non enim confundi debet conceptus formalis obligationis cum conceptu materiali, hoc eſt, obligatio ut ſic cum obligatione, quæ ex ſuperio-

ris

ris qua talis libera voluntate originem ducit. Repetantur ea, quæ ſupra *§. 22. not. 3. & ſeqq. p. 55. & ſeqq.* hanc in rem fuſius notavimus.

Ad V. reſpondetur negando conſequentiam majoris. Nam ut nihil circa allatam probationem jam dicamus de conſueto canonem adductum limitandi modo: Qui majus poteſt, poteſt etiam minus, ſi τὸ poſſe minus ſub τῷ poſſe majus contineatur, quæ ſola limitatio ſufficere poterat ad deſtruendum argumentum, falſum etiam hoc eſt, quod plus diſtet nihil ab ente, quam actus malus a bono, & plus diſtet ens a nihilo, quam actus bonus a malo, in ordine ſcilicet ad potentiam Dei, etenim licet actus bonus & actus malus ſibi invicem repugnent repugnantia (ut vocant) contraria, quæ ſuo modo actionibus moraliter bonis & malis tribuitur, ens autem & nihil ſibi invicem opponantur repugnantia contradictoria, quæ abſolute ſpectata major eſt oppoſitione contraria, quia immediata eſt, cum contraria ſemper medium (medium ſcilicet negationis, ut vocant *Scholæ*, de quo utrumque contrariorum negari poteſt) agnoſcat, ſicut exempli gratia inter actum moraliter bonum & actum moraliter malum medium quoddam datur, nempe actus adiaphorus. Inde tamen nondum evin-

RESP. AD ARG. V.

evincitur, quod quia DEUS ex uno contradictoriorum alterum facere poteſt, ex uno contrariorum quoque alterum contrariorum queat efficere: Nam quando Deus ex non ente facit ens, non ſimul efficit, ut non ens ſit ens: at quando ex actu per ſe & intrinſece turpi faceret actum honeſtum, neceſſum ſane foret, ut ille actus ex ſua natura malus ſimul bonus fieret & ſimul bonus non fieret. Bonus fieret, quando ex malo fieret bonus, malus autem maneret, quia actus per ſe malus eſſet, ſeu, quod idem, ex ſua natura malus, adeoque immutabiliter malus, cum rerum naturæ ſint immutabiles.

Resp. ad Arg. VI. Ad VI. reſpondetur negando majorem & minorem. Majorem negamus, quia interpretatio per æquitatem non eſt vera mutatio legis, ceu oſtendimus *§. 60. not. 1. p. 182.* Minorem in dubium vocamus, quia verus uſus & origo ſeu cauſa æqui eſt, ut legi claudicanti ſuccurrat, & quaſi manum porrigat, cum æquitas ſit ἐπανόρθωμα legis, quæ magis propterea, quod generaliter ſcribitur, claudicat, hoc eſt, ſupplementum eorum, quæ in lege deſiderantur: aſt in naturali jure nihil deſiderari poteſt. Et videtur aliquid eo ipſo perfectioni infinitæ autoris juris naturalis detrahi, ſi dicatur, æquitatem cadere in jus naturale, utpote quæ defectum legis ex

nimia

nimia ipſius univerſalitate ortum præſupponit. *Ariſtotelis* autoritas forſan fruſtra allegabatur, qui, lege in duas partes tributa, communem (quam & naturæ vocat), & propriam, huic dilucide æquitatem tribuit, & initio *L. II. Magnorum Moralium* aperte a jure naturæ ſeparat. Nec obſtat, quod ſæpe naturalis æquitatis fiat mentio; iſtud enim fit ob magnam, quam æquitas cum jure naturæ habet cognationem. Utrumque enim eſt non ſcriptum. Commendamus hanc in rem *Oberti Giphanii*, Philoſophi & JCti Clariſſimi, egregia *Commentaria in Ariſtotelis Moralia ad Nicomachum*, qui *L. V. c. 10. p. m. 438. & ſeq.* rem feliciter expoſuit ac *JCtorum legumque civilium* ſententias cum *Ariſtotelis* doctrina conciliavit.

Ad VII. reſpondetur negando prius, hoc eſt, negamus, quod jus naturæ unquam Deus mutaverit. Ad exempla e Sacris allata facilis eſt reſponſio. Scilicet aliud eſt mutare objectum juris naturalis, aliud eſt mutare ipſum jus. Hæc duo neſciunt ſatis ab invicem diſcernere illi, de quibus ideo *Grotius* noſter notat, quod imago quædam mutationis eos fallat. *Fit interdum*, inquit, *ut in his actibus, de quibus jus naturæ aliquid conſtituit, imago quadam mutationis fallet incautos, cum revera non jus naturæ mutetur, quod immutabile eſt, ſed* RESP. AD ARG. VII.

res,

res, de qua jus naturæ conſtituit, quæque mutationem recipit. L. I. c. 1. §. 10. n. 6. Hinc in *Scholis* nonnulli diſtingvunt inter mutationem juris intrinſecam & mutationem juris extrinſecam. Mutationem juris intrinſecam appellant, quæ intrinſece denominat jus: & ea eſt ipſa mutatio juris ac ſola recte & proprie mutatio juris dicitur: Ita exempli gratia, quando Deus legem ceremonialem abrogavit, ſic vera mutatio legis facta dicitur. Extrinſecam mutationem nuncupant, quæ jus extrinſece mutatum denominat: eſtque mutatio ejus, quod antea erat objectum juris: Exempli gratia, quando creditor, quod ei debeo, acceptum fert, jam ſolvere non teneor, non quia jus naturæ deſiit præcipere ſolvendum quod debeo, ſed quia quod debebam deberi deſiit. Et qui ita inter mutationem intrinſecam & extrinſecam diſtingvunt, putant ſano ſenſu dici poſſe jus naturale immutabile per intrinſecam denominationem & ſimul mutabile per extrinſecam denominationem. Hoc & nihil aliud volunt ſua inter intrinſece & extrinſece mutabile, inter intrinſecam & extrinſecam mutationem diſtinctione. Sicut exempli gratia Deus deſinit eſſe conſervator, ſi conſervatio creaturæ deſinat, quæ conſervatio eſt a Deo, ſed non in Deo, ut interim ſano ſenſu dici poſſit, Deum ex conſervatore

ſervatore fieri non conſervatorem: Ita jus naturæ non mutatur intrinſece & ex parte ſui, licet hoc vel illud objectum hujus vel iſtius juris naturalis eſſe deſinat. Nam quod attinet iſtud Dei mandatum, quo Abrahamum obligavit ad occidendum filium, certe non poteſt evinci, quod eo ipſo Deus, quando Abrahamo in mandato dedit, ut filium occideret, ei parricidium vel ullum homicidium præceperit. Quippe ſubſtantia hujus facti, quod homicidium audit, inter alias circumſtantias multum pendet a circumſtantia *quomodo*, quomodo ſcilicet homo homini vitam eripuerit? num publica auctoritate, an vero privato auſo: & nemo ſane neſcit, quod non ſtatim actus, quo homo homini vitam eripit, ſit homicidium, cum exempli gratia homicidium non ſit, quando carnifex auctoritate Magiſtratus e facinoroſi corpore animam jubet exeſſe. Si jam cogitemus, quod Deus omnis vitæ humanæ Dominus ſit, quid obſtaret, quo minus divina Majeſtas Iſaaco Abrahami filio horam mortis indicere potuiſſet, eidemque ſalvo omni naturæ jure vitam eripere, ita quidem ut ſanctiſſimum numen occidiſſet Iſaacum per Abrahamum, ſicque Iſaacus ab Abrahamo non ut patre, non privato auſu, ſed juſſu & auctoritate ſupremi judicis ab Abrahamo ut juſtitiæ divinæ executore

tore occiſus fuiſſet. Quid? quod non credamus natura injuſtum, ſi filio extremi ſupplicii reo parens juſſu ac auctoritate Magiſtratus humani vitam eripiat magiſtratu ſic volente ſic jubente; de quo *ſeq. L. II. c. 20.* diſpiciemus. Scortationem Deus Oſeæ non præcepit, ſed ut vile ſcortum duceret in matrimonium, qui certe actus non pugnat cum jure naturæ. Nec Deus Oſeæ mandavit adulterium, ſed ſolummodo tales actus indifferentes, quales ſunt: alienæ uxori large & effuſe multa donare, eam expectare, cum ſola converſari &c. quibus in ſuſpicionem adulterii adduceretur, ut tandem quæſitus & ab omni adulterii crimine ſe liberare, & Iſraelitis ſpiritualia adulteria ab ipſis toties commiſſa ob oculos ponere ac exprobrare ad Dei mandatum poſſet. Iſraelitarum actus quod attinet, neutiquam dici poteſt, quod alienas res invitis dominis abripuerint, cum juſtiſſimo DEI judicio vaſa illa aurea ac argentea in proprietate Ægyptiorum eſſe deſiiſſent. Quidni enim Deus, cujus jus in omnes res merito abſolutum & (ſi ita loqui liceat) ſupereminentiſſimum dixeris, juſto titulo duriſſimos Ægyptios potuiſſet proprio in haſce res jure privare easque titulo donationis Iſraelitis concedere, ut ea ratione iſti non minus juſto titulo, quam alius quicunque,

qui

qui jure donationis verus rei dominus factus eſt, eam in poſſeſſionem vocare ſibique auctoritate publica vindicare poteſt, juſſu Dei in poſſeſſionem rerum, quæ Ægyptiorum eſſe deſierant, venerint.

§. 4. Occaſionem quæſtionis *Grotius* adfert *L. I. c. 1. §. 10. n. 5. & 6.* Sat perſpicuis verbis eandem ſententiam aſſerit *Juſtinianus Imperator* §. *ſed naturalia 11. Inſtit. de Jure Naturali, Gentium & Civili. Naturalia jura, quæ apud omnes gentes peræque obſervantur, divina quadam providentia conſtituta ſemper firma atque immutabilia permanent, ea vero, quæ ipſa ſibi quæque civitas conſtituit, ſæpe mutari ſolent; vel tacito conſenſu populi, vel alia poſtea lege lata.*

Quæſtio IV.

Utrum ex eo, quod aliquid per ſe ac ſuapte natura honeſtum vel turpe eſt, maxime ſi vel gentium omnium, vel omnium moratiorum conſenſus accedat, optime & ſatis apposite probetur, illud eſſe juris naturalis, hoc eſt, eo præceptum vel prohibitum?

§. 1.

Pro Negante Sententia.

Negativa ſententia ex eo facile deduci poteſt, quia oppoſita non poteſt non in circulum revolvi, & petere id, quod eſt in principio. Si enim quæras ex iſtis hominibus, qui tuentur ſententiam contrariam, de quibusnam lege naturæ diſponatur? reſpondent: de iis, quæ per ſe & ſua natura honeſta & turpia ſunt. Sin ulterius quæras, quænam autem ſunt illa per ſe & ſua natura honeſta vel turpia? nihil aliud habent, quod reſpondeant, quam ea de quibus lege naturæ diſponitur. Inde forte ſequens nectєres argumentum:

Argumentum.

Quæcunque probatio non poteſt non in circulum revolvi & petere id, quod eſt in principio, ea nullatenus admittenda eſt.

Atqui hæc probatio, qua aliquid eſſe juris naturalis probari ſolet ab eo, quia per ſe honeſtum aut turpe eſt, non poteſt non in circulum revolvi, & petere id, quod eſt in principio. E.

Hæc probatio nullatenus eſt admittenda.

Minor probatur, quia ſi exempli gratia quæram: cur ſervare promiſſum ſit juris naturalis? tuque reſpondeas, quia per ſe & ex ſua natura honeſtum eſt, ſervare promiſſa:

miſſa: ego vero inſtem & ulterius quæram: Unde ſcias & probare velis, quod promiſſum ſervare ſit per ſe ac ex ſua natura honeſtum? nihil aliud habes, quod reſpondeas, quam quia juris naturalis eſt. En nugatorium circulum! Eſt per ſe & ex ſua natura honeſtum aut turpe, quia eſt jure naturali præceptum aut prohibitum, &, eſt jure naturali præceptum aut prohibitum, quia per ſe eſt honeſtum vel turpe.

§. 2. Verum nihil eſt, quod nos ab affirmativa ſententia dimoveat, quæ faciles ſemper inveniet patronos ac a quovis, quem libido inſultandi receptis probatiſſimorum Virorum ſcriptis & novitatum amores non vexant, admittetur facili opera. Eam priusquam ſolido argumento evincamus, hoc in anteceſſum notandum ducimus: ſane ut in omnibus ac ſingulis ſcientiis ac diſciplinis oportet dari prima ac immediata, quæ ſimul vera, neceſſaria ac genuina ſint, in quibus omnino docenti ac diſcenti conſiſtendum, quæque utrique ſine demonſtratione promtiſſime ac expedite cognita eſſe debent, priusquam via ad ſolidam eruditionem pateat: Ita neceſſum quoque eſt, ut talia juris naturalis Doctores ac Cultores præcognoſcant, inque iis tandem acquieſcant. Niſi enim ut in aliis ſcientiis ac doctrinis, ita

PRO AFFIRMANTE SENTENTIA QUÆDAM ADFERUNTUR

quoque in moralibus eſſent prima quædam & quæ a priori probari nequeunt,nec ulla doctrina aut diſciplina locum invenire poſſet. Quid enim aliud eſt docere, quam ad ſcientificam quæſtionem per rationem a priori reſpondere? quid aliud eſt diſcere, quam ejusmodi reſponſionem recte percipere? Niſi igitur progreſſum in infinitum, quo tamen nihil datur abſurdius, admittere velis, non potes, ſi vel maxime errare velis, negare, quod in moralibus ea quoque dentur, quæ doceri quidem ac diſci nequeant, per ea tamen & ex iis moralis doctrina ſolide deduci ac derivari poſſit. Quod ſi igitur ex animi ſententia ac ſincero veritatis amore quæſiveris, quodnam ſit omnium primum & genuinum fundamentum univerſæ ſcientiæ de prudentia juris naturæ? Solidius ac verius (meæ quidem tenuitatis judicio & ſi maximorum Doctorum Moralium mentem recte ac feliciter aſſecutus ſum) reſponderi nequit, quam ſi dicatur, quod omnis omnino doctrina moralis tandem in iſtud principium reſolvi debeat: ex ſua natura honeſtum (turpe) expetendum(fugiendum) eſt. Namque in juris naturalis ſtudio cum laude & emolumento nequis proficere deque ſolida eruditione tibi gratulari, niſi & certiſſimus ſis, quod hoc aſſertum ſit primum morale, fons ac origo

omnis

omnis moralitatis &, ut vocatur, fundamentalis lex naturæ. Et hoc tamdiu veriſſimum credimus, donec vel monſtretur ulla doctrina moralis, quæ in iſtud primum morale non abeat, vel ratio a priori, per quam iſtud morale demonſtrari poſſit, vel ſolido fundamento hoc morale impugnetur evertaturve, vel aliud fundamentum oſtendatur certius ac firmius: Nihil horum, ſi magni nominis virorum judicia ſequimur eorumque judicio ſtamus, hactenus præſtitum eſt, nec forte ante Græcorum vel Germanorum Kalendas fiet: utut de die in diem alii aliique ſcriptores reperiantur & fere quisque materiam laudis quærat in excogitandis novis jurisprudentiæ moralis principiis firmis, genuinis, immotis, ſolidis inque graviſſimam diſcentium perniciem hactenus incognitis, uti fere quotidie alia in publicum exeunt, quibus imperitiori ac illotis manibus ad jurisprudentiæ moralis ſtudium accedenti ac novitatum natura avidæ juventuti imponitur, & quo magis magisque ejusmodi novitatum venatores aucupia rudis vulgi quærunt, eo liberius veteres auctores velut ſexagenarios, quod eſt in proverbio, de ponte deturbandos eſſe exiſtimant, illos imprimis, quorum induſtriæ ſæpe, ſi novos terminos & mutatum tractationis ordinem eximas, pluri-

ma ſua debent. Sit interim, quicquid ſit, quia rem hanc ex dignitate perſequi chartæ anguſtia ac inſtituti indoles prohibent, cujus tamen inquiſitionem ſingulari cura, quantum Dei auxilium ingeniique vires permiſerint, *Libro* noſtro *de ſcientia Juris naturalis ejusque ſtudio recte tractando* inſtituemus, ubi nova ac varia variorum fundamenta ad ſtateram veritatis expendere parati ſumus, nunc contenti ſequenti argumento:

ARGUMENTUM, QUO AFFIRMANS SENTENTIA PROBATUR.

Quodcunque dogma morale ex lege naturæ fundamentali per ſolidam, pronam & facilem conſequentiam probatur, hoc optime & ſatis appoſite probatur.

Atqui omne illud, quod juris naturalis eſſe probatur ex eo, quod per ſe ac ſuapte natura honeſtum vel turpe eſt, ex lege naturæ fundamentali per ſolidam, pronam & facilem conſequentiam probatur. E.

Omne illud, quod juris naturalis eſſe probatur ex eo, quod per ſe ac ſuapte natura honeſtum vel turpe eſt, optime & ſatis appoſite probatur.

Major propoſitio cuivis πεπαιδευμένῳ dudum innotuit. Quid enim melius & magis appoſite probari poteſt, quam quod ex ſolido ac genuino fundamento probatur.

Minor

Minor probatur quia primus fons moralitatis & genuina lex naturæ fundamentalis ſimulque totius jurisprudentiæ moralis fundamentum eſt hoc aſſertum: *Per ſe ac ſuapte natura honeſtum (turpe) eſt expetendum (fugiendum)*, id quod probamus ſequenti proſyllogismo:

Quicquid primo movet appetitum moralis agentis, illud eſt primus fons moralitatis, genuina lex naturæ fundamentalis ſimulque totius jurisprudentiæ moralis fundamentum.

Atqui hoc morale; *Per ſe ac ſuapte natura honeſtum (turpe) eſt expetendum (fugiendum)* primo movet appetitum moralis agentis. E.

Hoc morale: *Per ſe ac ſuapte natura honeſtum (turpe) eſt expetendum (fugiendum)* eſt primus fons moralitatis, genuina lex naturæ fundamentalis ſimulque totius jurisprudentiæ moralis fundamentum.

Major hujus proſyllogiſmi liquida eſt, eamque *Ariſtotelis L. III. de Anima c. 10. l. 49. Interpres* rotundiori ore ſic effert: *Cujus eſt appetitus, illud eſt principium intellectus practici.* Hoc enim eſt, quod major propoſitio indicat: Id quod primo movet appetitum agentis (moralis qua talis) illud eſt principium (morale) intellectus practici. Rationem deſideras? ea

in promptu eſt. Nam inductione liquet, morale agens qua tale nihil appetere niſi prævia intellectus practici ſeu moralis cognitione. Similitudine hoc intelligi poteſt ea, quæ ab omnibus admittitur: Quodnam eſt illud, quod primo movet appetitum ægroti? Sanitas. Sed potuiſſetne ſanitas primo movere appetitum ægroti, niſi intellectus practicus ægroti, primo omnium ſanitatem appetendam eſſe judicaſſet? minime. Annon corpus prius cognoſcendum ei, qui curaturus eſt? Hoc vero omnes capiunt, quod ſcientia de jure naturali ſic ſe habeat ad perfectionem animæ, ut ſcientia de arte medica ad corporis curationem.

Minor proſyllogiſmi probatur inde, quia hoc morale: Per ſe ac ſuapte natura honeſtum (turpe) eſt expetendum (fugiendum,) primo ac immediate fundatur in ratione boni (mali.) Jam vero omnis finis eſt bonum quid, adeoque quod primo omnium ac immediate fundatur in ratione boni, hoc primum eſt in moralis agentis intentione, cum finis in practicis ſemper ſit primum, quo (ut obiter hoc addamus) reſpexit *Grotius* noſter *L. II. c. 7. §. 2. num. 1.* quando probationem a fine in moralibus optimam eſſe probationem aſſerit. Et quia finis eſt, primum movens eſt, hæc enim eſt ratio, per quam finis abſolute & prima-

primario dictus eſt cauſa finalis, quia nempe bonitate ſua appetitum agentis cognoſcendi vi præditi & cum connotata cognitione antecedenter requiſita ſpectati movet ad ſui appetitionem. Ex his oppoſiti, cujus una ratio eſt, veritatem aſſequi licet facile.

Hiſce igitur ſic ſtantibus relinquitur, quod probandum erat, ut tamen ſemper tanquam ſatis cognitum ac uberrime confirmatum ſupponatur, dari per ſe ac ſuapte natura honeſtum. Huc reſpicientes *duabus diſſertationibus moralibus*, quod per ſe ac ſuapte natura honeſtum detur, iterumque *alia diſſertatione*, quam inſcripſimus, *DE PRIMIS MORALIBUS* demonſtravimus, quod ex eo, quod aliquid per ſe ac ex ſua natura honeſtum (turpe) eſt, iſtud eſſe juris naturalis, probari optime poſſit.

§. 3. Ad argumentum pro negante ſententia allatum reſpondemus negando minorem, quæ ſic ſe habebat: Hæc probatio, qua aliquid eſſe juris naturalis probari ſolet ab eo, quia per ſe honeſtum aut turpe eſt, non poteſt non in circulum revolvi, & petere id, quod eſt in principio. Et hoc demum eſt non *Grotio* ſolum, ſed & pleriſque ex Moralium Doctoribus ac æſtimatoribus abſurdas propoſitiones affingere & vacuo plauſus theatro dare. RESP. AD ARGUMENTUM PRO NEGANTE SENTENTIA §. I. ALLATUM.

Nunquam enim potuerunt aut voluerunt tales nugas ſomniare. Hoc lubet paulo preſſius perſequi, ut id offuciarum genus animadvertere queant, qui ad *Grotii* aliorumque probatorum ſcriptorum Philoſophiam adſpirare incipiunt. Hæc enim quæſtio: Utrum ex eo, quod aliquid per ſe & ex ſua natura honeſtum aut turpe eſt, optime & ſatis appoſite probetur illud eſſe juris naturalis? duplicem habet ſenſum: primo illum: Num omnis concluſio moralis de eo, quod juris naturalis eſſe dicitur, in hanc tandem notionem, quod per ſe honeſtum aut ſuapte natura turpe ſit, abeat? Secundo talis ſenſus eſſe poteſt: An ad quamlibet quæſtionem de eo, quod juris naturalis eſt (hoc eſt, ubi quæritur: cur hic vel ille actus jure naturali præceptus aut prohibitus ſit?) Sufficiat hæc cruda ac nuda reſponſio: Omnino eſt, quia per ſe & ex ſua natura honeſtum aut turpe eſt. Si in priori ſenſu ſumatur quæſtio, ſic affirmativa veriſſima eſt, quod nempe omnis concluſio moralis de eo, quod juris naturalis eſſe dicitur, in hanc tandem notionem, quod per ſe ac ſuapte natura honeſtum aut turpe ſit, abeat. Nam nihil aliud hoc ipſo aſſerto indicare volumus, quam quod neceſſaria ac intrinſeca moralitas in diſciplina juris naturalis ſit medium cognoſcendi quæſtiones ſeu concluſio-

cluſiones (quantum ad rem enim idem ſunt) quodque tanquam formale objectum ſe habeat, quod *Scholæ Doctores* plerumque *rationem objectivam formalem* dicunt. Nam ut in omnibus aliis ſcientiis medium demonſtrationis dicitur ratio formalis ſciendi reliqua: Sic in ſcientia de jurisprudentia morali medium & principium, quod moralium Doctor tenetur aſſumere ad inferendas concluſiones morales, dicimus objectum formale ſcientiæ moralis, & cætera ſub eo reſpectu a Philoſophia morali conſiderantur. Et quemadmodum ad quamlibet ſcientiam requiritur unitas objecti, non quidem materialiter, ſed ſecundum rationem formalem objecti, ut nempe omnia, quæ per ſe ad illam ſcientiam pertinent, utut inter ſe diſtinctiſſima ſint, communicent in una ratione formali: Ita quoque neceſſum eſt, ut ſub una formali ratione omnia moralia comprehendantur, ſicut ſub ſcientia una. Nam niſi una ratio formalis omnium objectorum Philoſophiæ moralis eſſet, quomodo una ſcientia moralis, una diſciplina dici poſſet? Produnt igitur ſuam ἀπαιδευσίαν, (ut tanquam aliud agentes hoc tangamus) & quam longe abſint a ſolida doctrina morali, non obſcure oſtendunt, qui dum manuductores in accuratioris Philoſophiæ moralis compendioſiori

ſiori ſtudio videri volunt, hoc moralia docentibus vitio vertunt, quod ad unum idemque fundamentum omnia ac ſingula dogmata moralia revocare unaque & eadem ratione æſtimare auſint. Hoc enim videbatur manibus palpari poſſe, quod niſi morales quæſtiones & concluſiones (idem judicium eſto de aliis ſcientiis ac diſciplinis) omnes ac ſingulæ ſecundum unam communem rationem, quæ *Scholaſticis*, imprimis *Thomiſtis*, *formalis ratio objectiva* dicitur, conſiderari ac explicari poſſent, ſic non amplius ad unam eandemque, ſed ad diverſas ſcientias ac diſciplinas pertinerent. Putares vel cœcum hoc videre poſſe, unde enim aliqua ſcientia vel diſciplina una denominari poſſet, niſi una ratio formalis eſſet, ſub qua omnia ejus objecta cognoſcenda eſſent? Sed hac de re in *Libro noſtro de Jurisprudentia morali* diſtinctius agetur. Interea certi ſumus de communi eruditiſſimorum & accurato docendi generi aſſuetorum Doctorum quorumvis conſenſu. Inter *Moraliſtas Thomas, Vazquez, Gregorius de Valentia, Gregorius Ariminenſis, Durandus a Sancto Porciano*, præ cæteris hanc rem feliciter ac nervoſius dilucidarunt, ut alibi notabimus, quorum perbrevem ac dilucidam ſummam qui ſcire diſcupit, interim adeat Domini *D. Johannis Muſæi*, Venerandi

randi Senioris, aureum *Libellum* mole exiguum, gravioribus tamen ac ſcitu apprime neceſſariis dogmatibus ampliſſimum ac omnium ſcientiarum πεπαιδευμένοις Cultoribus, quique mutatis mutandis prudenter & accommodate iis uti ſciant, utiliſſimum *de Uſu Principiorum rationis & Philoſophiæ L. II. c. 1.* Nihil ergo aliud ad quæſtionem principalem, quam hoc reſpondimus, per ſe ac ex ſua natura morale eſſe primum & proprium, in quod omnes moralis ſcientiæ concluſiones ultimo reſolvi poſſint ac debeant. Ex quo tamen inepte colligitur, quaſi ſic ſtatuentes in circulum revolvantur. Nam ſi hoc eviciſſes, profecto ſimul in ſophiſticum circulum omnes omnino ſcientias ac diſciplinas redigeres. En ſplendidas nugas! Illuſtramus rem facili exemplo: Si a ſcientiæ Phyſicæ Doctore quæras, unde objecta ſua, quæ probanda ipſi incumbunt, probet; annon recte reſpondet ex eo, quod naturalia ſunt? Audesne id propter phyſicam ſcientiam pro meris nugamentis habere? Tene pudet dicere, quod Phyſicus certum conſtituere γνώρισμα nequeat, ex quo liquido conſtet, an & cur aliquid ſit Phyſicæ ſcientiæ? Idem judices de morali ſcientia. Nam quod liquido conſtet, dari aliquid per ſe honeſtum aut turpe, nulli dubitamus. An &

cur

cur hoc vel illud in ſe ſit honeſtum vel turpe? oſtendi poſſe probabimus. Sed quomodo? quæris, ſicque quæris de poſteriori principalis quæſtionis ſenſu, qui hic eſſe dicebatur: An ad quamlibet quæſtionem de eo, quod juris naturalis eſt (hoc eſt, ubi quæritur, cur hic vel ille actus jure naturali præceptus aut prohibitus ſit? Sufficiat hæc cruda ac nuda reſponſio: Omnino eſt, quia per ſe & ex ſua natura honeſtum aut turpe eſt? Et hic quidem incautus ac imperitior juvenis novis nugis adduci poterat, ut ex pia ſimplicitate crederet, ac ſi affirmativa ſit Moraliſtarum, Grotii, hicque error adeo communis, ut ſi planctus eſſet, dudum morales cathedræ ac pulpita perſonaſſent. Ad quod figmentum repellendum licet ſufficiat prudens ſcriptorum inſpectio ac ex *Moraliſtarum* ac *Grotii* fundamento rite docentium ſedula auſcultatio, tamen repelli hæ φλυαρίαι levi opera poſſunt, RESP. AD ARGUM. ſicque cadit minor §. 1. propoſiti argumenti. Nam qui de certa re quærit, an ſit juris naturalis, & quidem ea fini quærit, ut per rationem a priori ſolidam ac genuinam reſpondeatur? ei ex mente *Grotii* omniumque, qui eodem, quo *Grotius*, lætantur fundamento, reſponderi nequit, niſi prius is, qui quærentem docere vult, ſedulo ac accurate diſpiciat, quod ac quale

quale objectum ſit, de quo quæritur. Poteſt enim eſſe, ut alter quæſtionem moverit de tali objecto, quod quidem juris naturalis eſt, ut tamen iſtud eſſe juris naturalis a priori probari nequeat. Sunt enim quædam juris naturalis, quæ ſeipſis ſciuntur, hoc eſt ſcientia eorum, quod juris naturalis ſint, eſt ἀναπόδεικτος, ut *Ariſtoteles* vocat. Non enim confundi debent hæc duo, ſcire quod aliquid ſit juris naturalis, &, apodictice ſcire, quod aliquid ſit juris naturalis. Non omnia, quæ ſciuntur, per rationem a priori ſciuntur, ſed dantur aliqua prima, quæ ſcimus quidem, nulla tamen ratione a priori, nulla demonſtratione, nulla doctrina aut diſciplina ſciuntur, nec indoles eorum fert, ut doceantur ac diſcantur, quia alias non eſſent prima aut, quod æque abſurdum eſt, priora primis darentur. Hinc adverſus negantes principia nec docemus nec diſputamus, &, quærenti rationem a priori, cur ea ſint juris naturalis, quorum moralitates ſeipſis ſciuntur, nihil reſpondemus, quia nugas poſtulat: *Nego*, ait elegantiſſime *Cicero L. III. de Finibus p. m. 55. opus eſſe ratione, neque diſputatione, per ſe cognoſci putamus, ut calere ignem, nivem eſſe albam, dulce mel: Quorum nihil oportet exquiſitis rationibus confirmare, tantum ſatis eſt admonere.* Numne enim per ratio-

nem

nem a priori reſpondebis, quando de eo, quod primum morale eſt, quispiam quæreret, ut ſi quæreret: anne ex ſua natura honeſtum appetere, item ex ſua natura turpe fugere ſit juris naturalis? Interim juris naturalis ſunt & manent ex ſua natura honeſtum appetere, ex ſua natura turpe fugere, id quod vel illi fateri coguntur, qui per ſe ac ſuapte natura honeſtum ac turpe dari negant. Namq; ſi ex illis quæreres: numne poſito, quod detur honeſtum ac turpe per ſe & ex ſua natura, juris naturalis eſſet illud appetere, hoc fugere? Si mentis ſanæ eſſent, non poſſent negare. Idē de aliis primo morali proxime cognatis objectis judicat idoneus moralium cultor, imo judicare debet. Sic ſi quærat quispiam: an ſuum alteri tribuere, an neminem lædere, hoc eſt injuria afficere, ſint juris naturalis? fere perinde eſt, ac ſi quærere velit de primo morali. Nam per ſe cognoſci hoc putamus, quod neceſſario ac ſuapte natura honeſtum ſit alteri ſuum tribuere, item neceſſario ac ſuapte natura turpe alterum injuria afficere. Nam colaphis ac fuſtibus convinci poteſt, qui non agnoſcit per ſe neceſſarium alteri ſuum jus tribuere, alterum injuria non afficere. Prolixius hæc deduximus & *diſſertatione de Primis Moralibus* & *poſteriori diſſertatione de quæſtione: Num actus dentur per ſe ho-*

neſti

neſti aut turpes? Quod ſi autem, id quod prudentis moralium Cultoris officium admittit, quiſpiam de tali actu quærat, cujus neceſſaria & intrinſeca moralitas non facilis perceptu eſt, nec ea per ſe cognoſci poteſt, tunc demum partes officii ſui explere *Moralium Doctor* poteſt, ſed non circulatoriis ſophiſticationibus. Sumamus illuſtre exemplum: Sit quæſtio propoſita: an promiſſum ſervare ſit juris naturalis? hic accurate reſpondetur per rationem a priori, ſi ita reſpondeas: promiſſum ſervare omnino juris naturalis eſt, quia quod quis promiſit, in illud habet proprium jus is, cui promiſſum eſt: ſuum autem jus cuique tribuere per ſe honeſtum adeoque expetendum eſt. Et ita reſpondere idem eſt ac aliquid, quod juris naturalis ſit, probare ex eo, quia per ſe & ex ſua natura honeſtum eſt. Narretur ergo imperitiſſimis hæc fabula, quod ſi ex *Grotio* aliisque iſtiusmodi hominibus quæratur: Cur juris naturalis ſit ſervare promiſſum? reſponderi nequeat, niſi omnis reſponſio in circulum revolvatur, & petatur id, quod eſt in principio, cum *Grotius* ejusque anteceſſores ac ſectatores ad quæſtionem: cur promiſſum ſervare ſit juris naturalis? reſpondere neſciant, niſi hoc modo: quia per ſe & ſua natura honeſtum eſt. Sin ulterius quæratur ex iis: cur per ſe & ſua

natura honeſtum ſit? nihil aliud habeant, quod reſpondeant, quam quia juris naturalis eſt, aut quia de eo jus naturale diſponit; narretur, inquam, hæc fabula imperitioribus, apud eos forte tam facilem, quam nutricularum apud pueros, fidem inveniet, quorum tamen judicio nec ſtabit nec cadet *Grotii* auctoritas, ſed ad prudentiores te converte, hi viderint facile, in quos circulos coëas, quosve captes ac cujus quæſtus gratia. Quod ad quæſtionem: Cur ſervare promiſſum ſit juris naturalis? reſponderi queat, quia per ſe & ſua natura honeſtum eſt, nunquam diffitebimur. Sed qui in gratiam πεπαιδευμένȣ auditoris ita reſpondere vult, tantū abeſt, ut nihil aliud habeat, quod reſpondeat, ut potius ideo ſic reſponderit, ut legem naturæ fundamentalem primumque fontem moralitatis, auditori prudenti in animum revocaret, anſamque ac occaſionem ſubminiſtraret, ulterius quærendi a Doctore, quidnam habeat, quod reſpondeat ad hoc, cur nempe promiſſum ſervare ſit per ſe & ſua natura honeſtum? Ubi officio Doctoris functus reſpondet ſuum jam eſſe, ut oſtendat ac ſolide exponat auditori, quod qui promittit alteri, eum, cui promittit jus in id, quod promittit, ſibi acquirere faciat, quod jus ipſi relinquitur, dum promiſſum ſervatur. Et hic jam multa de

pro-

promiſſionibus ſuggerere auditori neceſſum habet, nempe explicare tenetur omnes & ſingulas promiſſionum cauſas, & finalem, cujus gratia promiſſum eſt; & materialem, id nempe, quod promiſſum eſt; & efficientem, nempe eum, qui promiſit, & formalem, rationem nempe moralem ſive modum promiſſionis; & impulſivam, hoc eſt, id, quod movit promiſſorem: quæ omnia explicare eſt moralis Doctoris, qui dum hæc facit, non petit id, quod in principio, ſed principium (cauſam) petit, hoc eſt, promiſſi omnes ac ſingulas cauſas tradit, ut tandem Moralium cultori omnis dubitatio exemta ſit ac certiſſimus reddatur, quod ſervare promiſſum ſit jus ſuum alteri tribuere. Idem de aliis quæſtionibus ſeu concluſionibus moralibus apodicticis judicamus.

§. 4. Occaſio hujus quæſtionis habetur apud *Grotium l. 1. §. 12.* dum ſic diſſerit: *Eſſe aliquid juris naturalis probari ſolet, tum ab eo quod prius eſt, tum ab eo quod poſterius eſt, quarum probandi rationum illa ſubtilior eſt, hæc popularior. A priori, ſi oſtendatur rei alicujus convenientia aut diſconvenientia neceſſaria cum natura rationali ac ſociali: a poſteriori vero, ſi non certiſſima fide, certe probabiliter admodum, juris naturalis eſſe colligitur id, quod apud omnes gentes, aut moratiores omnes* OCCASIO QUÆSTIONIS.

tale eſſe creditur. Nam univerſalis effectus univerſalem requirit cauſam: talis exiſtimationis cauſa vix ulla videtur eſſe poſſe præter ſenſum ipſum communis qui dicitur. Hæc *Grotius*. Ex quibus verbis primo intuitu forte colligere quiſpiam poſſet, ac ſi *Grotius* noſter hoc vocet argumentum a priori, quando ſic colligis: Quicquid neceſſario convenit aut diſconvenit cum natura rationali ac ſociali, illud eſt juris naturalis. Atqui hoc &c. E. Verum quamvis talismodi argumentum petatur ab eo, quod prius eſt in ordine ad conſenſum omnium gentium, aut moratiorum: (quippe negari nequit, conſenſum gentiū omnium aut moratiorum omnium, quo hoc vel illud juris naturalis eſſe credunt, poſteriorem eſſe ipſa convenientia aut diſconvenientia ejus neceſſaria cum natura rationali ac ſociali) ut ſic hoc ſit poſterius quoddam argumentum: Quodcunque apud omnes gentes aut moratiores omnes juris naturalis eſſe creditur, illud eſt juris naturalis. Atqui hoc vel illud &c. E. Si tamen quod veritas exigit, dicendum eſt, neutrius argumentationis tanta vis eſt, ut demonſtrationis moralis titulo veniat; poſterius namque argumentum eſt mere *ἄτεχνον*, hoc eſt ex inartificiali loco petitum, loco ſcilicet humanæ auctoritatis, unde argumenta inartificioſa, hoc eſt talia,

quæ

quæ non ex ipſa quæſtionis materia eruuntur, peti poſſunt. Imo quisque facile videt, natura prius quid eſſe convenientiam aut diſconvenientiam alicujus cum natura rationali ac ſociali, & natura poſterius quid communem gentium aut moratiorum in iſtud conſenſum, ita ut illa aliquo modo hujus ſit cauſa: nam ideo omnes gentes aut moratiores omnes in hoc vel illud conſentiunt, quod juris naturalis ſit, quia cum natura rationali ac ſociali conveniens aut diſconveniens eſt. Qua igitur ratione talismodi argumentum demonſtrativum diceretur, quod extrinſecus aſſumebatur? De quo tamen negari nequit, quod facillime eos, qui accuratiorem doctrinam aut nolunt aut nequeunt aſſequi, in pleniſſimum aſſenſum trahat. At prius argumentum tale erat, ut rationem a priori, in qua πεπαιδευμένος acquieſcere poſſit, nondum exprimat, ad eam tamen ducat auditorem, qui officio ſuo rite functus, dum audit hoc eſſe conveniens aut diſconveniens cum natura rationali ac ſociali, ſemper cogitat, numne natura rationalis ac ſocialis per ſe illius honeſtatem aut turpitudinem agnoſcat, num per rationem a priori: Si prius, inde colligit ipſe, hoc eſſe juris naturalis principium: Si poſterius, habet pro concluſione, ipſamque demum rationem a

priori, per quam honeſtas aut turpitudo talismodi actus diſci poteſt, pro medio termino ſyllogismi demonſtrativi agnoſcit. De cætero hæc ratio: eſt conveniens aut diſconveniens cum natura rationali ac ſociali, in ſe ſpectata manet dialectica, nec perſuadebimur facile, ut credamus *Grotium* ea ut analytica uſum fuiſſe: totius operis omniumque partium inſpectio aliter nos ſentire facit.

Quæſtio V.

Annon rectius fundamentalis lex naturæ iſthæc ponatur: *Cuilibet homini, quantum in ſe, colendam & conſervandam eſſe pacificam adverſus alios ſocialitatem?*

§. 1.

PRO AFFIRMANTE SENTENTIA.

SCilicet manifeſto apparet, hominem eſſe animal ſui conſervandi ſtudioſiſſimum, per ſe egenum, ſine ſui ſimilium auxilio ſervari ineptum, ad mutua commoda promovenda maxime idoneum; idem tamen ſæpe malitioſum, petulans, & facile irritabile & ad noxam inferendam promptum ac validum. Ejusmodi animali,

mali, ut ſalvum ſit, neceſſarium eſt, ut ſit ſociabile, id eſt, ut conjungi cum ſui ſimilib9 velit, & adverſus illos ita ſe gerat, ut ne iſti anſam accipiant eum lædendi, ſed potius rationem habeant ejusmodi commoda ſervandi aut promovendi. Ut homines ſimul & tamen ſine lege vivant, fieri non poteſt. Eo enim pacto majus ipſis damnum inferetur, quam ſi ſigillatim vitam inſtitueret. Inde fundamentalis lex naturæ iſtæc erit: *Cuilibet homini, quantum in ſe, colendam & conſervandam eſſe pacificam adverſus alios ſocialitatem.* Ex quo conſequitur, quia qui obligat ad finem, ſimul obligare intelligitur ad media, ſine quibus finis non poteſt obtineri; omnia, quæ ad iſtam ſocialitatem neceſſario faciunt jure naturali præcepta, quæ eandem turbant aut abrumpunt, vetita intelligi. Iſtanc viam eruendo juri naturali non planiſſimam ſolum eſſe patet; ſed & eandem maxime genuinam, & propriam plerique ſapientum magno conſenſu agnoſcunt. Multa teſtimonia accumulare opus non eſt. Inſtar omnium poteſt eſſe illud *Senecæ de Benefic. L. IV. c. 18. Quo alio tuti ſumus, quam quod mutuis juvamur officiis? Hoc uno inſtructior vita, contraque incurſiones ſubitas munitior eſt, beneficiorum commercio. Fac nos ſingulos; quid ſumus? præda animalium & victimæ, ac imbecilli-*

mus & facillimus ſanguis. Hominem imbellem cingit: nudum & infirmum ſocietas munit. Duas res dedit, quæ illum obnoxium validiſſimum facerent, rationem & ſocietatem. Itaque qui par eſſe nulli poſſet, ſi ſeduceretur, rerum potitur. Societas illi dominium omnium animalium dedit. Hæc morborum impetus arcuit, ſenectuti adminicula proſpexit, ſolatia contra dolores dedit. Hanc tolle, & unitatem generis humani, qua vita ſuſtinetur, ſcindes. Hæc *Seneca.*

Argumentum forſan tale eſſe poterit:

ARG. I. Quodcunque primo ac per ſe hominis felicitatem promovet, hoc eſt maxime genuinum & proprium fundamentum legis naturæ.

Atqui pacifica adverſus alios ſocialitas, quam quilibet homo, quantum in ſe eſt, colit & conſervat, primo ac per ſe hominis felicitatem promovet. E.

Pacifica adverſus alios ſocialitas, quam quilibet homo, quantum in ſe eſt, colit & conſervat, maxime genuinum & proprium fundamentum legis naturæ eſt.

Major propoſitio eſt manifeſtiſſima, quia finis ultimus legis naturæ ex parte hominis eſt felicitas hominis.

Minor videtur ſequenti proſyllogiſmo pleniſſime ac planiſſime probari poſſe.

Quod-

Quodcunque animal eſt ſui conſervandi ſtudioſiſſimum, per ſe egenum, ſine ſui ſimilium auxilio ſervari ineptum, ad mutua commoda promovenda maxime idoneum, idem tamen ſæpe malitioſum, petulans & facile irritabile, ac ad noxam inferendam promptum ac validum, ejusmodi animali, ut ſalvum ſit, neceſſarium eſt, ut ſit ſociabile.

Atqui quilibet homo eſt ejusmodi animal. E.

Major hujus proſyllogiſmi ex terminis liquet inque antecedentibus fuſius probabatur, imprimis *Seneca* inſigni judicio.

Minoris veritas quotidie in oculos noſtros incurrit. Huic cognatum ſequens argumentum eſto:

Quodcunque principium ita ſe habet, ut nullum aliud deprehendatur, ad quod admittendum ipſa mortalium conditione ſuffragante adigi poſſint omnes omnino homines, quamcunque demum circa divina perſuaſionem habeant, illud eſt fundamentum univerſi juris naturalis. ARG. II.

Atqui hoc principium: Cuilibet homini quantum in ſe, colenda & conſervanda eſt pacifica adverſus alios ſocialitas, ita ſe habet, ut nullum aliud deprehendatur, ad quod admittendum, ipſa mortalium

conditione ſuffragante adigi poſſint omnes omnino homines, quamcunque demum circa divina perſuaſionem habeant. E.

Hoc principium: Cuilibet homini quantum in ſe, colenda & conſervanda eſt pacifica adverſus alios ſocialitas, eſt fundamentum univerſi juris naturalis.

ARG. III. Quicquid eſt primaria propoſitio in diſciplina juris naturalis extructa ex obſervationibus a natura rerum & hominum petitis, ſub qua cæteræ propoſitiones facile poſſunt ſubſumi & in eandem reſolvi, illud eſt maxime genuinum & proprium fundamentum juris naturalis.

Atqui hæc propoſitio: *Cuilibet homini, quantum in ſe colenda & conſervanda eſt pacifica adverſus alios ſocialitas*, eſt talismodi propoſitio E.

PRO AFFIRMANTE SENTENTIA. §. 2. Utut vero hæc ſententia blandiatur & in eorum animos ſe inſinuet, qui ſpecie terrenæ utilitatis ducuntur, præter ea tamen, quæ præcedenti quæſtione pro vera ſententia diximus & huc revocari poſſunt, eam pluribus argumentis impugnari poſſe perſuaſi ſumus, inter quæ etiam ſunt ſequentia:

ARG. I. 1. Ex quocunque non omnia juris naturalis dogmata deduci poſſunt, hoc non eſt maxime genuinum & proprium

prium fundamentum moralitatis lexque naturæ fundamentalis.

Atqui ex hoc: cuilibet homini, quantum in ſe, colendam & conſervandam eſſe pacificam adverſus alios ſocialitatem, non omnia juris naturalis dogmata deduci poſſunt. E.

Hoc: cuilibet homini, quantum in ſe, colendam & conſervandam eſſe pacificam adverſus alios ſocialitatem, non eſt maxime genuinum & proprium fundamentum moralitatis.

Major probatur, quia maxime genuinum & proprium fundamentum moralitatis quodque legis naturæ fundamentalis nomine meritiſſimo cenſeri poſſit, ita ſane comparatum eſſe oportebat, ut in illud reduci eique quaſi ſuperſtrui omnes ac ſingulæ concluſiones juris naturalis poſſint.

Minor probatur, quia concluſiones juris naturalis ſunt triplicis generis, prout nempe *§. 25. p. 65. & ſeq.* triplex jus naturale fecimus, & quod dictat homini recte ſe gerere erga DEUM, & quod dictat homini recte ſe gerere erga ſeipſum, & quod dictat homini recte ſe gerere erga proximum. Eximius locus eſt apud *Thomam*, Principem Moraliſtarum, quo triplex illud naturale jus perſpicue admodum & ſat bene docuit *1. 2. quæſt. 94. art. 2. §. reſpondeo dicen-*

dicendum, quem non pigramur huc tranſcribere apprime ad præſens inſtitutum facientem: Præcepta legis naturæ (fundamentalia) hoc modo ſe habent ad rationẽ practicam, ſicut prima principia demõſtrationum ſe habent ad rationem ſpeculativam: utraq; enim ſunt quædam principia per ſe nota. Dicitur autẽ aliquid per ſe notum dupliciter: Uno modo ſecundum ſe: Alio modo quoad nos Secundũ ſe quidem quælibet propoſitio dicitur per ſe nota, cujus prædicatum eſt de ratione ſubjecti: contingit tamen, quod ignoranti definitionem ſubjecti talis propoſitio non erit per ſe nota, ſicut iſta propoſitio: homo eſt rationale, eſt per ſe nota ſecundum ſui naturam: quia qui dicit hominem, dicit rationale, & tamen ignoranti quid ſit homo, hæc propoſitio non eſt per ſe nota: & inde eſt, quod ſicut dicit Boët.in lib. de hebdomad. Quædam ſunt dignitates vel propoſitiones per ſe notæ communiter omnibus: & hujuſmodi ſunt illæ propoſitiones, quarum termini ſunt omnibus noti, ut: omne totum eſt majus ſua parte, &, quæ uni & eidem ſunt æqualia, ſibi invicem ſunt æqualia. Quædam vero propoſitiones ſunt per ſe notæ ſolis ſapientibus, qui terminos propoſitionum intelligunt, quid ſignificent: Sicut intelligenti, quod angelus non eſt corpus. per ſe notum eſt, quod non

non eſt circumſcriptive in loco, quod non eſt manifeſtum rudibus, qui hoc non capiunt. In his autem, quæ in apprehenſione hominum cadunt, quidam ordo invenitur. Nam illud quod primo cadit in apprehenſione eſt ens, cujus intellectus includitur in omnibus, quæcunque quis apprehendit: & ideo primum principium indemonſtrabile eſt, quod non eſt ſimul affirmare & negare, quod fundatur ſupra rationem entis & non entis, & ſuper hoc principio omnia alia fundantur, ut dicitur in IV. Metaph. Sicut autem ens eſt primum, quod cadit in apprehenſione ſimpliciter, ita bonum eſt primum, quod cadit in apprehenſione practicæ rationis, quæ ordinatur ad opus. Omne enim agens agit propter finem, qui habet rationem boni: & ideo PRIMUM PRINCIPIUM IN RATIONE PRACTICA eſt, quod FUNDATUR SUPRA RATIONEM BONI, quæ eſt: Bonum eſt, quod omnia appetunt. HOC EST ergo PRIMUM PRÆCEPTUM LEGIS, quod BONUM EST FACIENDUM ET PROSEQUENDUM, ET MALUM VITANDUM: & ſuper hoc FUNDANTUR omnia alia præcepta legis naturæ, ut ſive omnia illa facienda, vel vitanda pertineant ad præcepta legis naturæ, quæ ratio practica naturaliter apprehendit eſſe bona humana.

Quia

Quia vero bonum habet rationem finis, malum autem rationem contrarii: inde eſt, quod omnia illa, ad quæ homo habet naturalem inclinationem, ratio naturaliter apprehendit ut bona, & per conſequens ut opere proſequenda, & contraria eorum ut mala & vitanda. Secundum igitur ORDINEM INCLINATIONUM NATURALIUM eſt ordo præceptorum legis naturæ. Ineſt enim primò inclinatio homini ad bonum ſecundum naturam, in qua communicat cum omnibus ſubſtantiis, prout ſcilicet quælibet ſubſtantia appetit CONSERVATIONEM SUI eſſe ſecundum ſuam naturam: & ſecundum hanc inclinationem naturalem pertinent ad legem naturalem ea, per quæ vita hominis conſervatur, & contrarium impeditur. Secundò ineſt homini inclinatio ad aliqua magis ſpecialia ſecundum naturam, in qua communicat cum cæteris animalibus, & ſecundum hoc dicuntur ea eſſe de lege naturali, quæ natura omnia animalia docuit, ut eſt commiſtio maris & fœminæ, & educatio liberorum, & ſimilia. Tertio modo ineſt homini inclinatio ad bonum ſecundum naturam rationis, quæ eſt ſibi propria: ut: homo habet naturalem inclinationem ad hoc, quod veritatem cognoſcat de Deo; & ad hoc, quod in ſocietate vivat, & ſecundum hoc ad legem natu-

naturalem pertinent, quæ ad hujuſmodi inclinationem ſpectant, utpote quod homo ignorantiam vitet, quod alios nō offendat, cum quibus debet converſari, & cætera hujuſmodi, quæ ad hoc ſpectant. Hæc *Doctor Angelicus*, ex quibus facile erit triplicis generis leges naturæ eruere. Illuſtris locus de hac triplici naturæ lege extat apud *Ambroſium in epiſt. ad Rom. c. 5. Lex naturalis*, ait, *tres habet partes, cujus prima hæc eſt, ut agnitus honoretur creator, nec ejus claritas & majeſtas alicui de creaturis deputetur. Secunda autem pars eſt moralis, h.e. ut bene vivatur, modeſtia gubernante: Congruit enim homini habenti notitiam creatoris, vitam ſuam lege frenare, ne fruſtretur agnitio. Tertia vero pars eſt docibilis, ut notitia creatoris Dei & exemplum morum cæteris tradatur, ut diſcant, quemadmodum apud Creatorem meritum collocatur.* Hæc *Ambroſius.* Non ineleganter idem trimembre naturæ jus ingenioſus vir, *Julius Cæſar Scaliger*, innuit, dum ſic canit:

Natura tribus legibus agitantia vitam,
nutu rationis luce cœlitus paratæ
vult fulta: quaſi has dedit eſſe commeatum.

NUMEN COLE SUMMUM. *Tibi prima, ultima meta hæc.*
NE PRODIGE TE, NEC TUA PRODIGE NEGLIGENDO.

NE

NE CUI FACIAS, QUÆ TIBI FACTA NON PLACERENT.

Iſtis tribus omnis capitur beatitudo.

Quam qui nihili fecerit, exibit inanis.

Conf. ea, quæ ſupra *p. 142. & ſeqq.* monuimus. Idem magnificus Dn. *Schilterus*, JCtus excellentiſſimus, ſplendide docuit in ſua *Philoſophia Juris* non ita pridem in immortale eorum, qui ſolidam Jurium omnis generis ſcientiam quærunt, ac inſignem ſtudii moralis commendationem hic loci edita; ut vel ex ſolo *cap. 1. §. 13. p. 17.* ſatis liquet. Ea igitur lex: ***Cuilibet homini quantum in ſe, colenda & conſervanda eſt pacifica ADVERSUS ALIOS ſocialitas***, directe ac per ſe attinet ſola debita hominis adverſus PROXIMUM, non item debita hominis adverſus DEUM & SEIPSUM quæ, ut quisq; videt, ad *debita ſocialitatis adverſus alios* non niſi indirecte ac per accidens referuntur. Argumentum eſto ſequens:

Quæcunque jura naturæ & locum habitura eſſent, ſi vel maxime nulla ſocialitas adverſus alios coli poſſet, & ex hoc, quod cuilibet homini quantum in ſe colenda ſit & conſervanda pacifica adverſus alios ſocialitas, directe ac per ſe inferri ac ad id reduci nequeunt, eorum fundamentum non eſt ſocialitas hominis adverſus alios, adeoque pro fundamento eorum ſocialitas haberi nequit. Atqui

Atqui debita juris naturalis, quæ homini adverſus Deum ac ſeipſum incumbunt, talia ſunt. E.

Major eſt confeſſæ veritatis apud omnes, qui terminos intelligunt.

Minor bimembris eſt, & quod prius membrum attinet, tamdiu certiſſima relinquitur, donec fatearis, nec Deum eſſe poſſe, niſi homines ſint, nec unum hominem eſſe poſſe, niſi ſimul alius ſit aliique. Hoc enim erat prius membrum, quod jura naturæ locum habitura eſſent, ſi vel maxime nulla ſocialitas adverſus alios coli poſſet. Alterutrum ergo ex his negare cogeris, aut quod quando plures homines non dantur, unus homo eſſe poſſit, aut quod ille erga ſe ac Deum, quem exiſtere admittis, recte ſe gerere poſſit. Alterum membrum, quod nempe directe ac per ſe ex hoc, quod colenda cuilibet homini adverſus alios & conſervanda ſit pacifica ſocialitas, debita hominis, quæ ipſi incumbunt adverſus ſeipſum ac Deum, (ſtudio dicitur: directe ac per ſe) inferri nequeant, tamdiu veriſſimum relinquitur, donec hujus rei periculum facias, cum maxima vero admiratione cernet quisque, cui ſolidæ doctrinæ ac demonſtrationes cordi ſunt, quibus ſtrophis & mirabilibus collectionibus opus ſit, ut id

præſtare auſis, quod nunquam feliciter præſtare poſſis.

Exceptio 1. Excipis: te quidem fateri, quod dentur ſane & officia ſeu virtutes tum adverſus Deum, tum cujuslibet adverſus ſeipſum. Verum ſimul urges, primo religionem, quatenus ad diſciplinam juris naturalis pertinet, intra ſphæram hujus vitæ terminari, adeoque hoc intuitu ad ſocialitatem referri poſſe, quatenus illa ſocietatibus hominum efficaciſſimum vinculum præbeat. *Exceptio 2.* Secundo quæ adverſus ſeipſum homini obſervanda ſunt, eundem utique ſocietati commodiorem reddere, quænam autem ſit illa morum honeſtas & innocentia, ubique & extra ſocietatem ſervanda, ſeu citra reflexionem ad alios homines te nondum diſpicere potuiſſe. Verum ad utrumque reſpondere tam facile eſt, quam quod faciliimum. *Solutio exceptionis primæ.* Nam ad primum dicendum, quod religio quidem ad ſocialitatem referri poſſit, quatenus illa ſocietatibus hominum efficaciſſimum vinculum præbet, ſed non hoc ſenſu, quaſi per hoc primo & ex ſua natura religio naturalis locum inveniat & in tantum homo ad naturale officium adverſus Deum obligetur, in quantum ea ſocietatibus hominum efficaciſſimum vinculum præbeat, ſicque ad ſocialitatem referri poſſit. Nam primo ſcias religionem, quatenus ad diſcipli-

ſciplinam juris naturalis pertinet, etiam homini citra reflexionem ad alios homines efficaciſſimum vinculum ad amorem ac conſervationem ſui ipſius præbere: quia dum amicus Dei fore ſtudes, neceſſe eſt, ut quam maxime pro viribus te imitatorem Dei in omnibus efficias ac ſimilem Deo reddas. Secundo, dum religionem doces ad ſocialitatem adverſus alios homines referri poſſe, aut hoc intellectum vis, quod primarius ac eſſentialiſſimus finis religionis naturalis ſit ſocialitas, et ſic aſſeris quod falſiſſimum, ut mox oſtendetur: aut illud intelligis, quod ſuo ac certo modo ad ſocialitatem referri poſſit, & ſic præſupponis debitum naturalis religionis, ut ſi ex duobus alterutrum eſſet eligendum, potius religio naturalis in ſe ac per ſe dicenda eſſet fundamentum ſocialitatis, quam ſocialitas fundamentum religionis, quando religio efficaciſſimum vinculum præbet ſocietatibus, æque ac *Plutarchus* religionem dicit *συνεκτικὸν ἁπάσης κοινωνίας καὶ νομοθεσίας ἔρεισμα, coagulum omnis ſocietatis & FUNDAMENTUM legislationis.* Et *Cicero, pietate ſublata*, inquit, *fides etiam ſocietatis & humani generis, & una excellentiſſima virtus juſtitia tollitur L.I. de Natura Deorum.* Idem alibi: *Juſtitiam adfert, cum cognitum habeas, quod ſit ſummi Rectoris & Domini nu-*

men. *Plato* religionem *propugnaculum ſocietatis* vocat. Eo *Ariſtoteles* quoque reſpicit *V. de Republica c. 11.* dum ſcribit: *Minus populus timebit injuſte tractari ab imperantibus, quos religioſos credit*, ſicque magis colet & conſervabit ſocialitatem. Ita huc refer, quod optime dixit *Auguſtinus Ep. 15. nihil homines tam inſociabiles reddit vita perverſitate, quam illorum Deorum imitatio, quales deſcribuntur & commendantur literis eorum.* Tertio falleris egregie dum religionem, quatenus ad diſciplinam juris naturalis pertinet, intra ſphæram hujus vitæ terminari aſſeris ipſamque adeo pietatem, ad quam jure naturæ obligamur, decempeda ſocialitatis adverſus alios homines metiris. Maxime vero falleris, dum metuis novam religionem ſurgere, quæ citra operam Salvatoris noſtri ex ſola illa notitia circa cultum DEI, quam in hac conditione ex rationis lumine haurimus, ſalutem æternam conferat. Nam antiquiſſima religio eſt & fuit, quæ citra operam Salvatoris noſtri ex ſola illa notitia circa cultum Dei, quæ ex rationis lumine hauriri poterat, ſalutem æternam confert. Placet verbis maximi Theologi, *Dn. D. Johannis Muſæi* id efferre, qui inſigni *Diſſertatione Theologica de quæſtione: An ductu luminis naturæ ſive principiorum rationis homo ad ſalutem æternam pertingere*

gere poſſit? §. 29. ſic diſſerit: *Si homo peccati expers, & viribus adhuc integris eſſet, lumen naturæ, & qui ejus ductu inveſtigari poteſt, divinum cultum ſufficere poſſe ad ſalutem, forſan haud temere quis aſſeruerit. Præterquam enim quod lumen intellectus tum multo perfectius, quam nunc eſt, futurum, & in cognitione Dei cultusque divini multo longius, quam nunc progredi poteſt, progreſſurum eſſet; hominem etiam, a labe peccati purum, gratia divina excludere, Deove exoſum reddere nihil poſſet: cui in gratuitum obedientiæ & conſtantiæ præmium tandem vitam æternam Deus, pro ſua immenſa bonitate, haud dubie largiturus eſſet.* Hæc laudatiſſimus Theologus. Quibus ſtantibus, utique is, qui religionem naturalem ſeu quatenus ad diſciplinam juris naturalis pertinet, intra ſphæram hujus vitæ terminari negat, non novam religionem exſurgere facit, quæ citra operam Salvatoris noſtri ex ſola illa notitia circa cultum Dei, quam in hac conditione ex rationis lumine haurimus, ſalutem æternam conferat, ſed aſſerit veram ac antiquiſſimam religionem. Nam quod antiquiſſima illa religio, quæ citra operam Salvatoris noſtri ex ſola notitia circa cultum Dei, quam ex rationis lumine haurimus, ſalutem æternam nemini noſtrum in hac conditione, hoc eſt, pro ſtatu naturæ

noſtræ corruptæ afferat, hoc plane per accidens ſe habet ad religionem, quatenus ad juris naturalis diſciplinam per ſe pertinet. Nam *cultus* (iterum verba ſunt *Dn. D. Muſæi* §. 30. laudatiſſimæ *diſſertationis*) *Deo ab hominibus* (in hac conditione, ſcilicet in ſtatu naturæ corruptæ) *peccatoribus debiti pars prima ac potiſſima conſtituenda eſt in ſatisfactione pro peccatis valida & ſufficiente. Niſi enim per præſtitam ſatisfactionem placata fuerit ejus ira, nosque ipſi ſimus reconciliati, reliqvus cultus, utut ex lumine naturæ cognitus præſcriptusque, ei vel non deferri, vel non absque hypocriſi deferri poterit. Non deferri poteſt ipſi cultus interior in dilectionis, fiduciæ, ſpei, aliisque id generis actibus conſtitutus, quippe qui ſuapte natura reſpicit Deum, ut homini propitium cognitum, nec cadere poteſt in peccatores, niſi poſtquam Deo reconciliati ſunt. Quomodo enim Deum ſuper omnia diligeret is, qui ei ſe exoſum & abominabilem eſſe, ex peccatorum non expiatorum morſu ſentit, & quem ſua ſe accuſante & damnante conſcientia, velut judicem ſeverum ſerviliter timet & fugit? Qua fiducia is in Deo ſe erigeret, quem ſcelerum patratorum ſua convincit conſcientia, ſenſusque iræ divinæ cruciat & angit? Non absque hypocriſi deferri Deo poteſt cultus, in exterioribus ſive invocationis ſive laudis & gratiarum*

tiarum actionis aliisve in ſenſus incurrentibus actibus poſitus. Anima enim Deo nondum reconciliata, nec fide & caritate donata; hypocritica ſunt exteriora ſolennia omnia, quæ cultus divini cauſa peraguntur. Quæ autem ſatisfactio offenſo peccatis iratoque Deo ad placandam ejus iram exhiberi poſſit aut debeat, hoc ex rationis lumine hauriri nullatenus poteſt, cum humana ratio neque ex communi Dei providentia, nec ex ulla alia re argumenta deſumere poſſit, quibus id ullo modo doceat, ceu per maximam *diſſertationis* iſtius partem commendatiſſimus *Muſæus* graviſſime demonſtratum ivit. Non ergo ſic debebas inferre: Si religio, quatenus ad diſciplinam juris naturalis pertinet, intra ſphæram hujus vitæ non terminatur, ſequitur, quod nova jam religio ſurgat, quæ citra operam Salvatoris noſtri ex ſola illa notitia circa cultum Dei, quam in hac conditione ex rationis lumine haurimus, ſalutem æternam conferat. Nam quod nihil minus, quam hoc ſequatur, vel leviter ſolidioris doctrinæ fundamentis imbutus videt. Hoc ſaltim ſequitur, & nihil profecto aliud: Si religio, quatenus ad diſciplinam juris naturalis pertinet, intra ſphæram hujus vitæ non terminatur, ſequitur, quod nulla plane religio ſurgat aut poſſit ſurgere, quæ citra ope-

ram Salvatoris noſtri ex ſola illa notitia, circa cultum DEI, quam in hac conditione ex rationis lumine haurimus, ſalutem æternam conferat aut conferre poſſit. Et hoc quod jam diximus ſequi, omnino veriſſimum eſt. At veriſſimum quoq; manet, quod religio, quatenus ad diſciplinam juris naturalis pertinet, æternam vitam ac felicitatem hominis pro eſſentialiſſimo ac primario fine habeat, adeoque falſum manet, quod religio quatenus ad diſciplinam juris naturalis pertinet, intra ſphæram hujus vitæ terminetur. Nam ſi denuo regeras, tibi ſermonem eſſe de homine in hac conditione, id eſt in ſtatu naturæ corruptæ, hujusque ſcientiam de naturali religione intra ſphæram hujus vitæ terminari, quæſo videas, num ſic ſcias concretum ab abſtracto ſatis diſcernere, idque, quod per accidens tale eſt, ab eo, quod tale eſt per ſe. Operæ pretium cenſeo, afferre integrum & elegantem *Dn. D. Muſæi* locum, excerptum ex *Introductionis in Theologiam cap. 2. §. 6.* quia certi ſumus, eum ſe omnibus valde probaturum eſſe, ut videlicet inde ſolida reſponſio ad ea, quæ modo objecta & adverſus veram ſententiam excepta ſunt, peti a quovis poſſit facillime. *Dicat quis:* (verba ipſius ſunt) *Theologiæ naturalis ope & adminiculo beatitudinem nemo conſequi poteſt. Ergo beatitudo ho-*
minis

minis non eſt ejus finis ultimus. Ut enim fruſtra eſt potentia, quæ non traducitur in actum, ita & ſcientia, cujus finis per eam obtinere non poteſt, fruſtra eſt. Deus autem & natura nihil faciunt fruſtra. Reſp. antecedens non eſſe univerſaliter verum de homine, in quocunque ejus ſtatu ſpectato. In ſtatu primævo enim, cum peccatum & mors nondum eſſet, poterat homo Theologiæ naturalis ope & adminiculo beatitudinem conſequi. Poterat enim, ejus ductu, ad tantam pertingere cognitionem Dei cultusque divini, quanta ad conſequendam, ejus gratia & dono, beatitudinem neceſſaria erat: Pollebat etiam viribus integris & perfectis ad cultum obſequiumque DEO debitum absque defectu peccatoque præſtandum. Quod autem nunc in ſtatu peccati nemo Theologiæ naturalis ope & adminiculo ad beatitudinem pertingit, per accidens eſt & primorum parentum culpa fit, qua & ſibi & ſuæ poſteritati toti perdiderunt vires ſibi concreatas, cum ad Deum recte cognoſcendum, tum ad eundem ſuper omnia diligendum ſincereque colendum, & contra contraxerunt cum ſibi tum poſteris ſuis, ex parte intellectus quidem tenebras denſiſſimas; ex parte voluntatis autem perverſam in nullum non malum pronitatem. Non autem fruſtra eſt potentia, quæ per accidens & hominum culpa in actum non traducitur. Neque eſt, quod quis exci-

T 5 *piat,*

piat, aliam fuiſſe Theologiam naturalem in ſtatu hominis integro, aliam eſſe nunc ejuſdem in ſtatu corrupto. Illius finem ultimum fuiſſe hominis beatitudinem, hujus non eſſe. Non, inquam, eſt, quod ſic quis excipiat, quamvis enim non inficiemur Theologiam naturalem nunc in ſtatu hominis corrupto multum differre a Theologia naturali in ſtatu ejuſdem primævo & integro, negamus tamen ſpecie alteram ab altera differre, ſed quicquid diſcriminis inter utrumque intercedit, id totum concernere videtur gradus perfectionis & imperfectionis intra latitudinem ejuſdem ſpeciei contentæ. Notiones communes enim de DEO ejuſque cultu, quæ nunc mentibus hominum natura inſunt, non ſpecie diverſæ ſunt a communibus de iisdem notionibus, quæ in homine primo vi concreatæ imaginis divinæ exiſtebant. Neque quæ ex rebus creatis hodie per diſcurſum acquiritur ſcientia de Deo ejuſque perfectionibus eſſentialibus, ſpecie differt ab illa, quam in ſtatu integritatis protoplaſti ex iisdem ſibi comparare poterant & comparabunt, quamvis ratione perfectionis hæc illam longo poſt ſe intervallo relinqueret. Quæ autem ſcientiæ ejuſdem ſunt ſpeciei, illarum etiam idem ſpecie finis eſt, utut altera finem ſuum conſequatur; altera eodem excidat. Hoc enim provenit partim ex inæquali illarum perfectione, quod quæ ad conſequendum finem

finem cognitu neceſſaria ſunt, una doceat perfectius quam altera, ut modo dictum, partim ex diverſitate ſubjectorum, quod una occupetur circa hominem, qui integris gaudebat viribus ad cognoſcendum agendumque pro eo ac oportebat, quæcunque de Deo ejusque cultu illa ſive cognoſcenda ſive agenda præſcribebat. Altera vero occupetur circa hominem, peccato corruptum, & qui viribus bonis ad eadem, quæ de Deo ejusque cultu ipſa cum cognoſcenda tum agenda præſcribit, pro eo ac oportet, cognoſcenda ac facienda prorſus destituitur, & Deum, luminis naturæ ductu, nec cognoſcere recte, nec quæ ad ejus cultum pertinent, ſicut oportet, præſtare poteſt. Quod, uti patet, plane per accidens eſt. Adduximus hunc locum, quia utut abhinc triennium publicis typis exſcriptus ſit, novimus tamen in paucorum adhuc manibus eſſe. Pluribus & pro re nata ea de re differit eamque integro *ſecundo Introductionis cap.* quod totum de *Theologia naturali* agit, deducit Vir ad commoda publica rei literariæ natus, quæ huc tranſcribere ſuperſedemus. Et tantum paulo prolixius dixiſſe ſufficiat, ut eliminaretur illud aſſertum, quaſi religio, quatenus ad diſciplinam juris naturalis pertinet, intra ſphæram hujus vitæ terminetur. Supponimus hoc tanquam notiſſimum & in quod omnes conſentiunt, quod

quod videlicet diſciplinæ juris naturalis in ſe ac per ſe finis ſit & dici poſſit ac debeat beatitudo: etiam hoc facile evincere poſſumus, quod veræ beatitudinis nomine nihil cenſeri queat, niſi illud, quod ſiſtere valet appetitum, ei ſatisfacere, eundem pulcherrima ſui fruitione occupatum detinere inque appetitione ſua ſatiare: quomodo ergo religio, quatenus ad diſciplinam juris naturalis per ſe pertinet, intra vitæ hujus ſphæram terminabitur. Appetitus rationalis hominis objective infinitus eſt, ut in *Scholis* loquimur: Ergo finito ſatiari nequit: æternus eſt ac immortalis; ergo nec mortale ac temporarium eum ſatiabit. Et licet citra operam Salvatoris noſtri ex religione, quatenus ad diſciplinam juris naturalis pertinet, in hac conditione, hoc eſt in naturæ noſtræ corruptæ ſtatu, ſalvari nequeamus, illud tamen, ut jam pluribus oſtenſum eſt, non tollit finem religionis naturalis per ſe: nam religioni, quatenus ad diſciplinam juris naturalis pertinet, non magis imputare potes, quod citra operam Salvatoris noſtri nemo ſalvetur, quam arti ſutoriæ imputas, quod ſomno vinoque ſepultus ſutor eam exercere nequeat. Si homo manſiſſet ſemper juſtus, ſic redemtore non opus habuiſſet, ſi ſemper ſanctus, non indiguiſſet ſanctificatore. Totus ergo diſcur-

curſus huc redit: Sine quo juxta religio-
nis naturalis ductum homo in gratuitum
obedientiæ & conſtantiæ præmium ad æ-
ternam vitam pertingere potuiſſet, illud
quando ad ſalutem æternam hominis jam
neceſſarium eſt, non niſi per accidens &
ex parte hominis lapſi, non ex parte na-
turalis religionis neceſſarium eſt. Atqui
ſine opera Salvatoris noſtri, ejusque paſ-
ſione & morte, homo juxta religionis na-
turalis ductum in gratuitum obedientiæ
& conſtantiæ præmium ad æternam vitam
pertingere potuiſſet. E.

Ad poſterius, quod *pag. 290. lin. 6.* notaba-
tur, quaſi ab aliquo excipi potuerit, ſe non-
dum diſpicere potuiſſe, quænam ſit illa
morum honeſtas & innocentia, ubique &
extra ſocietatem ſervanda ſeu citra refle-
xionem ad alios homines, ad hoc ſufficit,
quod omnes Viri eruditi id diſpiciant, &
dudum diſpexerint. Præclare *Ariſtoteles
I. Rhet. c. 13. Eſt quoddam quod augurantur omnes, natura commune juſtum, & injuſtum, etiamſi nulla ſocietas invicem ſit, nullaque pactio.* Excipis iterum: diſtinguen- *Exceptio.*
dum eſſe inter ſocialitatem, quæ termina-
tur in illis, qui peculiari nobiscum ſocie-
tate juncti ſunt, & inter illam ſocialitatem,
quæ ad omnes omnino homines porrigi-
tur: quaſi dicere velles, ſi leges univerſa-
lis iſtius ſocialitatis non eſſent, naturali-

Exceptionis ſolutio. ter juſtum & injuſtum non eſſet. Verum ad hoc etiam reſpondetur, hac diſtinctione difficultatem nequaquam tolli, quia etiamſi leges univerſalis iſtius ſocietatis non eſſent, tamen lex quædam naturæ eſſet. Illuſtria verba ſunt, quæ *Dn. Ericus Mauritius*, inſignis JCtus, *in ſpecimine diſſertationum de Principiis Juris Publici c. 4. ſect. 3. §. 32. p. 86.* profert apprime præſens negotium conficientia: *Si nullum*, ait, *ſit naturæ jus, niſi in reſpectu ad ſocietatem humanam, quid fiet de eo tempore, quo Adamus ſolus, ante productos alios homines, vixit? ſane nullis Naturæ legibus obſtrictum fuiſſe, ſecundum hanc ſententiam dicendum fuerit, atque adeo integrum illi per hanc opinionem relinquitur, illo quidem tempore, colere Deum, vel non colere, patrare fœda alia, vel non patrare, quod abſurdum eſſe nemo non facile videt. Sed & eadem ratio fuerit hominis remoti a ſocietate humana, quales eſſe poſſunt Eremitæ, deportati in inſulas inhabitabiles &c. & illi enim hoc dogmate, Jure Naturæ ſolvuntur. Atqui certum tamen eſt, illos & ad colendum Deum teneri, & ad vitanda quæ dedecent humanam Naturam. Non ergo a ſola ſocietate humana vis legum Naturæ dependet, neque eo ſolum refertur, ſed vel Deum reſpicit, vel proximum & ſocietatem, vel ſeipſum, & Naturam humanam, quod erudite obſervat Alexander*

xander Turaminus ad rubric. de legibus lib. 1. c. 4. n. 12.

II. Quocunque aſſerto intra idem diſciplinæ genus prius datur, hoc non eſt maxime genuinum & proprium fundamentum legis naturæ. ARG. II.

Atqui hoc aſſerto: cuilibet homini, quantum in ſe, colendam & conſervandam eſſe pacificam adverſus alios ſocialitatem, intra juris naturalis diſciplinam prius datur. E.

Hoc aſſertum: Cuilibet homini, quantum in ſe, colendam & conſervandam eſſe pacificam adverſus alios ſocialitatem, non eſt maxime genuinum & proprium fundamentum legis naturæ.

Major propoſitio eſt per ſe manifeſta. Nam uti fundamento in architectura reliqua omnia ſuperſtruuntur, ipſumque non eſt pars ſtructuræ: eſſet vero pars ſtructuræ, ſi fundaretur; ita fundamentalis lex naturæ maximeque proprium ac genuinum fundamentum diſciplinæ juris naturalis oportet primum eſſe reliquisque omnibus ſubſtratum, quia ſi alii quaſi ſuperſtrueretur, ſic non eſſet fundamentum, ſed fundatum.

Minor probatur, quia ſocialitatem pacificam adverſus omnes homines colere & conſervare eſt cuilibet homini ſuum tri-

bu-

buere: ſuum autem cuilibet tribuere eſt per ſe ac ſuapte natura honeſtum, & hoc demum eſt maxime genuinum ac primum fundamentum, cui ut cætera omnia, ita & debitum ſocialitatis ſuperſtruitur.

ARG. III. III. Absque quo diſciplina Juris Naturalis bonam ac præcipuam partem locum invenit, illud non eſt maxime genuinum & proprium fundamentum Juris Naturalis.

Absque lege univerſalis ſocialitatis adverſus alios diſciplina Juris Naturalis bonam ac præcipuam partem locum invenit. E.

Lex univerſalis ſocialitatis non eſt maxime genuinum & proprium fundamentum Juris Naturalis.

Major liquet, quia maxime genuino ac proprio fundamento rei ſublato quicquid ſuperſtructum eſt ſponte corruit. Et quale eſſet fundamentum illud, absque quo id, cujus fundamentum eſt, poſſet ſubſiſtere?

Minor probatur, quia præcipua ſeu præſtantiſſima pars diſciplinæ juris naturalis eſt de debito pietatis ac religionis. Unde ipſe Chriſtus *Matth. XXII. 38.* primum ac maximum præceptum legis vocat præceptum de dilectione Dei. Quaſi vero non poſſes recte erga Deum te gerere, eumque, ut lex naturæ præcipit, colere, ſi ſolus

ſolus in rerum univerſitate ſupereſſes. Agit quoque notabilis pars diſciplinæ juris naturalis de debito conſervationis ſui ipſius ac innocentiæ adverſus ſeipſum: nam quæ ſit illa morum honeſtas & innocentia ubique & extra ſocietatem ſervanda, ſeu citra reflexionem ad alios homines, de hoc uberius diſpiciemus ſequenti *L. II. c. 1.*

Exceptio. Excipis: quaſi vero repugnet obligationem in altero exiſtere, antequam exiſtat objectum, in quod illa exerceri poſſit. Reſp.

Solutio. accurate philoſophando obligationem illam, ut *Grotii* ſtylo uamur, tamdiu eſſe in pendenti efficacia, *L. II. c. 11. §. 8. n. 2.* quia tum obligatio intelligitur ſub conditione, ſi objectum exiſtat, in quod illa exerceri poſſit. Itaque ſi unus homo in orbe terrarum eſſet, vel unus quaſi ſolus in orbis angulo vivere neceſſum haberet, abſolute loquendo non eſſet obligatus, ſi fundamentum diſciplinæ juris naturalis ſocialitas adverſus alios poneretur, quod tamen abſurdum.

§. 3. Neque vero obſcurum eſſe poteſt, quid reſpondendum ſit ad argumenta in contrarium allata.

RESP. AD ARG. I. Ad I. reſpondetur 1. negando propoſitionem majorem. Docere, quidnam primo ac per ſe felicitatem hominis promoveat hominique neceſſarium ſit, ut ſalvus

U ſit,

ſit, non eſt idem ac maxime genuinum ac proprium fundamentum diſciplinæ juris naturalis tradere. Tota enim doctrina de iis, quæ primo ac per ſe hominis felicitatem promovent ſeu neceſſaria homini ſunt, ut ſalvus ſit, præſupponit fundamentum ſuum. 2. Profecto uti homini, ut ſalvus ſit, neceſſarium eſt, ut ſit ſociabilis, id eſt, ut conjungi cum ſui ſimilibus velit, & adverſus illos ita ſe gerat, ut ne iſti anſam accipiant eum lædendi, ſed potius rationem habeant ejusdem commoda ſervandi, aut promovendi: ita ei quoque, ut ſalvus ſit, neceſſarium eſt, ut ſeipſum conſervare animumque ſuum honeſtis moribus perficere ſtudeat, & quod præcipuum, ut Deum colat. Obiter etiam hoc addimus, dum fundamentum legis naturalis inquiris, ſimulq; iſtud ex hac obſervatione exſtruere conaris, quod homo ſit animal ſæpe malitioſum, petulans, & facile irritabile, ac ad noxam inferendam promptum, ſic 1. ſupponis legem naturalem: ubi enim non eſt lex, ibi nec transgreſſio, adeoque nec malitia nec petulantia. 2. quia ſtatus naturæ corruptæ, adeoque malitia & petulantia hominum plane per accidens ſe habet ad diſciplinam juris naturalis, cujus fundamentum perſtaret ipſaque diſciplina juris naturalis vigeret, ſi vel maxime nullus homo eſſet malitioſus, petulans,

lans, facile irritabilis, ac ad noxam inferendam promptus, unde minus feliciter ex eo, quod prorſus per accidens eſt, obſervationes fundamentales extruuntur.

Ad II. reſpondetur 1. negando minorem, quod nempe nullum aliud principium deprehendatur, ad quod admittendum ipſa mortalium conditione ſuffragante adigi poſſint omnes homines, quamcunque demum circa divina perſuaſionem habeant. Nam omnino aliud principium deprehendere licet, ceu tota præcedenti quæſtione indicavimus. 2. Circa majorem hoc monere viſum, quod nihil periculoſius ſit, quam ſolidum fundamentum univerſi juris naturalis ponere velle, ad quod admittendum adigi poſſint omnes homines, ſua cuivis circa divina perſuaſione relicta, cum ſane præcipua juris naturalis pars ſit jus naturalis religionis, ut niſi vanas, frivolas ac impias circa divina perſuaſiones atheis ac fanaticis adimas prius, ad nullum juris naturalis principium admittendum ejusmodi homines poſſis adigere. *Pietate enim ſublata* (ut rectiſſime *Cicero* inquit) *fides etiam & ſocietas humani generis, & una excellentiſſima virtus juſtitia tollitur.* Et *Lactantius L. de ira Dei c. 1. Religioni*, ait, *eſt propria juſtitia.* Quando conditionis mortalium men- REPS. AD ARG. II.

tio fiebat, ſi corruptæ naturæ ſtatum reſpicias, id reſpicis, quod tota juris naturalis diſciplina poſterius eſt & plane per accidens ſe habet ad eam, ut modo diximus.

Resp. ad Arg. III. Ad III. reſpondetur, adeo lubricam eſſe propoſitionem majorem, ut qui ea utitur, ſi vel maxime ſententia ſua cadat, ſemper adhuc habeat, quo imperitioribus fucum faciat, & acceptione termini illos in nugarum ſuarum retia trahere poſſit. Nam fundamentum diſciplinæ dici poſſe primariam propoſitionem, largimur facile, ſed non ſufficit ad fundamentum, ut ſit primaria propoſitio in illa diſciplina, cujus fundamentum dicitur, requiritur amplius, ut ſit quoque in illa diſciplina omnium prima propoſitio. Quippe differunt inter ſe primaria propoſitio & prima propoſitio, poteſt enim aliqua propoſitio eſſe primaria, hoc eſt, notatu digniſſima propoſitio in aliqua diſciplina, & a cujus notitia ac ignorantia aliarum in illa diſciplina ſcitu neceſſariarum propoſitionum notitia ac ignorantia pendent, ut tamen id propter illa propoſitio, quæ ſic primaria vocatur, nondum ſit prima, ſed adhuc ex alia propoſitione per unam aut plures conſequentias ſolide ac ſcientifice deduci poſſit. Si ergo ita ſumas vocem *primaria*, ut perinde tibi ſit, ſive illa propoſitio ſimul ſit prima,

ma, ſive minime, ſic poteſt propoſitio eſſe primaria in diſciplina juris naturalis extructa ex obſervationibus a natura rerum & hominum petitis, ſub qua cæteræ propoſitiones facile poſſint ſubſumi, & in eandem reſolvi; (cæteræ ſcilicet, quæ ſub ea ſubſumi poſſunt & in eandem reſolvi,) ut tamen illa propoſitio non ſit fundamentum, quia nondum ſtatim prima eſt, ſed adhuc fieri poteſt, ut ſicut ſub hac propoſitione aliæ facile ſubſumi & in eandem reſolvi poterant, hæc quoque ſub alia aut aliis propoſitionibus ſubſumi & in eas reſolvi poſſit. Quod ſi vero vocem *primaria* ſic ſumas, ut ſimul idem ſignificet quod prima, ſic negamus & pernegamus, quod in diſciplina Juris Naturalis hæc propoſitio: *Colenda cuilibet homini, quantum in ſe, & conſervanda eſt pacifica adverſus alios ſocialitas,* ſit omnium prima, cum in aliam propoſitionem, ceu ſupra oſtendimus, omnino reſolvi & ſub ea ſubſumi facile poſſit. Et hic nihil certe habes, quo tuam opinionem amplius palliare poſſis, niſi omne ſolatium ac præſidium quæras in miſera inter fundamentum fundans & fundamentum fundatum diſtinctiuncula. Fundamentum (ut ſupra monebamus) juxta architectonicos neque eſt ſtructuræ pars, nec poteſt fundari, (nam uti menſura non menſuratur, ita fundamentum non

fundatur, at fundaretur, ſi eſſet ſtructuræ pars) ſed aliis ſedem præbet: jam vero fundamentum fundatum aut eſt ſtructuræ pars, & ſic prorſus non eſt fundamentum: aut non eſt, & ſic non eſt fundamentum fundatum, quod abſurdum. Imo hoc jure, quo fundamentum diceres hanc propoſitionem: *Cuilibet homini, quantum in ſe, colenda ſocialitas eſt adverſus alios homines*, dici quoque fundamentum poſſet hæc propoſitio: Conſerva te ipſum, item hæc: Cole Deum, & ſic vel hoc abſurdum teneberis admittere, quod unius ejusdemq; diſciplinæ plura abſolute ſic dicta & ab invicem plane diſcrepantia fundamenta dari poſſint, vel concedendum eſſet; quod hæc omnia tandem ad unum revocari poſſint. Si prius, ſic una diſciplina non erit una. Si poſterius, ſic fundamentum non erit fundamentum, quia dabitur fundamenti fundamentum. Si tandem ab eo tuæ aſſertionis patrocinium quæras, quod ſocialitas adverſus Deum & conſervatio tui ipſius referri poſſit ad tuam fundamentalem legem, in quantum cultus Dei & conſervatio ſui ipſius ad ſocialitatem facit: Sic pari jure de conſervatione ſui ipſius dici poteſt, quod faciat ad cultum Dei & ſocialitatem adverſus alios, item de cultu Dei, quod faciat ad conſervationem tui ipſius & ſocialitatem adver-

ſus

ſus alios. Quæ omnia indirecte & per accidens ſic ſe habent.

§. 4. Occaſionem hujus quæſtionis hauſimus ex *Grotii* §. 12. n. 1. quia ibi mentionem facit *convenientiæ aut diſconvenientiæ neceſſariæ cum natura* SOCIALI, quam convenientiam ac diſconvenientiam moralem neceſſitatem ac turpitudinem vocat. Magis vero ex iis, quæ contra *Grotium* ſcribebantur. OCCASIO QUÆSTIONIS.

Quæſtio VI.

An præter Jus Naturale, quo omnes homines & ſic quoque omnes gentes, quia ſunt homines, obligantur, detur peculiare Jus Gentium poſitivum ac voluntarium?

§. 1.

Multis Jus Naturæ & Jus Gentium in ſe unum & idem habetur, quod extrinſeca duntaxat denominatione differat. Inde & naturalem legem dividunt in naturalem hominum, & in naturalem civitatum, quam vulgo Jus Gentium appellant. Præcepta utriusque eadem eſſe volunt, ſed quia civitates ſemel inſtitutæ induunt pro- PRO NEGANTE SENTENTIA.

 prieta-

Digitized by Google

prietates hominum perſonales legem, quam loquentes de hominum ſingulorum officio naturalem dicunt, applicatam totis civitatibus, nationibus ſive gentibus vocant Jus Gentium. Huic ſententiæ ut plane ſubſcriberes, videbantur ſequentia evincere argumenta:

ARG. I. I. Quibuscunque deeſt ſuperior, a quo lege ſtringantur, illis jus voluntarium ſeu poſitivum, quod quidem legis proprie dictæ vim habeat, attribui nequit.

Atqui Gentibus deeſt ſuperior, a quo lege ſtringantur. E.

Gentibus jus voluntarium ſeu poſitivum, quod quidem legis proprie dictæ vim habeat, attribui nequit, ſeu, quod idem eſt, non datur peculiare Jus Gentium poſitivum ac voluntarium.

Major videtur ſatis manifeſta, quia qui lege ſtringitur, ſeu obligatur, aut obligatur a ſuperiori, aut ſi dantur actus ex ſua natura morales, obligatur ex natura rei.

Minor eſt manifeſta, quia nemo gentibus eſt ſuperior præter Deum, de eo vero jam nulla quæſtio eſt: an Deus omnibus gentibus legem dare poſſit proprie dictam, naturalique legi plane contradiſtinctam? quo de nullum dubium eſt, quin

ea

ea dari poſſet. An unquam data fuerit, ſupra *p. 75. & ſeqq.* quodammodo vidimus. Et qui volunt cum *Grotio* noſtro toti humano generi leges a DEO datas, non tamen eas datas credunt toti humano generi ut diviſis gentibus. Cæterum quod præter Deum nemo gentibus ſit ſuperior, res liquida eſt. Nam cuivis genti ſumma ac plena poteſtas competit, ſuntque inter ſe æquales, ut quantum gens maxima poteſt, tantum minima poſſit.

II. Cujuscunque juris voluntarii ac poſitivi transgreſſio non eſt malitia, ſed imperitia, non iniquitas, ſed ruditas, illud non habet vim proprie dictæ legis. ARG. II.

Juris gentium, ut juri naturali prorſus contradiſtinguitur, transgreſſio non eſt malitia, ſed imperitia, non iniquitas, ſed ruditas. E.

Jus gentium, ut juri naturali prorſus contradiſtinguitur, non habet vim proprie dictæ legis.

Major veriſſima apparet, quia legis proprie dictæ transgreſſio malitiam ac iniquitatem arguit.

Minor probatur, quia apud multos vocabulo juris gentium venire ſolent conſuetudines inter plerasque gentes, ſaltem quæ cultiorum & humaniorum famam ſibi vendicant potiſſimum circa bel-

lum tacito quodam conſenſu uſurpari ſolitæ. Poſtquam enim etiam cultiores inter gentes maximum fuit decus habitum, bello gloriam quærere, id eſt, in eo præſtantiam ſuam præ cæteris hominibus oſtendere, quod quis multos homines auderet & dextre calleret perdere, adeoque in bella non neceſſaria, aut injuſta vulgo eſt procurſum : ne ambitionem ſuam invidiæ nimis exponerent magni bellatores, uſurpata omni licentia juſti belli humanitatis, & magnanimitatis quadam ſpecie bellorum atrocitatem temperare multis populis eſt viſum, unde ortæ conſuetudines circa exemtiones rerum & perſonarum a vi bellica, modum nocendi hoſtibus, modum tractandi captivos, & ſimilia. Quæ conſuetudines licet videantur continere obligationem ex pacto ſaltem tacito ortam, tamen ſi legitimum bellum gerens eas neglexerit, modo contrarium earundem per jus naturæ recte fieri poſſit, nullius alterius peccati arguetur, quam cujusdam ruditatis ; quod quis ſeſe ad numeros velut eorum non compoſuerit, queis bellum inter artes liberales habetur. Non ſecus atque imperitiæ inter gladiatores accuſatur, qui alterum non juxta regulas artis vulneraverit. Igitur ſi quis juſta gerit bella ſolo naturæ jure, neglectis illis conſuetudinibus, ea poteſt gerere;

rere; ni forte ob commodum aliquod ſuum easdem malit obſervare. Aſt qui injuſtis graſſatur bellis, vel ideo illas recte ſequitur, ut ſaltem cum aliquo temperamento ſceleſtus ſit. Quod autem inter juris gentium voluntarii præcipua capita numeratur jus legationum, videri poterat ipſo jure naturæ legatos eſſe inviolabiles etiam apud hoſtem, ſiquidem ſpeciem legatorum, non ſpeculatorum præ ſe ferant; quamdiu in eum, ad quem miſſi ſunt, hoſtilia non moliuntur; & ſi fors ordinario modo per tractatus Domini ſui commodum præ alterius commodo quærant. Cum enim ejusmodi perſonæ ſint neceſſariæ ad pacem conciliandam, ſervandam, aut arctius per fœdera & pacta adſtringendam, quam ipſum jus naturæ omnibus modis honeſtis amplecti jubet; utique & caviſſe jubetur idem jus ſecuritati perſonarum, ſine quibus finis ab eodem præceptus obtineri nequit. At vero quæ alia vulgo legatis tribuuntur privilegia, iis præſertim, qui magis ad expiſcanda alterius rei publicæ ſecreta, quam pacis gratia, in aliquo loco hærent; illa ex mera ejus, ad quem mittuntur, indulgentia dependent, adeoque ſi commodum videatur, citra violationem ullius juris denegari ipſis poſſunt; ſi modo is pati velit, ut ſui quoque pari modo tractentur. Jus quoque ſepulturæ,

quod

quod itidem peculiare caput juris gentium apud *Grotium* videtur facere, ad officia humanitatis referri poteſt. Neque cætera tanta ſunt, ut peculiarem juris ſpeciem conſtituere debeant.

Arg. III. III. Si unius pluriumve gentium voluntate jus gentium voluntarium ac poſitivum proprie ſic dictum jurique naturali contradiſtinctum vim obligandi accepit, aut accepit eam unius pluriumve gentium ceu æqualium, aut unius pluriumve gentium ceu inæqualium voluntate.

Neutrum dici poteſt. E.

Non datur jus gentium voluntarium ac poſitivum proprie ſic dictum, jurique naturali contradiſtinctum.

Major probatur, quia tertium inter hæc duo dari nequit.

Prius locum habere nequit, quia æqualis æqualem obligare non valet. Nec poſterius invenit, quia gentes ſunt inter ſe æquales, habent enim omnes æqualem poteſtatem civilem, nempe ſummam ac plenam.

Arg. IV. IV. Si datur jus gentium poſitivum proprie ſic dictum quodque ex gentium voluntate originem ducit, aut pendet a conſenſu gentium expreſſo, aut a tacito.

Neutrum aſſeri poteſt. E.

Non

Non datur jus gentium poſitivum proprie ſic dictum quodque ex gentium voluntate originem ducit.

Conſequentia eſt prona & facilis.

Non poteſt doceri expreſſus conſenſus, quia locus fingi nequit, in quo omnes omnino gentes conveniſſent. Eſto: quo ſermone uſi fuiſſent?

Tacitum conſenſum ſi adeſſe putes, unde eum præſumeres, niſi ex jure naturali, adeoque illud jus gentium, quod ex præſumtione juris naturalis eſſet, non ſatis juri naturali contradiſtingueretur.

V. Omne jus voluntarium ac poſitivum proprie ſic dictum & ex voluntate humana originem trahens poteſt dari invitis. ARG. V.

Nullum jus gentium ex voluntate humana originem trahens poteſt dari gentibus invitis. E.

Nullum jus gentium ex voluntate humana originem trahens eſt jus voluntarium ac poſitivum proprie ſic dictum.

Major probatur, quia lex eſt oratio vim cogendi habens, ergo coacto adeoque invito dari poteſt.

Minor patet: quæ enim humana voluntas poſſet gentes ut gentes cogere?

VI. Omne jus voluntarium proprie ſic dictum jubetur. ARG. VI.

Jus

Jus gentium naturali juri contradiſtinctum non jubetur. E.

Jus gentium naturali juri contradiſtinctum non eſt jus voluntarium proprie ſic dictum.

Major probatur, quia de ratione legis poſitivæ eſt, ut jubeatur, atque ita a ſolius jubentis voluntate eſſe ſuum habet & obligandi facultatem.

Minor eſt manifeſta, quia gentibus, utpote ſupremis, non poteſt juberi. Idem fatentur gentium juris Conſultiſſimi & crebro inculcant, nullius juſſui debere originem.

ARG. VII. VII. Quodcunque eſt merum pactum, non eſt jus voluntarium ac poſitivum proprie ſic dictum.

Jus gentium juri naturali contradiſtinctum eſt merum pactum. E.

Jus gentium juri naturali contradiſtinctum non eſt jus voluntarium ac poſitivum proprie ſic dictum.

Major probatur, quia alias omnia omnium pacta, quibus ſe privati ſibi invicem obligant, leges quoque dici poſſent, cum utrobique par ratio ſit.

ARGUM. VIII. VIII. Omne jus voluntarium proprie ſic dictum in certa aliqua ſocietate jubetur.

Jus gentium juri naturali contradiſtinctum

ctum non in certa aliqua ſocietate jubetur. E.

Jus gentium juri naturali contradiſtinctum non eſt jus voluntarium proprie ſic dictum.

Major probatur, quia non poteſt juberi niſi ab illo illisve, qui regendo cœtui aut ſocietati præſunt.

Minor probatur, quia gentes ſingulæ inter ſeſe loco privatorum ſunt.

IX. Speciem magnam probabilitatis præ ſe ferunt, quibus *Gabriel Vazquez*, graviſſimi alias judicii Moraliſta deducere ſatagit, quod & qua ratione ſub naturali jure jus gentium vulgo ſic dictum poſitivum contineatur. Nempe diſtinguit inter jus naturalis juſtitię & inter jus naturalis utilitatis. Jus naturalis juſtitiæ appellat, quod non tantum fieri aliquid permittit, ſed etiam ita jubet, ut oppoſitum injuſtum ſit & iniqvum: exempli gratia, reddere depoſitum ſuo tempore, quod ita juſtum & ſecundum jus eſt, ut oppoſitum ſit contra juſtitiam. Atque hoc modo ſumtum jus dicit eſſe regulam juſti & injuſti, recti & non recti, peccati & virtutis in univerſum. Jus naturalis utilitatis vocat, quod nec eſt regula juſti & injuſti, virtutis & peccati, ARG. IX.

neque

neque aliquid ita jubet, ut oppoſitum peccatum ſit, ſed ſolum liberam concedit facultatem utendi re aliqua tanquam utili, imo etiam tanquam honeſta, ita tamen, ut illa non uti, aut uti contraria non ſit inhoneſtum: Verbi gratia, jus ducendi uxorem, dividendi agros & poſſeſſiones. Hac diſtinctione præmiſſa *Vazquez* jus naturæ & jus gentium ita diſtingvit: Primo quod jus naturæ ſtricte ſic dictum ſit jus juſtitiæ, præcipiens aliquid vel prohibens, ita ut oppoſitum ſit peccatum: jus autem gentium tantum ſit jus utilitatis & permiſſionis, quo permittatur aliquid fieri tanquam utile, imo tanquam honeſtum etiam, ſed ita ut oppoſitum non ſit inhoneſtum. Secundo quod jus naturæ ex principiis practicis natura notis optima ratiocinatione colligatur, id eſt, per apodicticam & neceſſariam conſequentiam: jus vero gentium ex principiis naturæ non colligatur, ne quidem per probabilem conſequentiam, niſi præſupponatur ſocietas, & quod huic conſervandæ conducit, cumprimis ſpectetur. Tertio quod jus naturæ conveniat humanæ naturæ, ſive in ſocietate ſive extra ſocieta-

cietatem ea conſideretur: At jus gentium non niſi in ſocietate dari poſſit. *Viro magni nominis in quodam MSS. morali* ſecunda & tertia ratio diſcriminis undique placet. Veriſſimum cenſet non dari jus gentium niſi in ſocietate: neque enim bonorum diviſioni neque bellis neque contractibus eſſet locus, niſi in ſocietate homines una viverent. Veriſſimum etiam putat jus naturæ abſolute & optima ratiocinatione ex principiis practicis deduci, jus vero gentium ex illis colligi per conſequentiam probabilem præſuppoſita ſocietate & hujus ſpectata cumprimis utilitate. At a *Vazqueſio* primo loco aſſertum, quod nempe jus gentium tantum ſit licentia quædam & poteſtas ſeu permiſſio, valde in dubium vocat. Rationem dubitandi hanc urget, quod gentes non tantum voluerint vigere inter ſeſe poteſtatẽ privatim poſſidendi bona, ſed etiam hanc bonorum diviſionem & privatas poſſeſſiones conſervandæ reipublicæ neceſſarias duxerint, idque propter bona inter ſe diviſerint. Hinc ei diſtinguendum eſſe videtur inter jus gentium & ejus exercitium. Jus gentium ei proprie non niſi li-

centia aut poteſtas aliqua eſt, ut: poteſtas dividendi bona, aut privatim poſſidendi, contrahendi, bella gerendi, captos bello in ſervitutem redigendi. Nempe vult gentes tacito quodam conſenſu conſtituiſſe inter ſe, ut liceat cuivis bona ſua privatim poſſidere, contractus inire, bello injuriam illatam propulſare, captos bello in ſervitutem aſſerere, ut tamen gentes nemini tantam impoſuerint neceſſitatem, ut niſi bona privatim poſſideat, niſi contractus ineat, aut bello injuriam propulſet, peccato ſe obſtringat. Interim exercitium juris gentium neceſſarium ſtatuit ex hypotheſi, videlicet ſi conſervanda ſit tota ſocietas vel natio, aut cuivis ejus ſocio; neceſſaria ſint procuranda. Ex quo tamen nondum ſequi exiſtimat, exercitium juris gentium ita eſſe neceſſarium, ut oppoſitum ſit peccatum, ſed ut oppoſitum ſit noxium & cum detrimento ſocietatis conjunctum. Hinc poſita & conceſſa poteſtate privatim poſſidendi bona, ſtante hac ſententia, non peccaret aliqua gens, aut aliquis hominum cœtus, ſi bona inter ſe communia haberent, niſi quod parũ tranquillitati reipublicæ conſu-

conſulerent. Quocirca bona dividere & ſua cuivis privatim aſſignare omnes gentes neceſſitate adactæ fuerunt; non verò quòd oppoſitum eſſe peccatum ducerent. Diviſis enim bonis & ad privatas poſſeſſiones redactis, porrò neceſſarium eſt, ut qui egeant aliqua re, eam ab aliis nanciſcantur, & qui ſua tueri non poſſint, bello injuriam propulſent. Ex diviſione itaque bonorum multa alia jura gentium horumque exercitia neceſſitate quadam fluxerunt. Accurate autem diſtinguere jubet inter jus gentium &, quod ei annexum eſt, jus naturale. Jus enim gentium multis juribus ac præceptis naturalibus occaſionem præbuit, quæ alias non darentur, niſi jus gentium hujusque exercitium daretur. Ita non locus eſſet furto, quod jus naturale prohibet, niſi jure gentium eſſet bonorum diviſio. Nam contrectare rem communem non eſt peccatum. At contrectare rem diviſione bonorum alteri aſſignatam eſt furtum & peccatum. Hinc induciæ & legationes certo modo ſunt juris gentium, certo modo ad jus naturæ ſpectant. Juris gentium ſunt quoad poteſtatem & per-

& extra ſocietatem quoque conſideratæ expedire judicatur, ut conjunctio maris & fœminæ. Fac enim homines extra ſocietatem civilem vivere, nihilominus humanæ naturæ eſſet conveniens matrimonium, videlicet ad conſervandum genus humanum. Non autem ita, ut qui cœlibem vitam delegerit peccet, ut adeo tantum ſit juris naturæ permiſſive ſeu negative.

§. 2. Recenſuimus bona fide, quæ pro negante ſententia adferri poſſe videbantur, *Grotius* tamen noſter affirmativam tuetur, & ſi ejus judicio ſtandum, leges gentium poſitivæ ac voluntariæ proprie ſic dictæ dantur, quæ ne quidem mediate ex jure naturali fluant. Ut adeo, quantum inter ſe differunt: naturale & voluntarium, actus intrinſece moralis, hoc eſt, debitus aut illicitus per ſe ac ſuapte natura, & actus indifferens, hoc eſt, per ſe ac ſuapte natura neque debitus neque illicitus, ipſa natura actus & libera voluntas, tantum ad *Grotii* mentem diſcrimen intercedat inter jus naturale & jus gentium, ſi utriusque naturam, objectum, formam attendas, nihil tamen obſtante, quo minus jus naturale etiam (alio tamen ſenſu) jus gentium vocetur, quia nempe apud omnes gentes peræque obſervatur. Argumentum pro *Grotii*

PRO AFFIRMANTE SENTENTIA GROTII.

tii ſententia, ſi meretur calculum, urgeri poterat tale:

ARGUMENTUM. Inter quos proprie dicta obligatio, ut tamen ea non trahat originem ex ipſa natura rei, locum habet, inter eos locum habet proprie dictum jus poſitivum jurique naturali contradiſtinctum.

Inter gentes proprie dicta obligatio locum habet, ut tamen ea non trahat originem ex ipſa natura rei. E.

Inter gentes locum habet proprie dictum jus poſitivum jurique naturali contradiſtinctum.

Major probatur, quia jus eſt regula actuum voluntariorum obligans ad id, quod rectum eſt. Ubi ergo obligatio, nec tamen naturalis, ibi jus, nec tamen naturale, adeoque juri naturali contradiſtinctum ac poſitivum datur.

Minor probatur, quia ubi neceſſitas moralis, ibi obligatio. Jam vero inter gentes eſt neceſſitas moralis. ERGO inter gentes locum obligatio invenit. Illa autem neceſſitas non oritur ex natura rei, ſed ex gentium voluntate nixa inevitabili neceſſitate aut ineffabili utilitate. Eſt quippe inter *Moralium & Juris Conſultos* tritum admodum, nec minus certum hoc morale politicum: *neceſſitas finis facit jus*, ut *Grotius* illud effert *L. II. c. 5. §. 24. n. 2.*

cujus

cujus effati hic ſenſus eſt in Metaphyſicorum ſcholis firmiter receptus: *Qui* ſerio *vult finem, vult etiam medium, ſine quo ille finis obtineri non poteſt*: *qui* ſerio *vult finem, vult etiam neceſſario* illud *medium, ſine quo ille finis obtineri non poteſt*. Jam vero gentes ideo volunt eſſe gentes, ut inevitabilibus neceſſitatibus conſulant, deque inſignibus utilitatibus ſibi proſpiciant, omnes quippe reſpublicæ libera voluntate inſtitutæ ſunt ad tranquillitatem, unde gentes, quia volunt eſſe gentes, tranquillitatem volunt, cujus gratia civitas inſtituitur, colitur: nollent autem tranquillitatem, niſi vellent ea, quæ ad tranquillitatem ſunt neceſſaria. Hoc eſſet velle & nolle idem eodem tempore, quod contradictionem involvit. Demonſtrari hoc evidentibus rerum ac exemplorum momentis poſſe *Grotius* credit: ita exempli gratia, ſi merum jus naturæ reſpiciamus, quem interficere licet, eum gladio an veneno interimas, nihil intereſt, ſi, uti monebatur, merum jus naturæ reſpicias: Nam generoſius quidem eſt ita occidere, ut qui occiditur, ſui defendendi habeat copiam, ſed non debetur hoc cuiquam, qui mori meruit. At jus gentium, ſi non omnium, certe meliorum, jam olim eſt, ne hoſtem veneno interficere liceat, quia in id conſenſerunt, qui conſenſus

ortus eſt ex reſpectu communis utilitatis, ne pericula in bellis, quæ crebra eſſe cœperant, nimium intenderentur, eorum maxime, qui eminent regendoque cæteris præſunt, quorum tamen ſalus tuenda maxime, hi ne quidem tam tuti vivere poſſent, quam qui reguntur: quin ergo voluerint gentes gentiumque rectores injuſtitiæ damnare occiſionem hoſtis veneno factam, vix dubitationem amplius habet, quippe cujus licentia admiſſa neutiquam locus eſſet tranquillitati, ad quam civitates libera gentium voluntate inſtitutæ ſunt. Sicut ergo voluntatis eſt promittere, neceſſitatis vero promiſſo ſtare, voluntatis eſt contractum inire, neceſſitatis vero initum ſervare: ita quoque voluntatis erat, num plures vellent una gens fieri; neceſſitatis jam eſt ea, quorum gratia voluerunt una gens fieri, eligere proque juſtis habere. Capiamus aliud exemplum: cum nihil fiat a tempore, nihil aut parum refert, an una gens hoc illudve territorium per aliquot dies aut annos, an per plura ſecula bona fide, ſine omni contradictione ac impedimento continuo poſſederit, ſi jus naturæ reſpicias: jus, inquam, naturæ: nam uti dictum, quantitatis, ideoque nec temporis ulla eſt efficacia. At juris gentium certe eſt, ut dominus ſit territorii iſte populus, qui alteri populo ſibi

vendi-

vendicanti territorium objicit bonæ fidei temporis memoriam excedentis poſſeſſionem continuam, nulla contradictione interpellatam, nec aliunde impeditam. Credibile eſt enim, imo certiſſimum & apud omnes confeſſum poneres, in id conſenſiſſe gentes, cum ad pacem communem id vel maxime interſit, ut licet tempus non faciat jus, nova tamen cauſa novum jus parere idonea colligi ſufficienter poſſit ex talismodi ſignis, quod nempe alia gens bona fide ſemper poſſederit ac nullo ambigente iſtud territorium: cauſa vero illa eſt a gente, quæ olim jus territorii habuerat, liberrima voluntate facta derelictio territorii, non expreſſa quidem voluntate, tamen tacita: conſenſus vero taciti & expreſſi eadem regulariter eſt virtus. Alias lites de territoriis eorumque finibus eſſent immortales, fomitesque bellorum nullo unquam tempore extinguerentur, quod communi gentium ſenſui repugnat.

§. 3. Quamvis vero in præſenti ſaltem placuerit præcipuas utriusque partis rationes adferre ac cujusvis exactiori judicio ſubmittere, eligat alterutram ſententiam, cui dicat: tu mihi ſola places, idque eo magis, quo certius conſtat pro affirmativa unum inſtar omnium pugnare *Grotium*, pro negativa adeo magnæ auctoritatis viros ac longe plures, tamen quid pro

Grotio ad argumenta §. 1. allata excipi poſſe videbatur pauciſſimis & quaſi per tranſennam conſpiciendum dabimus, qua probabilitate aut difficultate, videant gravis judicii cenſores, quorum cenſura veritas ſteterit cecideritve.

AD ARG. I. Ad I. in ſpeciem dici poterat, hoc ſaltem concludi allatoque medio termino evinci, quod præter jus naturale, quod ſuo ac ſano ſenſu dici jus gentium poſſit, non detur aliud jus gentium voluntarium ſeu poſitivum proprie ſic dictum, quod gentes tanquam a ſuperiori profectum ſtringat. Interim lis ſub judice videtur manere: annon ſtringat gentes ex alio fonte? Si enim jus gentium voluntarium ideo non eſſet jus, quia tanquam a ſuperiori profectum nequit gentes ſtringere, ſic quoque jus naturale non haberet vim juris proprie dicti, cum ſane jus naturale itidem non ſtringat, quatenus a ſuperiori latum, ſed in puncto rationis jus naturale, quo creaturæ rationales obligantur ad voluntatem ſupremi Numinis, antecedenter ſe habeat. Et in verbo faciles erunt *Grotii* ſectatores, modo rei veritatem teneant. Non enim confundenda eſt prædicatio propria cum prædicatione uſitata: Namque propriæ prædicationes inuſitatæ eſſe poſſunt, uti ſupra obligationem proprio, nec tamen uſitato loquendi

modo

modo Deo tribuimus, qui ipſe ſecundum juris naturalis normam de ſe judicari patitur, ut ex pluribus Scripturæ locis oſtendit *Grotius §. 10. n. 5.*

Ad II. Non ſine omni ſpecie dici poterat circa minorem, quod ſtante obligatione gentium erga invicem utique actiones obligationi contrariæ injuſtitiæ ac iniquitatis indices fiant. Quæ de imperitia ac ruditate, cujus inter gladiatores accuſatur, qui alterum juxta regulas artis non vulneraverat, diſpar forſan ratio videri poterat: digladiator enim alterum contra regulas artis vulnerans non obligabatur ad obſervantiam earundem, ad quam obſtrictus, ſi vulnus inflixiſſet alteri, omnino alterius peccati quam imperitiæ ac ruditatis argui potuiſſet. At gens contra id, quod jus gentium poſitivum ac proprie tale nobis audit jurique naturali contradiſtinctum, agens obligationis vinculum laxat. Juri legationum a *Grotio* inter præcipua juris gentium voluntarii capita numerato aliqua ſpecies forte conciliatur ex eo, quod cum jure gentium pugnet, repudiare legatos, cum jure naturæ minime: quod jure naturæ hoſtem lædere liceat, & ſic quoque ab hoſte venientem. AD ARG. II.

Ad III. dicendum, ſi daretur jus gentium voluntarium proprie dictum, omnino illud gentium ut inter ſe æquales ſunt, conſenſui AD ARG. III.

ſenſui originem deberet, qui conſenſus, in quantum neceſſitate finis nititur, jus facit.

AD ARG. IV. Ad IV. *Grotio* viſum tacitum conſenſum adeſſe nixum inevitabili periculo, aut ineffabili commodo, quod gentes inter ſe æquales manet. Ex præſumtione juris naturalis ſi hunc conſenſum ortum dicas, nimis remotam conſequentiam nectis, cum etiam inſpectio legum humanarum poſitivarum propriiſſime ſic dictarum reductionem ad jus naturale patiatur.

AD ARG. V. Ad V. Præter hoc, quod major de juribus civilibus & quæ his arctiora ſunt, intelligenda appareat, etiam circa minorem dicendum, quod gentes volentes nolentes in ea, quæ juris gentium poſitivi ſunt, conſentire oporteat, ut famam ſervent, neceſſitati ſerviant, tranquillitatem foveant.

AD ARG. VI. Ad VI. Circa majorem cum *Grotio* ſors quispiam exiſtimaverit, confundi rationem legis poſitivæ ac voluntariæ ut ſic, cum legis poſitivæ ac voluntariæ ut talis, nempe legis civilis eaque arctioris, ratione, ut hæc (non item lex poſitiva latius patens, hoc eſt lex gentium voluntaria proprie ſic dicta) eſſe ſuum a jubentis voluntate habeat.

AD ARG. VII. Ad VII. circa minorẽ fortaſſis diſcrimen inter nudum tacitum pactum & inter jus ex neceſſitate finis ortum notari poterat: Cir-

ca majorem vero, quod etiam conſuetudo frequentesque ſubditorum actus eſſe legis accipiant a tacito juſſu legumlatoris.

Ad VIII. Quæ *Vazquez* erudite molitus eſt, ſuo modo admitti poſſe videbantur, ut tamen non omne voluntariæ juſtitiæ debitum inter gentes tollant. AD ART. VIII.

§. 4. Occaſionem obtulit *Grotius* §. 13. ac 14. ampliorem vero nanciſcemur ſuis capitibus ac locis, quibus præcipua juris gentium voluntarii momenta indicare ſategit. OCCASIO QUÆSTIONIS.

CAPUT II.

De DUPLICI STATU HOMINIS, PRIMIS ET SECUNDIS NATURÆ, BELLO JUSTO ET INJUSTO, BELLO DEFENSIVO ET OFFENSIVO, VI JUSTA ET INJUSTA.

§. 1.

Duplex poteſt ſtatui ſtatus hominis, in quo vivat: unus animalis, alter hominis. DE STATU HOMINIS.

§. 2. Prior hominis ſtatus, qui nem- *Eſt duplex. Prior hominis*

ſtatus quis? nempe ſtatus animalis dicebatur, eſt ſtatus infantiæ, qui usque ad annos diſcretionis (ceu vulgo vocantur) porrigitur.

NOTÆ.

I. Per annos diſcretionis intelligimus annos, quibus homo honeſtum a turpi, illud a jucundo & utili, hoc a moleſto & noxio valet diſcernere.

II. Quando anni diſcretionis incipiant, *Grotius l. II. c. 11. §. 5. non poſſe certo definiri, ſed ex quotidianis actibus, aut etiam ex eo, quod communiter in quaque regione accidit, deſumendum* eſſe cenſet. Eo felicius forſan moralium cultor id expediet, quo rectius percepit diſcrimen ſtatus naturalis a legali, quod *c. 1. §. 8. cum notis p. 17. & ſeqq.* declaravimus, quæ certe diſtinctio videtur feliciter ad præſens accommodari. *In ſtatu naturali* nec pueritia, nec minorennitas agnoſcit terminos, queis poſſit dicier: hi ſunt. Non minor enim animorum quam fructuum varietas. Ex quotidianis uniuscujusque pueri minorisve actibus præſumendum, an aliquis, an nullus, an perfectus, an imperfectus uſus rationis adſit. Ut horologii umbram progreſſam ſentis, progredi non ſentis, & fruticem aut herbam creviſſe apparet, non creſcere: ita

& animorum profectus, quoniam minutis conſtat auctibus ex intervallo ſentitur. Uſus ætatem non raro præcurrit. At *in ſtatu legali* quotidiana inſpectio actuum apta non eſt ad dijudicanda pueritiæ minorennitatis ac majorennitatis diſcrimina, cum illud lites pariat, ſi ex actuali exercitio rationis æſtimare velimus annorum diſcretionis perfectionem ac imperfectionem cæteraque diſcrimina, indeque factum credimus, ut *jurium civilium* conditores certas leges de minorennitate ac majorennitate poſuerint. Nec dubiũ eſt, quin ex eo, quod communiter in quaq; ratione accidit, LLlatores occaſionem in aliis atque aliis rebus publicis aliud aliudve tempus impubertatis pubertatisve definiendi arripuerint, reſervato ſibi jure dignoſcendi perfectum cujusvis ſubditi imperfectumque judicium, non in civilibus ſolum, ceu jus dandi veniam ætatis indicat, ſed eo magis ubi de criminibus agitur. Interdum ibi miſeratio ætatis ad nullam aut mediocrem pœnam judicem perducit, ut *Tryphoninus* JCtus *l. auxilium 37. D. de minoribus 25. annis* loquitur. Videatur *Petrus Faber ad l. fere in omnibus 108.* ſic ſe habentem: *Fere in omnibus pœnalibus judiciis & ætati & imprudentiæ ſuccurritur;* & ad eandem legem communiter accuratiores *Juris Interpretes*. Egimus uberius hac de

de re in *Tractatus* noſtri *moralis de ſatisfactione c. 1. de Natura ſatisfactionis Theſi 14.*

Poſterior hominis ſtatus quis?

§. 3. Poſterior hominis ſtatus, quem ſcilicet ſpeciali nomine ſtatum hominis appellabamus, eſt ſtatus, quo uſus rationis in homine ſe exerit.

NOTA.

Non adeo refragabimur, ſi præter perfectum hominis ſtatum, de quo jam egimus, quis etiam imperfectum hominis ſtatum agnoſcat. Non enim per omnia facere poſſumus cum *Gvilielmo Grotio*, qui *Enchirid. de Principiis Juris Naturalis c. 10. §. 11.* ſcribit: Diſtinctio inter tutelam & curam de Jure Naturæ eſt incognita. Quod de ea, ut *Juris Civilis* eſt, admittimus.

Fundamentum prioris ſtatus.

§. 4. Uterque ſtatus ſuo nititur fundamento: Prioris ſtatus fundamentum in eo conſtituitur, quod quilibet homo, quando in lucem editur, nihil diſtare videatur a cæteris animantibus omnis rationis expertibus; paulum quoque quamdiu annos ἐφηβίας agit, ab eo diſtat. Poſterior ſtatus in eo fundatur, quod homo, ſimul ac ex ephebis excedit, nobilioris ſuæ partis curam ſuſcipit eamque perficere

Fundamentum poſterioris ſtatus.

ficere ſtudet. (Nobilior pars anima rationalis eſt, ejusque perfectio honeſtas.)

NOTA.

Duplicis hujus ſtatus prolixam mentionem primi, quod ſciam, mentionem moverunt *Stoici*, quos deinceps *Cicero* aliique plures ſecuti ſunt. Conferatur, ſi meretur, *diſſertatio* noſtra *de Primis Moralibus §. 20. & ſeqq.* maxime *22. 23. & 24.* Non minus erudita quam egregia commentatio *Euſtratii Epiſcopi Niceni, in ult. cap. 1. Moral. Nicom. Ariſtotelis p.m. 112. & ſeq. edit. Rachel.* habetur, apprime huc faciens: *Pars irrationalis*, ait, *quæ in homine eſt, non habet quidem propriam rationem, unde irrationalis appellatur: Videtur tamen etiam rationis ipſa eſſe particeps in eo, quod a rationem habente facultate illuſtratur, ſicut dictum eſt. Dixit enim* (Ariſtoteles) *etiam ſuperius, eſſe hanc rationi obedientem, atque idcirco quodam modo, id eſt, participatione, non eſſentia rationalem. Quemadmodum etiam lunam, inquiunt, luminare nuncupari, eo quod a ſole illuminata lucens efficitur, ut lumen, quod aliunde accepit, reddere etiam ipſa valeat. Sed unde apparet, quod rationis particeps ſit hæc irrationalis facultas? inde nimirum, quod continentis rationi obtemperat. Niſi enim*

natura eſſet comparatum, ut ratione uti quodammodo poſſet, nunquam hoc contingeret, neque in continente illud fieret, ut cupiendi vis ad voluptatis fruitionem incitata, cohibenti a voluptate rationi pareret. Sicut in aliis, quæ vel a natura fiunt, vel arte, non repente generationes abſolvuntur, ſed ex imperfectis ad perfecta ſubinde progreſſio fit, priusque antecedunt ſpecies quædam, quæ ſubjectum idoneum ad ſuſcipiendam eam formam reddunt, quæ a principio ſive a natura, ſive ab arte propoſita fuerat, ita in virtutibus quoque hominis videre licet. HOMO enim A PRINCIPIO, UBI E MATRIS UTERO EDITUR, CUM NONDUM RATIO IN EO VIM ULLAM ACCEPERIT, ESSE ABSOLUTE QUASI ANIMAL VIDETUR: nam in eo irrationalium facultatum operationes rationem neceſſario præcurrunt, ante omnes vegetalis etiam in ipſo utero exiſtit, deinde vitalis: poſtremo vero excitata ratio operationem ſuam etiam ipſa producit. Atque hæc generationis cauſa eveniunt: quippe cum natura eſſentiam hominis conſtituere ſtudens, inferiores facultates, earumque operationes tanquam fundamentum præſtantioribus ſubjiciat: fierique alio modo nequeat, ut ex omnium compoſitione aliquid conſtituatur. Hinc igitur fit, ut ratio, quæ poſt alias emicuit, dum propriam operationem exercere vult, pugnam adver-

adverſus perturbationes inſtituat: conenturque vehementem earum impetum, qui jam anticipavit diutiusque invaluit, reprimere ac refrenare. Id autem cito fieri nequit; Sed longo quodam tempore, laboreque haud parvo opus eſt ad rationis expertes facultates cohibendas at continendas.

§. 5. Melioris perſpicuitatis gratia notare lubet utriusque ſtatus ab invicem diſcrimina. Differunt enim 1. ratione finis: prioris enim ſtatus finis eſt conſervatio corporis: poſterioris vero eſt perfectio animi. *Utriusque ſtatus ab invicem diſcrimina.* *1. Ratione finis.*

NOTA.

Animus immortalis eſt, unde non tam ejus conſervationem, quam perfectionem homo in poſteriori ſtatu expetere debet.

§. 6. Differunt 2. ratione temporis: ſtatus animalis tempore eſt prior, ſtatus hominis tempore eſt poſterior. *2. Ratione temporis.*

NOTA.

Prius quippe homo vivit ſaltem ut animal, deinceps vivit ut homo.

§. 7. Differunt 3. ratione dignitatis: prior enim minus præſtans, poſterior longe præſtantior eſt. *3. Ratione dignitatis.*

NOTA.

Quanto namque præſtantior animus eſt corpore, tanto præſtantior eſt ſtatus poſterior priori.

4. Ratione objecti. §. 8. Differunt 4. ratione objecti: prioris ſtatus objectum eſt jucundum, poſterioris honeſtum.

NOTÆ.

I. In priori ſtatu homo appetit jucundum, hoc eſt, quod ſenſibus gratum, in poſteriori vero honeſtum, hoc eſt, quod rationi convenit. In priori enim ſtatu exerit ſeſe appetitus ſenſitivus, qui cognitionem per ſenſum factam ſequitur: in poſteriori vero ſtatu appetitus rationalis, qui cognitionem per intellectum ſeu rationem factam prærequirit.

II. Fit quidem, ut appetitus ſenſitivus etiam feratur in honeſtum, ſed hoc fit per accidens inque poſteriori hominis ſtatu, dum nempe rationi ſe exerenti jungitur eique paret.

III. Ut multæ aliæ diſtinctiones, ita quoque quædam huc ſpectantes e rigida *Stoicorum* barba profluxerunt. Non enim *Stoici* bonum jucundum & bonum utile volebant vocare bona, nec tamen mala appellabant, ſed indifferentia, ſolum vere

hone

honeſtum dicebant bonum, magisque ad ſtudium honeſtatis ſic auditores ſuos excitare conabantur. Pariter rigor *Stoicorum* repudiabat hanc locutionem, jucundum eſt appetendum, item, utile eſt appetendum. Ita nempe pro auctoritate loquebantur: jucundum, item utile eſt ſumendum, non expetendum: poteſt ſumi, non vero expeti. Et hæc forſan ad faciliorem intellectum verborum *Grotii* faciunt, quæ §. 1. n. 2. profert ultimo loco, dum ſcribit: *In examinando jure naturæ primum videndum, quid naturæ initiis congruat, deinde veniendum ad illud, quod quanquam poſt oritur, dignius tamen eſt, neque* SUMENDUM *tantum, ſi detur, omnimodo* EXPETENDUM.

IV. Interim *Stoicorum* ſententia reipſa cum *Ariſtotelicorum* mente convenit, quamvis modus loquendi multum differat: Scholæ quippe *Ariſtotelis* bonum in claſſem communium πρός ἕν rejiciunt, ut ipſis primario dicatur bonum, quod propter ſe convenit alteri, ideoque appetibile eſt: Secundario, quod propter aliud convenit alteri ideoque appetibile, & hoc uno nomine utile dicitur. Bonum propter ſe iterum per prius de honeſto, per poſterius de jucundo efferunt. Et ita tandem ſine addito primario ac abſolute honeſtum in *Ariſtotelis* ſcholis bonum ac

expetibile dicitur, juxta *Analyticorum* axioma: *Commune πρὸς ἓν ſtat in ſignificatu famoſiori.*

DE PRIMIS ET SECUNDIS NATURÆ.

§ 9 Hoc duplici hominis ſtatu tanquam genuino fundamento nititur diſtinctio *inter prima naturæ & ſecunda naturæ.*

[*Grotius c. II. §. 1.*]

NOTA.

Intereſt noſſe penitius hanc diſtinctionem, ad cujus meliorem intellectum invitare *Moralium* Cultorem poterat illud *Grotii* noſtri morale, quod præcedenti §. *not. 3. in examinando jure naturæ* &c. attulimus.

Prima naturæ quid?

§. 10. *Prima naturæ* vocantur, *quod ſimul atque natum eſt animal, ipſum ſibi conciliatur & commendatur ad ſe conſervandum atque ad ſuum ſtatum & ad ea, quæ conſervantia ſunt ejus ſtatus, diligenda: alienatur autem ab interitu iisque rebus, quæ interitum videntur afferre.*

[*Grotius §. 1. n. 1.*]

NOTA.

Stoicis dicuntur τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν, πρῶτα

πρῶτα τῆς φύσεως, προηγμένα. *Cicero* appellat *prima naturæ, prima naturalia, initia naturæ, prima elementa naturæ, prima naturalia, primam inſtitutionem naturæ, ſpecula naturæ, prima invitamenta naturæ, primas conciliationes naturæ, primam noſtri commendationem.*

§. 11. *Secundæ naturæ* dicuntur, quod *homo*, ſimul atque uſus rectæ rationis ſe exerit, primo omnium id expetendum eſſe judicat, quod per ſe ac ſuapte natura honeſtum eſt, adeoque *cum ipſa ratione, quæ corpore eſt potior, conveniens.* *Secundæ naturæ quid?*

[*Grotius* §. 1. *n.* 2.]

NOTA.

Stoicis τὰ ἑπόμενα appellantur, a *Cicerone conſequentia*, ſed quæ illis primis præferenda ſint, ab aliis *ſecunda naturæ, moralia, regulæ vitæ, lumina virtutum, indices honeſtatis, indicia morum* &c.

§. 12. Ut rectius hæc fundamenti loco percipiantur, primorum naturæ & ſecundorum naturæ diſcrimina facilioribus modis expoſuiſſe juvabit. Differunt autem 1. fine: nam prima naturæ pro fine habent corporis humani vitæque conſervationem: *Primorum & ſecundorum naturæ diſcrimina. 1. Ratione finis.*

Secundorum autem naturæ finis eſt moralis perfectio animi.

NOTÆ.

I. Finem primorum naturæ a *Stoicis* ſic probari teſtatur *Cicero*, dum *l. 3. de finibus* ſcribit; *Id ita eſſe* (nempe quod homo ſimul atque natus eſt, ipſe ſibi commendetur & concilietur ad ſe conſervandum atque ad ſuum ſtatum) *ſic probant, quod antequam voluptas aut dolor attigerit, ſalutaria appetant aſpernenturque contraria. Quod non fieret, niſi ſtatum ſuum diligerent, interitum timerent. Fieri autem non poſſet, ut appeterent aliquid, niſi ſenſum haberent ſui, eoque ſe & ſua diligerent. Ex quo intelligi debet, principium eſſe ductum a ſe intelligendi ſui.* Et paulo poſt ſic differit: *Satis eſſe argumenti videtur, quamobrem illa, quæ natura prima ſunt, aſcita natura diligamus, quod eſt nemo, quin cum utrumvis liceat, aptas malit & integras omnes partes corporis, quam eaſdem uſu imminutas & detortas habere.* Hæc pluribus & citato *libro & ſeqq.* deducit. Eadem *Grotius* noſter ex *Cicerone* iisdem, ſed magis conciſis verbis § *1. n. 1.* indicavit.

II. De fine ſecundorum naturæ *Cicero L. III. de finibus* hæc habet: *Simul enim homo capit intelligentiam, vel notionem potius*

tius, quam appellant ἔννοιαν Stoici, videtq́; rerum agendarum ordinem,&, ut ita dicam, concordiam multo ea pluris æſtimat, quam omnia illa, quæ primum dilexerat, atque ita cognitione & ratione colligit, ut ſtatuat in eo collocatum SUMMUM ILLUD HOMINIS PER SE LAUDANDUM ET EXPETENDUM BONUM, quod poſitum ſit in eo quod ὁμολογίαν Stoici, nos appellemus convenientiam, ſi placet. Et huc reſpicit noſter *Grotius*, dum *§. 1. n. 2.* pergit: *At poſt hæc* (prima naturæ) *cognita ſequi notionem convenientiæ*, rerum cum ipſa ratione &c.

§. 13. Differunt 2. ſubjecto & efficiente: Nam primorum naturæ ſubjectum & ſimul efficiens eſt ſenſus; Secundorum naturæ intellectus, *2. ratione ſubjecti & efficientis.*

NOTA.

Iſtud innuebat *Grotius*, partim quando prima naturæ *§. 1. n. 1.* vocabat, *quod ſimul atque natum eſt animal, ipſum ſibi conciliatur & commendatur ad ſe conſervandum, atque ad ſuum ſtatum, & ad ea, quæ conſervantia ſunt ejus ſtatus, diligenda &c.* Nam ſimul atque natum eſt animal, non ſtatim gaudet rationis uſu, adeoque, dum commendatur ad ſe conſervandum atque ad ſuum ſtatum, & ad ea, quæ conſervantia ſunt ejus ſtatus, diligenda, ſane ſenſuum

judicio ea aſſequitur, quia alias ignoti nulla eſſet dilectio, nulla appetitio. Partim quando ſequenti *num. 2.* mentionem expreſſam facit *notionis convenientiæ rerum cum ipſa ratione inque ea convenientia honeſtum proponi cenſet.*

3. Ratione objecti. §. 14. Differunt 3. objecto: Primorum naturæ primarium objectum eſt jucundum: Secundorum naturæ honeſtum.

NOTA.

Reducantur ea, quæ *§. 8. cum not.* dicta ſunt.

4. Ratione temporis. §. 15. Differunt 4. tempore, quia illa his tempore priora ſunt.

NOTA.

Nam prima naturæ reſpiciunt ſtatum animalis, in quo vivit homo: Secunda naturæ ſtatum hominis. Prius vero homo vivit ſtatum animalis, quam ſtatum hominis.

5. Ut via & terminus. §. 16. Differunt 5. ut via & terminus: nam prima naturæ ſunt via ad ſecunda naturæ.

NOTA.

Quis viam præfert termino, ad quem ea ducit?

§. 17. Dif-

§, 17. Differunt 6 ordine dignitatis: Nam ſecunda naturæ primis naturæ longe ſunt præſtantiora. *6 Ratione dignitatis.*

NOTA,

Tanto ſcilicet præſtantiora ſunt, quanto præſtantior animus eſt corpore. Eleganter *Grotius: Ea convenientia, in qua honeſtum eſt propoſitum, pluris facienda, quam ad quæ ſola primum animi appetitio ferebatur; quia prima naturæ commendant nos quidem rectæ rationi, ſed ipſa recta ratio carior nobis eſſe debet, quam illa ſunt, a quibus ad hanc venerimus.* Hæc omnia ex *Cicerone*, qui ea uberius declarat: *Non ineſt*, inquit *Cicero L. III. de finibus, in primis naturæ conciliationibus honeſta actio: conſequens enim eſt & poſt oritur. Eſt tamen ea ſecundum naturam: multoque nos ad ſe expetendam magis hortatur, quam ſuperiora omnia.* Et paulo poſt elegantiſſime: *Quemadmodum enim ſæpe fit, ut is, qui commendatus ſit alicui, pluris eum faciat, cui commendatus ſit, quam illum, a quo ſit, minime mirum eſt, primo nos ſapientiæ* (rectæ rationi) *commendari ab initiis naturæ: poſt autem ipſam ſapientiam* (rectam rationem) *nobis chariorem fieri, quam illa ſint, e quibus ad hanc venerimus.* Et *L. IV.* inter alia plura ponit ſequentia: *Cum aſſumta ratio eſt,* (cum aſſumta ſunt ſecun-

da

da naturæ) *tanto in dominatu locatur* (locantur) *ut omnia illa prima naturæ hujus* (horum) *tutelæ ſubjiciantur.* Hinc fit, ut in neceſſitatis puncto vir honeſtus malum triſte præ malo turpi eligat, & potius turpia quævis, mortem quoque contra prima naturæ perferre malit, quam contra honeſtatem agere. Et huc reſpexit *Ariſtoteles*, quando *III. Moral. Nicom. c. 1.* docet, eſſe mala quædam, ad quæ vir honeſtus neutiquam patiatur ſe moveri, ſed potius ultima quæque expectet.

§. 18. Sic vidimus, quid ſint naturæ prima & ſecunda, ac quomodo ab invicem differant: Reſtat, ut diſpiciamus, quænam ſint prima naturæ, quæ ſecunda naturæ? Inter prima naturæ, hæc iterum ſunt prima: TUAM TUIQUE CORPORIS CONSERVATIONEM APPETE)(TUUM TUIQUE CORPORIS INTERITUM FUGE. Inter ſecunda naturæ hæc ſunt prima: EX SUA NATURA AC PER SE HONESTUM APPETE)(EX SUA NATURA AC PER SE TURPE FUGE.

Quænam ſint prima inter prima naturæ?

Quæ prima inter ſecunda naturæ?

NOTÆ.

I. Prima inter prima naturæ exprimit *Grotius* his verbis §. *1. num. 1. ſimul atque natum*

natum eſt animal, ipſum ſibi conciliatur & commendatur ad ſe conſervandum. Item: *alienatur autem ab interitu.*

II. Ad prima inter ſecunda naturæ reſpicit, dum nominat notionem convenientiæ rerum cum ipſa ratione, quæ corpore eſt potior, inque ea honeſtum proponit.

III. Et hæc prima ex ſecundis naturæ ſunt prima moralia. Dicuntur etiam *moralia primo prima, moralia immediata & ſimpliciter prima, fundamenta moralitatis, prima principia in ratione practica, principia in moralibus, univerſaliſſima principia morum, moralia per ſe nota, principia generalia morum, leges naturæ fundamentales, fontes moralitatis. De* hiſce *primis moralibus* totam conſcripſimus diſſertationem, qua in eorum naturam, indolem, ortum, habitum aliaque plura eo ſpectantia inquiſivimus.

§. 19. Bellum vulgo diſtinguitur in juſtum & injuſtum. DE BELLO JUSTO ET INJUSTO.

NOTA.

Quia notio juſti variat, ideo bellum juſtum & injuſtum multiplicem habet ſignificationem.

§. 20. Bellum juſtum tale dicitur vel in ordine ad jus naturæ, vel in ordine ad jus voluntarium. *Belli juſti diſtinctio.*

§. 21. Bel-

Bellum naturaliter juſtum quid & quotuplex?

§. 21. Bellum juſtum in ordine ad jus naturæ iterum dupliciter ſumi poteſt: 1. in ſenſu negante. 2. in ſenſu affirmante. In priori ſenſu bellum naturaliter juſtum idem valet, quod bellum jure naturæ non prohibitum. In poſteriori ſenſu bellum juſtum idem ſignificat, quod bellum jure naturæ præceptum.

NOTÆ.

I. Repetantur ſuperius *§. 5. cum not. p. 9. & ſeqq.* allata, quæ facili ratione ad præſentem diſtinctionem trahi accommodarique poterunt.

II. Priorem ſaltem belli ſignificationem *Grotius §. 1. n. 3.* attendit: non tamen dubitamus, quin etiam bella juſta in poſteriori ſenſu locum inveniant, quo de ſequenti *cap. 3.* ut & *L. II. c. 1.* acturi ſumus.

Bellum juſtum in ordine ad jus voluntarium quid?

§. 22. Bellum juſtum ita vocatum in ordine ad jus voluntarium eſt bellum habens effectum juris voluntarii.

Injuſtum bellum quid & quotuplex?

§. 23. Injuſtum bellum aut ſumitur in oppoſitione ad bellum juſtum reſpiciens jus naturæ, aut jus voluntarium.

rium. Si priori modo ſumatur bellum injuſtum, tunc bellum injuſtum idem eſt, quod bellum jure naturæ prohibitum: ſi poſteriori capiatur modo, bellum injuſtum eſt idem, ac bellum carens effectu juris poſitivi.

NOTÆ.

I. Poteſt bellum aliquod habere quempiam effectum juris poſitivi, & ſic poſteriori modo juſtum eſſe, ut tamen careat juris naturalis effectu maneatque priori modo injuſtum. Et vice verſa: poteſt bellum aliquod jure naturæ licitum, vel etiam plane præceptum & ſic naturaliter aut priori modo juſtum eſſe, ut tamen nullum effectum juris poſitivi habeat, ſicque poſteriori modo ſeu in ordine ad jus voluntarium ac poſitivum ſit injuſtum. Hinc factum eſt, ut inter juſtitiam belli internam & juſtitiam belli externam diſtingueretur, qua de diſtinctione ſequentis *L. II. c. 1.* ejusque neceſſitate ac utilitate pluribus agemus.

II. Poteſt res ſimilitudine a foro civili petita in anteceſſum indicari: Sicut quandoque accidit, ut juſtam habens cauſam a judice corrupto damnetur, & injuſtitia cauſæ laborans abſolvatur: ita non repugnat bellũ ſimul juſtum & injuſtum eſſe.

III. Quando in *Grotii opere de jure belli* agitur, hoc eſt, de bello juſto, potiſſima tractatio eſt de bello naturaliter juſto: at bonam quoq; partem tractatio de bello juſto in ordine ad jus voluntarium cõficit, ſcilicet ad jus voluntarium non quodcunque, ſed præcipue & per ſe jus gentium voluntarium. Nam quod eo non damnentur bella, ſatis nos docent hiſtoriæ & omnium populorum leges ac mores, de quibus omnibus ſuis locis ex profeſſo.

IV. Ut bellum ex utraque parte ſit naturaliter juſtum, fieri nequit: nam alias neceſſum foret, ut utraque pars ab alterutra injuria fuiſſet affecta, neutra vero alterutram injuria affeciſſet, quod manifeſtam contradictionem implicat.

V. Hoc tamen fieri poteſt, ut bellum, quod prius ex illa parte naturaliter fuerat juſtum, ex hac naturaliter injuſtum, nunc ordine inverſo ex hac parte naturaliter juſtum, ex illa naturaliter injuſtum fiat: ita e.gr. ſi injuſti belli autor ſeriam ac parti innocenti apprime ſalutarem pœnitentiam agat easque pacis conditiones offerat, quibus juſtiores ne quidem læſus potuiſſet exigere, eæ vero non acceptentur, ſic juſtitia naturalis & injuſtitia partium permutantur. Ita, ut utamur alio exemplo, naturaliter juſta erat vis adverſus latronem a viatore adhibita, quando

viato-

viatoris corpus impetebatur a latrone vi præſente cum periculo vitæ non aliter vitabili, ſed quia ceſſante omni periculo viator latronem fugientem perſequebatur, ſic ex latrone ac invaſore viator ac defenſor reddebatur, & contra ex defenſore invaſor. De his ſequenti *Lib. c. 1.*

§. 24. Frequens quoque inter Politicos diſtinctio eſt belli in defenſivum & offenſivum. *Alia diſtinctio belli.*

§. 25. Defenſivum bellum nunc notat idem, quod bellum naturaliter juſtum, & ſic bellum offenſivum idem erit, quod bellum naturaliter injuſtum: nunc notat iſtud bellum, quod intra limites noſtræ regionis geritur, & ſic bellum offenſivum dicitur, quod extra limites noſtræ regionis geritur. *Defenſivum & offenſivum bellum quid ſint?*

NOTA.

Pro diverſa belli offenſivi ac defenſivi acceptione fieri poteſt, ut bellum defenſivum poſteriori modo ſit ſimul offenſivũ priori modo h. e. naturaliter injuſtum: exempli gratia, fieri poteſt, ut is, qui intra limites ſuæ regionis ſe defendit, prius dederit offendenti occaſionem, nolueritque ſatisfacere ei, quem antea læſerat: Pariter non repugnat bellum offenſivum poſte-

riori modo eſſe priori modo defenſivum, hoc eſt naturaliter juſtum: exempli gratia: populus atrocem injuriam paſſus nec aliis remediis ſanabilem', alieni populi, qui damnum dederat, regionem bello naturaliter juſto invadere damnumque injuria datum reparare poteſt.

DE VI JUSTA ET INJUSTA.

§. 26. Vis diſtinguitur in juſtam & injuſtam. *Vis juſta eſt, quæ jus alterius non violat nec tollit:* Exempli gratia: Vim juſtam patitur facinoroſus, dum ultimo ſupplicio afficitur. *Vis injuſta eſt, quæ jus alterius violat aut tollit:* Exempli gratia, vim injuſtam perfert viator innocens a latrone.

Vis juſta quid? Vis injuſta quid?

[*Grotius* §.1. n.7.]

QUÆSTIONES.

Quæſtio I.

Num in primis naturæ lex naturæ fundamentalis contineatur?

§. I.

PRO AFFIRMAN-

AFfirmativa videtur ſuaderi poſſe & ſequenti ratione & *Grotii* auctoritate. Ratio-

Rationem incluſam volumus tali argumento: TE SENTENTIA.

Quicquid eſt maxime genuinum ac proprium legis naturæ fundamentum, illud continetur inter prima naturæ. ARG. I.

Lex naturæ fundamentalis eſt maxime genuinum ac proprium legis naturæ fundamentum. E.

Lex naturæ fundamentalis continetur inter prima naturæ.

Major probatur, quia maxime genuinum ac proprium fundamentum eſt primum.

Minor extra dubitationis periculum conſiſtit.

Grotii auctoritatem hoc illuſtramus ratiocinio:

Ad quæ in doctrina juris naturalis rite ac recte tradenda & percipienda primo omnium reſpiciendum eſt, in illis lex naturæ fundamentalis continetur. ARG. II.

Ad prima naturæ in doctrina juris naturalis rite ac recte tradenda & percipienda primo omnium reſpiciendum eſt. E.

In primis naturæ lex naturæ fundamentalis continetur.

Major probatur, quia quisquis doctrinam rite & recte tradere aut percipere ſat-

agit, primo omnium ad fundamentum recurrere iſtudque reſpicere tenetur.

Minor facilis perceptu apparet,ſi *Grotii* verba intueamur, dum ait §. 1. n. 2. *In examinando jure naturæ, primum videndum, quid illis naturæ initiis congruat, deinde veniendum ad illud, quod quanquam poſt oritur, dignius tamen eſt, neque ſumendum tantum, ſi detur, omni modo expetendum.* Auget veritatis ſpeciem,quod *Grotius* poſtquam prima & ſecunda naturæ eorumque diſcrimina prius recenſuiſſet & quod ſecunda naturæ demum poſt prima cognoſcantur, cum tali præfatione verba modo indicata retulerit : *Hæc cum vera ſint & ab omnibus,qui judicio ſano ſunt præditi facile ſine alia demonſtratione aſſenſum impetrent, ſequitur in examinando jure naturæ primum videndum, quid illis initiis naturæ congruat.*

PRO NEGANTE SENTENTIA.

§. 2. Verum negativam ſententiam a *Grotio* extra omnem dubitationem poſitam ſimulque veriſſimam credimus,eaque facile probatur ſequentibus argumentis :

ARG. I.

I. Quæcunque qua talia ſunt homini cum cæteris animantibus communia, in illis qua talibus lex naturæ fundamentalis non continetur.

Prima naturæ qua talia ſunt homini cum cæteris animantibus communia, E.

In primis naturæ qua talibus lex naturæ fundamentalis non continetur.

Major probatur, quia nullum jus proprie dictum cadit in bruta.

Minorem ſic ex *Stoicorum* libris *Cicero* declarat: *Beſtiæ primo, in quo loco natæ ſunt, ex eo ſe non commovent. Deinde ſuo quæque appetitu movetur, ſerpere anguiculos, nare anaticulas, evolare merulas, cornibus uti videmus boves, veſpas aculeis, ſuam denique cuique naturam eſſe ad vivendum ducem. Quæ ſimilitudo etiam in genere humano apparet. Parvi enim primo ortu ſic jacent, tanquam omnino ſine animo ſint: Cum autem paulum firmitatis acceſſerit, & animo utuntur, & ſenſibus, connituntur que, ut ſe erigant, & manibus utuntur, & eos agnoſcunt, a quibus educantur. Deinde æqualibus delectantur, libenterque ſe his congregant, dantque ſe ad ludendum, fabellarumque auditione ducuntur, deque eo, quod ipſis ſuperat, aliis gratificari volunt, animadvertuntque ea, quæ domi fiunt, curioſius, incipiuntque commentari aliquid & diſcere, & eorum, quos vident, volunt non ignorare nomina: quibusque rebus cum æqualibus decertant, ſi vincunt, efferunt ſe lætitia, victi debilitantur animosque demittunt; quorum ſine cauſa fieri nihil putandum eſt. Eſt enim natura ſic generata vis hominis, ut ad omnem virtutem percipiendam*

piendam facta videatur, ob eamque cauſam parvi virtutum ſimulacris, quorum in ſe habent ſemina, ſine doctrina moventur. Hæc *Cicero.*

ARG. II. II. Quæcunque ita ſe habent, ut lex naturæ contra ea agere præcipiat, in illis lex naturæ fundamentalis non continetur.

Atqui prima naturæ ita ſe habent, ut lex naturæ contra ea agere præcipiat. E.

In primis naturæ lex naturæ fundamentalis non continetur.

Major probatur, quia lex naturæ nequit pugnare cum lege naturæ, cum alias recta ratio pugnaret cum ſeipſa.

Minor deducitur ex eo, quod lex naturæ homini interitum ſui ipſius eligere præcipit præ morali crimine. Videantur ea, quæ ſupra *p. 235. & ſeqq.* ad declarandam hujus aſſerti veritatem dicta ſunt. Huc refer ea, quæ habentur *in princ. Inſtit. de excuſationibus tutorum. Qui pro republica ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur.* Jam vero mors e diametro adverſatur primis naturæ eorumque finem, qui erat vitæ corporisque converſatio, per ſe tollit.

RESP. AD ARGG. §. 3. Ad argumenta in contrarium allata facilis reſponſio dari poteſt:

AD ARG. I. Ad I. antequam reſpondeatur, prænotandum ducimus, quod neutiquam confunden-

fundenda ſint *prima naturæ*, ut hactenus ea ſumſimus, cum *primis naturæ rationalis*, quæ ſecundorum naturæ nomine, in reſpectu ſcilicet ad prima naturæ cenſuimus. Quod igitur attinet propoſitionem majorem, quæ ſic ſe habebat: *Quicquid eſt maxime genuinum ac proprium legis naturæ fundamentum, illud continetur inter prima naturæ*, ſi per *prima naturæ* intelligantur, quæ §. 10. p. 342. definivimus, major propoſitio eſt falſa ob rationes §. præcedenti pro vera ſententia allatas. Quando dicebatur in probatione: maxime genuinum ac proprium fundamentũ eſſe primum, hoc veriſſime dicebatur, nihil vero facit ad palliandam propoſitionem majorem. Nam de maxime genuino ac proprio legis naturæ fundamento ſermo eſt: ſive igitur per naturam, de cujus lege agitur, intellectum velis principium efficiens, ſive naturam objecti, non tamen niſi rationalis natura efficit illam legem, (aſt ad rationalis naturæ prima *Grotius* in explicatione primorum naturæ nullatenus reſpexit) nec lex naturæ pro objecto niſi ex ſua natura morale habet, cum quo prima naturæ *Grotio* in hoc capite ita dicta, nihil commercii habent. Igitur fallit major de primis naturæ intellecta, ut nos ad manuductionem *Stoicorum, Ciceronis, Grotii* ea ſumſimus. Quod ſi major propo-

ſitio accipiatur de *primis naturæ rationalis*, ut ſenſus ſit hic: quicquid eſt maxime genuinum ac proprium legis naturæ fundamentum, illud continetur inter prima naturæ rationalis, ſic totum conceditur argumentum, quod non eſt contra noſtram ſententiam, qua negavimus in primis naturæ legem naturæ fundamentalem contineri, quia ibi de primis naturæ rationalis nequicquam agebatur. Ipſi *Stoici* prima naturæ ratione dignitatis ſecundis naturæ poſtponunt, ut ſano ſenſu ordinem appellationis invertere & prima naturæ ſecunda naturæ, ſecundaque naturæ prima naturæ dicere poſſis, ut tamen *Stoicis* ſic dicta prima naturæ ſuam appellationem merito cum ex aliis tum ex ſupra recenſitis cauſis retineant.

RESP. AD ARG. II. Ad II. reſpondetur videri quidem admodum incauto lectori ita potuiſſe, ac ſi *Grotius* ſtet ab affirmantium partibus, isque in primis naturæ legem naturæ fundamentalem contineri cenſuerit, ſed qui *primum & ſecundum caput primi Libri Grotiani*, ut alia loca nunc taceamus, ſedulo inſpicit, nequaquam opinabitur Virum ſui nominis tam facile ſui ipſius oblitum fuiſſe. Unde latet ambiguitas in hac locutione: *ad hæc in doctrina Juris naturalis rite ac recte tradenda & percipienda primo omnium reſpiciendum eſt.* Aut enim illum

ſum habet ſenſum: Ad hæc in doctrina Juris Naturalis rite ac recte tradenda & percipienda primo omnium tanquam ad iſtius doctrinæ fundamentum reſpiciendum eſt; aut iſtum: Ad hæc in doctrina Juris Naturalis rite ac recte tradenda & percipienda primo omnium tanquam occaſionem doctrinæ reſpiciendum eſt. In priori ſenſu ſi hæc loquendi formula adhibeatur, major propoſiti argumenti veriſſima manet, ſed minor adhuc eſt falſa. Falſum enim eſt, quod ad ea, quæ *Grotio* prima naturæ dicebantur, tanquam fundamentum reſpici debeat: nam doctrinæ juris naturalis fundamentum eſt fundamentum doctrinæ de moralitate: prima naturæ autem nec moralitatem, nec ejus doctrinam fundant. Id quod inde liquet, quia veriſſimum eſſe diximus, quod aliquid juris naturalis eſſe poſſit, licet ſit contra prima naturæ. Si vero in poſteriori ſenſu eadem formula uſurpetur, minor veriſſima eſt, hoc eſt, negari nequit, quod in doctrina juris naturalis rite ac recte tradenda ac percipienda primo omnium ad prima naturæ tanquam occaſionem reſpiciendum ſit. Sed hac ratione major evadit falſa. Nam occaſio & fundamentum ſatis manifeſtum ab invicem diſcrimen admittunt. Unde hoc poſterius & nihil certe aliud *Grotius* voluit,

quando ait : *In examinando jure naturæ primum videndum, quid illis naturæ initiis congruat, deinde veniendum ad illud, quod quanquam poſt oritur, dignius tamen eſt, neque ſumendum tantum, ſi detur, omni modo expetendum.* Quaſi dixiſſet : quia nemo eſt, quin cum utrumvis liceat, ſimul velit vitæ corporisque ſui conſervationem, quæque ad illam faciunt, & moralem animi ſui perfectionem, ideo ut *num hoc vel illud ſit juris naturalis ?* examinare & feliciter concludere queas, conſultum fuerit diſpicere, primo an ad corporis & vitæ conſervationem, ſecundo an ad honeſtatem faciat ? Nam ſi doceri poſſit, quod aliquid ſimul utrumque finem, cum primorum naturæ, tum ſecundorum naturæ promoveat, eo certiores evadimus, quod illud ipſum ſit juris naturalis. Hæc de *Grotii* mente dicta ſunto. Huc igitur omne negotium redit : Si in moralibus ſub hac propoſitione : *quicquid neque cum primis naturæ, neque cum ſecundis naturæ pugnat, illud eſt juris naturalis in ſenſu negante, hoc eſt, jure naturæ non prohibitum* ; ſubſumere poſſis : Atqui hoc, de quo quæſtio erat, neque cum primis neque cum ſecundis naturæ pugnat ; tunc nullum dubium ſupereſſe poteſt (modo de veritate aſſumti ſatis conſtet) quin hoc, de quo quæſtio erat, ſit juris naturalis. Interim ſi quis ſic argumentari vellet : Quicquid non eſt con-

tra

tra prima naturæ, hoc eſt juris naturalis, ſeu jure naturæ non prohibitum; ut ita peculiare argumentum extrueret, is egregie falleretur: nam multa non ſunt contra prima naturæ, & tamen jure naturæ ſunt prohibita: Ita, exempli gratia, contra prima naturæ non eſt lædere iſtud animal, quod non læſerat, cum multa animalia lædant, a quibus non lædebantur, & tamen hoc eſt contra jus naturæ, ſi homo ſciens & volens eum, a quo nunquam læſus fuerat, invitum ac immerentem lædat. Imo ut nihil dubitationis remaneat, hoc quoque ſubjicimus: illud quidem ſemper valet: quicquid non eſt contra prima, nec contra ſecunda naturæ, illud juris naturalis eſt, prout juris naturalis eſſe idem notat ac jure naturæ non prohibitum eſſe. At caveat ſibi *Moralium* cultor, ne reciproce valere putet, & perpetuæ veritatis cenſeat hanc propoſitionem: quicquid eſt juris naturalis (hoc eſt, jure naturæ non prohibitum) illud nec eſt contra prima nec contra ſecunda naturæ. Nam tantum abeſt, ut hoc *Grotio* in mentem venerit, ut potius contrarium aſſeruerit plus ſimplici vice in ſuo opere. Imo ne quidem perſuademur, *Grotium* de examinandis juris naturalis doctrinis in univerſum egiſſe, quia *Grotius* ne quidem in animo habuit *σύνταγμα* Juris Naturalis perfectum

tectum his *de Jure Belli & Pacis Libris* includere, ſed ut aperte initio *primi cap.* fatetur, bellicum jus ex profeſſo perſequi voluit, hujusque occaſione, quæ incidiſſent, doctrinas Juris Naturalis tractare. Unde hoc præcipue voluit *Grotius*, quod in decidenda hac quæſtione: An bellum ſit juris naturalis? quæſtione accepta in negante ſenſu (nam de affirmante ſenſu cap. 2. nihil egit, qui ſenſus hic foret: An bellum ſit jure naturæ præceptum?) ſat felici ſucceſſu is verſetur, qui ſedulo nitatur probare, quod bellum neque cum primis, neque cum ſecundis naturæ pugnet, quam felicitatem mox ſequenti *quæſtione* experiemur. Cæterum quis genuinus modus ſit ex fundamento cognoſcendi, quod aliquid in ſenſu affirmante juris naturalis ſit, hoc *præcedenti cap. quæſtione* 4. ad ipſam *Grotii* mentem prolixe excuſſimus.

OCCASIO QUÆSTIONIS. §. 4. Hujus quæſtionis occaſio ſat ampla §. *1. n. 1. 2. 3.* habetur.

Quæſtio II.

An quoddam bellum ſit Juris Naturalis?

§. 1.

PRO NEGANTE SENTENTIA. PRo ſententia negante adduci poteſt ſequens argumentum:

Nul-

Nullum violentum eſt naturale.
Omne bellum eſt violentum. E.
Nullum bellum eſt juris naturalis.

Major patet, quia omne violentum eſt contra naturam.

Minor liquet ex definitione belli, quod, ſi ſumatur pro actu, certatio per vim, ſi pro ſtatu, ſtatus per vim certantium audit.

§. 2. Priusquam detur progredi ad veræ ſententiæ probationem, in anteceſſum notari meretur, duplicem eſſe quæſtionis ſenſum: *Quæſtionis duplex ſenſus prius exponitur.*

1. Negantem: an nempe quoddam bellum jure naturali non ſit prohibitum? 2. affirmantem: an nempe quoddam bellum jure naturali ſit præceptum? Quod priorem quæſtionis ſenſum attinet, probatur affirmans ſententia hoc argumento:

Quicquid non eſt contra prima naturæ, neque contra ſecunda naturæ, illud jure naturali non eſt prohibitum. PRO AFFIRMANTE EAQUE VERA SENTENTIA ARG.
Atqui quoddam bellum non eſt contra prima naturæ, neque contra ſecunda naturæ. E.
Quoddam bellum jure naturali non eſt prohibitum.

Majoris veritas ex fundamentalibus hujus *2. cap.* præceptis, iisque, quæ præcedenti quæſtione notavimus, liquet, imo facile a quovis admittitur, qui modo ſenſum

ſum aſſequitur, hic vero eſt Majoris ſenſus: quicquid nec ad interitum agentis facit, eave, quæ interitum videntur afferre, nec pugnat cum morali animi perfectione, illud non eſt prohibitum jure naturæ.

Minor probatur quoad utrumque membrum: quoad prius, quia quoddam bellum ideo geritur, ut gerens ſe conſervet atque ſuum ſtatum eaque, quæ conſervantia ſunt ejus ſtatus, ita ut absque tali bello ſi foret, in naturæ ſtatu ſe non conſervare poſſet, ſi exempli gratia aperta vi invadatur, ut intereundum invaſo ſit, niſi vi reſiſtat. Inſignem lucem his afferunt, quod omnia animantium genera ex naturali inſtinctu pugnam noverint aliquam, & animantibus ſingulis vires ideo ſint a natura attributæ, ut ſibi tuendis juvandisque ſufficiant. Inde naſcitur talis proſyllogismus: Quocunque omnia animalia ex inſtinctu naturæ viribusque ab eadem ſibi attributis ad conſervationem ſui utuntur, illud non eſt contra prima naturæ. Atqui violenta defenſione ſui ipſius (qua ſi homo utatur, bellum vocamus) omnia animalia ex inſtinctu naturæ viribusque ab eadem ſibi attributis ad conſervationem ſui utuntur. E. violenta defenſio ſui ipſius non eſt contra prima naturæ. Major non habet difficultatem, quia conſervatio ſui ipſius eſt finis

primo-

primorum naturæ. Minorem teſtatur quotidiana experientia: Videmus enim animantium quodque eo ad ſuam tutelam uti, quo maxime valet.

Cornua nota prius vitulo quam frontibus extant,
Illis iratus petit atque infenſus inurget.

Eqvuleus nondum firmatis ungulis calcitrat, catellus dentibus nondum robuſtis morſicat. Novit quodque animantium, quæ pars ſui infirma ſit, quæ valida: Illi cavet, hac utitur. Ut dentibus pardalis, leo & unguibus & dentibus, eqvus ungula, bos cornibus. Tenerrimi infantes quoque in cujus corpuſculis natura nullam vim poſuit, tenerrimis manibus pro armis utuntur. Paucis:

———omnibus hoſtem
præſidiumque datum ſentire & noſcere teli
vimque modumque ſui.

Ceu in hanc rem *Xenophontis*, *Horatii*, *Lucretii*, *Galeni*, *Ariſtotelis*, *Martialis*, *Porphyrii*, *Chryſoſtomi*, ac *Caſſiodori* ſententias noſter *Grotius §. 1. n. 4. cum not.* collegit, qui plane legendus eſt. Quoad poſterius membrum principalis ſyllogiſmi minor tamdiu veriſſima manet, donec monſtretur ulla circumſtantia, quæ intrinſecam turpitudinem hujusmodi violentæ defenſionis fundet, quam quis unice ea fini adhibet,

ut ſe adverſus pernicioſiſſimam ac ſimul injuſtiſſimam vim conſervet. Omnino videantur, quibus *Cicero pluribus locis*, *Ulpianus*, *Cajus* & *Florentinus* JCti *l. Prætor ait 1. §. vim vi 27. D. de vi & vi armata l. itaque 4. D. ad l. Aquiliam l. ut vim 3. D. de Juſtitia & Jure*, aliique apud *Grotium* noſtrum hanc rem inſigniter illuſtrant. Adeſt *omnium* quoque *gentium ac præcipue ſapientum* conſenſio, imo *Sacra* quoque *Scriptura* quædam bella approbat, quomodo igitur dici poſſet, quod omne bellum ſecundis naturæ adverſetur.

Hæc de priori ſenſu. Quod poſteriorem ſenſum quæſtionis concernit, *Grotius* noſter eum in *præſenti capite* non attigit, ſed *ſequenti*, ex quo occaſionem quæſtionis in poſteriori ſenſu decidendæ arripiemus, eo nunc differentes.

Ad Arg. Pro Falsa Sententia Resp.

§. 3. Ad Argumentum in contrarium allatum ut rectius reſpondeatur, poteſt prænotari, quod *naturale* multas habeat ſignificationes, (quas adducere hic loci nec vacat, nec lubet) ex quibus quæcunque tandem intendatur, niſi *naturale* in majore propoſiti argumenti idem ſignificet, quod jure naturæ non prohibitum, ſemper laborat iſtud morbo quatuor terminorum. Quod ſi vero *naturale* in majori propoſitione idem notet ac jure naturali non prohibitum, ſic major eſt falſa,

quæ

quæ huc redit: nullum violentum eſt jure naturæ non prohibitum, ſeu, nullum violentum eſt jure naturæ licitum. Nam huc revocanda venit diſtinctio inter vim juſtã & injuſtam §.26. p.354. allata. Violentum aut idem eſt, quod inferens vim juſtam, aut idem, quod inferens vim injuſtam. De violento priori modo ſumto major falſiſſima eſt. De poſterioris modi violento major vera eſt, ſed minor falſiſſima. Sic ergo aliquid ſimul poteſt eſſe naturale, hoc eſt, jure naturæ licitum, ut tamen non ſit naturale, hoc eſt, adhuc contra naturam, ſeu violentum. Carnifex quando Magiſtratus auctoritate ex facinoroſo corpore animam exeſſe jubet, vim naturæ infert, non juri naturæ.

§.4. Occaſionem quæſtionis exprimit *Grotius* §. 1. 2. & 3. Obiter addimus, quod tres alias ſint ſententiæ circa hanc quæſtionem: duæ extremæ: una media, quæ vera eſt & §. 2. probata. Una extrema eſt *Anabaptiſtarum, Quakerorum*, ut vocantur, hujusque farinæ hominum, qui nempe ſtatuunt, nullum bellum eſſe juris naturalis; extrema altera eſt *Thomæ Hobbæi*, qui omne bellum juris naturalis eſſe cenſet, vult quippe ſtatum naturalem totius humani generis eſſe bellum omnium in omnes. Et mirari ſubeat, quam inſigni ſpecie quove colore huic hypotheſi: *Status naturalis eſt* **OCCASIO QUÆSTIONIS.**

bellum omnium in omnes, diſciplinam legum naturæ ac gentium, & in ſuis *Elementis Philoſophicis de Cive*, & in ampliori *ſcripto de Civitate Civili & Eccleſiaſtica*, cui titulus: *Leviathan*, potuerit ſuperſtruere, ut non immerito *Bœclerus* de *Hobbæo* judicet eum, niſi ipſe ſummus admirator ſui, quam auditor veterum eſſe maluiſſet, ad maximorum ingeniorum gloriam perventurum fuiſſe. Hujus tamen peſtilentiſſimæ hypotheſeos, quam *Hobbes* pro immoto fundamento jactat, examen ac refutationem chartæ præſenti labori deſtinatæ anguſtia repudiat, *Liber* vero noſter *de Jurisprudentiæ Moralis ſtudio* ſuſcipiet. Eo majori quippe cura examinanda hæc hypotheſis venit, quo plures radices in plurium animis egit, ut *Anonymus Auctor Apologiæ pro Hobbæi Libello de Cive Præfatione ad Lectorem* non erubuerit aperte ſcribere, quod *in iſto Hobbæi Libello* vix ſeptendecim quaternionibus conſtante *ea contineantur, quæ talia eſſe ſibi longa experientia conſtet, ut brevi aliquem conſummatum reddere poſſint in Ethico & Politico ſtudio, ſi conſtanti meditatione in ſuccum & ſanguinem convertantur, utque nunquam cum majore fructu in aliquo labor collocari poſſit.* Accedit, quod plures uno refutationem *Hobbianæ Philoſophiæ* felicius tentaverint, quam expediverint; & nemo hactenus felicior in refutando *Hob-*
bio

bio extitit, quam is ipſe, qui, plurimum *Hobbianæ Philoſophiæ* debet, rectius ipſum refutans, & forſan adhuc cum eo ſentiens, quod παράδοξον alibi diducere parati ſumus.

CAPUT III.

De

BELLO PUBLICO, PRIVATO ET MIXTO, PUBLICO SOLENNI ET MINUS SOLENNI, VARIIS JUDICII CESSATIONIBUS, POTESTATE CIVILI, MODIS EAM ACQUIRENDI ET AMITTENDI, POTESTATIS CIVILIS CELEBRIORIBUS DISTINCTIONIBUS, REGALIBUS, SUMMÆ POTESTATIS CIVILIS SUBJECTO, MODIS HABENDI SUMMAM POTESTATEM.

§. 1.

BElli ſpecies, aut ſi ita malis loqui, modi ſunt tres: *Publicum, privatum & mixtum.* DE BELLI MODIS. *Belli modi tres.*

[*Grotius c.3.§.1.n.1.*]

NOTÆ.

I. *Hæc partitio belli prima maximeque neceſſaria eſt.* Recte *Grotius* §. 1.

II. Non incommodius bellum ſaltem in duo membra, nempe publicum & privatum diſtinguitur, res tamen eodem tandem redit: qui enim bimembri diſtinctione belli utuntur, illis integrum eſt, inter bellum publicum aut privatum mere tale & inter bellum mixtum diſtinguere. Sequatur quisque alterutram diſtinctionem pro lubitu.

Bellum publicum quid?

§. 2. *Bellum publicum eſt, quod auctoribus iis geritur,* qui poteſtatem civilem *habent*, qua talibus: Exempli gratia, bellum, quod David geſſit in Regem Ammonitarum.

[*Grotius* §. 1. n. 1.]

NOTÆ.

I. Per poteſtatem Civilem non modo intelligitur poteſtas ſumma, ſed quoque poteſtas ſubordinata.

II. Quod nos poteſtatem civilem vocamus, ipſe *Grotius* §. 6. ſic appellat, in definitione vero belli nuncupare voluit *juriſdictionis* vocabulo. Quamvis enim *juris civilis interpretibus* juriſdictio idem ſit,

quod

quod poteſtas de civilibus & privatis cauſis jus reddendi, jure Magiſtratus competens, eaque judicia, quæ a Principe exercentur, ipſi vero nolint exercitium jurisdictionis, ſed cognitiones appellare, uſus tamen eſt *Grotius* libertate Philoſophica, æque ac *Philoſophi* Magiſtratum alium dicunt ſummum, ut ſic Princeps ſit Magiſtratus, alium ſubordinatum, quamvis rigoroſiores *Juris Civilis Interpretes Jurisdictionem* nunquam Principi, ſed Magiſtratui competere dicant, Principem *Magiſtratus* nomine appellare veriti. Nec tamen deſunt e *JCtis*, qui *jurisdictionem Principi* attribuunt, ſicuti plures adducit *Fernandus Vasquius*, JCtus Hiſpanus, *controverſiarum Uſu frequentium L. I. c. 1. de Regno & Imperio n. 3. p. m. 2.* eosdem ſecutus.

§. 3. *Bellum privatum eſt, quod auctoribus iis geritur*, qui poteſtatem civilem *non habent, quatenus non habent:* Exempli gratia, bellum inter viatorem & latronem. *Bellum privatum quid?*

[*Grotius* §. *1. n. 1.*]

§. 4. *Bellum mixtum eſt, quod una ex parte eſt publicum, ex altera privatum:* exempli gratia inter Regem & ſubditos ejus rebelles. *Bellum mixtum quid?*

[*Grotius* §. *1. n. 1.*]

Belli publici diſtinctio.

§. 5. Publicum bellum iterum diſtinguitur in *ſolenne ex jure gentium & minus ſolenne.*

DE BELLO SOLENNI AC MINUS SOLENNI.

[*Grotius* §. 4. *n.* 1.]

Bellum ſolenne ex jure gentium quod?

§. 6. *Bellum ſolenne ex jure gentium eſt, quod geritur utrinque auctore eo, qui ſummam poteſtatem habet in civitate, ut ritus* ſimul *adſint* jure gentium introducti.

[*Grotius* §. 4. *n.* 1.]

NOTÆ.

I. *Duo* ergo ad *bellum, ut ſolenne ſit ex jure gentium, requiruntur: 1. ut geratur utrinque auctore eo, qui ſummam poteſtatem habet in Civitate. 2. ut quidam ritus adſint,* inter quos præcipuus eſt ritus indictionis, quo de *L. III. c.3.* agetur. *Hæc quia conjunctim requiruntur, ideo alterum ſine altero non ſufficit,* adeoque ſi alterutrum deſit, vel etiam utrumque, non erit bellum, licet publicum ſit, ſolenne, ut peculiari definitione belli minus ſolennis haud opus eſſe videatur.

II. Bellum ſolenne ex jure gentium plerunque juſtum abſolute dici ſolet, ubi tamen reſpectus ad jus gentium haberi debet, ut bellum juſtum abſolute ſic dictum

ctum idem ſit, quod bellum habens omnes, vel præcipuos omnes effectus juris gentium voluntarii.

III. Non igitur bellum, quod bello juſto ſimpliciter ſic dicto in modo allato ſenſu opponitur, ſive iſtud ſit publicum ſive privatum ſive mixtum, ſtatim omni modo injuſtum cenſendum eſt, etſi non dicatur juſtum, propterea quod præcipuis effectibus juri gentium voluntario propriis careat.

§. 7. Ceſſatio judicii nobis in præſenti dicitur, quando auxilium Magiſtratus (judicis) deficit: exempli gratia, quando latro viatorem ſolus ſolum aggreditur, ut huic pereundum ſit, niſi privato bello ſe defendat, in talis defenſionis puncto ceſſat judicium, fruſtra enim viator magiſtratum, qui ſibi ferat ſuppetias, expectat. De ceſsationibus Judicii variis. *Ceſſatio judicii quid?*

NOTÆ.

I. Magiſtratus voce hic utimur in concreto ac ita, ut quemvis aut quoſvis notat, cui aut quibus poteſtas in civitate competit.

II. Fuerunt, qui diſtinxerunt inter judicem & magiſtratum, illique hujus nomen non convenire putarunt: Enimvero

ro cuivis accuratius rem penetranti facile apparet, fieri ſerme non poſſe, ut judex nihil cum officio Magiſtratus habeat commune, quia nequit omnino coërcendi vi penitus deſtitui; nam *cui jurisdictio data eſt, eidem quoque ea conceſſa eſſe videntur, ſine quibus jurisdictio commode exerceri nequit*, ceu *Javolenus JCtus* tradit *l. cui jurisdictio 2. D. de Jurisdictione*. Ita cenſet celeberrimus *Dn. Conringius diſſertatione de Cive & Civitate* §. 12. ubi pluribus videatur.

Ceſſatio judicii duplex. §. 8. *Ceſſatio judicii duplex eſt, momentanea & continua.*

[*Grotius* §. 2. *n.* 1.]

Momentanea ceſſatio judicii quid? §. 9. Momentanea ceſſatio judicii eſt, quando Magiſtratus (*judex*) *expectari non poteſt ſine certo periculo aut damno.* Exemplum momentaneæ ceſſationis petatur ex §. præcedenti ſeptimo.

[*Grotius* §. 2. *n.* 1.]

Continua ceſſatio judicii quid? §. 10. *Continua ceſſatio* judicii eſt, quando Magiſtratus (judex) plane non datur: Exempli gratia, continua ceſſatio judicii eſt, *ſi quis*, qui *verſatur in inſula vacua*, ſe defendat adverſus alium,

alium, qui forte in eandem inſulam veniebat eumque vi adoriebatur.

[*Grotius* §. 2. n. 1.]

§. 11. Continua ceſſatio judicii rurſus duplex eſt, alia *juris*, alia *facti*. *Continua ceſſatio judicii duplex.*

[*Grotius* §. 2. n. 1.]

§. 12. *Jure* ceſſat judicium *continue*, *ſi quis verſetur in locis* ſolitariis, ubi nullus Magiſtratus (*judex*) datur: exempli gratia *in ſolitudine, inſulis vacuis, & ſi qua alia ſunt loca, in quibus nulla eſt civitas.* *Ceſſatio judicii continua juris quæ?*

[*Grotius* §. 2. n. 1.]

§. 13. *Facto* ceſſat judicium *continue*, *ſi ſubditi* Magiſtratum (*judicem*) *non audiant, aut* Magiſtratus (*judex*) *aperte cognitionem rejecerit.* *Ceſſatio judicii continua facti quæ?*

[*Grotius* §. 2. n. 1.]

NOTA.

Ad doctrinam de judiciorum ceſſationibus illuſtrandam facit totus *titulus* 27. *Cod. quando liceat unicuique ſine judice ſe vindicare*, qui eſt exceptio *tituli præceden-*

tis quinti : ne quis in ſua cauſa judicet, vel jus ſibi dicat.

De Poteſtate Civili. *Poteſtas civilis quid?*

§. 14. Poteſtas Civilis eſt *facultas moralis civitatem gubernandi.*

[*Grotius* §. *6. n. 1.*]

Nota.

Quid hoc loco facultas moralis ſignificet, repetatur ex ſuperiori *c. 1.* §. *9. cum not. p. 23. & ſeqq.* imprimis vero §. *16. cum not. p. 38.*

De Modis Poteſtatem Civilem Acquirendi Et Amittendi. *Modus acquirendi Poteſtatem Civilem in alterum duplex.*

§. 15. Modus acquirendi poteſtatem civilem in alterum eſt duplex: acquiritur namque 1. libero ejus (eorum) in quem (quos) acquiritur, conſenſu: Ita exempli gratia Populus Campanus olim Populo Romano ſe ſubjecerat in hunc modum: *Populum Campanum, Urbem Capuam, agros, delubra Deûm, divina humanaq; omnia, in veſtram P. C. ditionem dedimus.* 2. contra ejus (eorum) in quem (quos) acquiritur, voluntatem: ita belli jure in multos populos imperia acquiſita fuiſſe apud Hiſtoricos paſſim legitur.

[*Grotius* §. *8. n. 2. & 6.*]

NO-

Nota.

Duobus modis iterum fieri poteſt, ut libero ejus (eorum) in quem (quos) poteſtas civilis acquiritur, conſenſu ea acquiratur: 1. ut ab eo (iis) in quem ſcilicet aut quos acquiritur, poteſtas civilis in alium (alios) transferatur. Exemplum eſto Populus Campanus in *§. præcedenti.* 2. ut ab eo (iis) in quem quosve acquiritur, in alium (alios) non transferatur: ita Populus Iſraeliticus θεοκρατίας pertæſus a Deo petiit ſupra ſe Regem, quales habebant vicini, quem etiam Deus ipſi dedit.

Modus amittendi poteſtatem civilem duplex.

§. 16 Modus amittendi poteſtatem civilem itidem duplex eſt: amittitur quippe 1. actu voluntario ſeu libero ejus (eorum) qui amittit (amittunt) conſenſu: ita Campani poteſtatem civilem amiſiſſe dicebantur. 2. actu invito ſeu contra voluntatem amittentis (amittentium) ita populos jure belli ſubactos poteſtatem civilem amiſiſſe dicimus.

[*Grotius* §. 8. *n.* 2. & 6.]

De celebrioribus poteſtatis civilis diſtinctionib.

Poteſtas civilis duplex

§. 17. Poteſtas civilis eſt duplex: *ſumma* & ſubordinata.

[*Grotius* §. 7. *n.* 1.]

§.18. *Sum-*

Summa poteſtas civilis quid?

§. 18. *Summa poteſtas civilis dicitur illa poteſtas civilis, cujus actus alterius juri non ſubſunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti poſſint reddi.* Exempli gratia Regis in regno.

[*Grotius* §. 7. n. 1.]

NOTÆ.

I. Studio dicitur: alterius. Manet enim poteſtas civilis ſumma, licet is, qui ſummam poteſtatem civilem habet, ejus actum ſuæ voluntatis arbitrio irritum reddat: Nam ſumma poteſtas dicit ſummam libertatem, quidni ei, qui ſummam poteſtatem habet, voluntatem mutare liceret? Et licet ſucceſſor anteceſſoris actus ſummę poteſtatis irritos reddat, vi tamen ejusdem ſummi juris ſeu ſummæ poteſtatis id facit, juxta illud: *qui cedit in locum, cedit in jus*, unde perinde eſt, ac ſi ipſe anteceſſor voluntatem ſuam mutaſſet.

II. Summa poteſtas civilis vocatur alias uno nomine in hodiernis *Politicorum Scholis Majeſtas*, qua voce liceat impoſterum uti.

Poteſtas civilis ſubordinata quid?

§. 19. Poteſtas civilis ſubordinata vocatur illa poteſtas civilis, cujus actus alterius juri ſubſunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti

riti poſſint reddi, exempli gratia Conſulis in urbe Principis imperio ſubjecta.

NOTA.

Utut poteſtas civilis qua talis non ſit vera ac realiter exiſtens qualitas, poteſt tamen cum ea apprime comparari multis modis: Nam phyſica qualitas ſpectatur 1. ratione ſui, ſeu, ut *Schola* loqvuntur, ratione ſuæ entitatis. 2. ratione intenſionis aut remiſſionis. 3. ratione extenſionis. 4. ratione protenſionis, ut terminos in *Philoſophia Theoretica* receptos adhibeamus. Sicut igitur calor 1. in ſe ſpectatur, ut nempe *Ariſtoteli* eſt qualitas congregans homogenea & ſegregans heterogenea, ita poteſtas civilis in ſe ac ratione ſui conſiderata dicebatur facultas moralis civitatem gubernandi. Uti 2. calor ratione intenſionis ac remiſſionis ſpectatus, ut major aut minor, item ſummus: ſic poteſtas civilis ut major ac minor, minima ac maxima conſiderari poteſt, ſummaque poteſtas civilis demum a recentioribus Politicis communiter Majeſtas dicitur. Reliquos comparationum modos in mox ſequentibus tangemus.

§. 20. Præcipuæ diſtinctiones Majeſtatis ſunt duæ ſequentes: Dividitur *Majeſtatis diſtinctio.*

tur

tur 1. Majeſtas in plenam & minus plenam.

NOTA.

Occaſionem hujus diſtinctionis præbet *Grotius*, quando §. *14.* monet *diſtinguendam eſſe ſummitatem imperii ab habendi plenitudine.*

Plena Majeſtas quid? §. 21. Plena Majeſtas eſt ſumma poteſtas civilis cum relatione ad omnia omnino objecta ſpectata, ad quæ poteſtas civilis extenditur: ita exempli gratia Regis poteſtas in pura Monarchia eſt plena Majeſtas.

Minus plena Majeſtas quid? §. 22. Minus plena Majeſtas eſt ſumma poteſtas civilis, quæ non reſpicit omne objectum, ad quod alias poteſtas civilis pertingit: e. gr. ſi quis in civitate habeat ſummam poteſtatem circa leges, nec tamen circa bellum, ejus ſumma poteſtas civilis dicitur minus plena.

NOTA.

Uti qualitatem vere ac realiter exiſtentem diximus quoque cognoſci poſſe ratione extenſionis, ut e. gr. calor ad plura aut pauciora objecta porrigitur: ſic ut ad pauciora paucioraque aut plura vel omnia

omnia objecta Majeſtatis extenditur, minus-minusque aut magis, item abſolute plena dici poteſt.

§. 23. Majeſtas 2. diſtinguitur in perpetuam & temporariam. *Majeſtatis diviſio 2.*

NOTA.

Hujus diſtinctionis occaſionem ſubminiſtrat *Grotius §. 11. n. 1.* quando eorum mentionem facit, qui *ſummam poteſtatem habere poſſunt jure temporario.*

§. 24. Majeſtas perpetua eſt Majeſtas, quæ nullo tempore revocabilis eſt, hoc eſt, nunquam ab eo, (iis) qui habet (habent) eam, contra ipſius (ipſorum) voluntatem juſte revocari poteſt: exempli gratia, talis Majeſtas eſt, quam in populum pleno jure belli omnino ſubactum Victor ſibi acquiſivit. *Majeſtas perpetua quid?*

NOTA.

Ejus mentionem *Grotius facit §. 11. num. 3.*

§. 25. Majeſtas temporaria eſt Majeſtas, quæ certo tempore irrevocabilis eſt, hoc eſt, intra illud tempus, unde temporaria denominatur, ab eo, *Majeſtas temporaria quid?*

(iis)

(iis) qui habet (habent) eam contra ipſius (ipſorum) voluntatem juſte revocari nequit: exempli gratia, talem Majeſtatem Grotius dictatorum Romanorum fuiſſe vult, a quibus Senatus Populusque Romanus Majeſtatem non potuerit quovis temporis articulo revocare, ſed tum demum, ubi ſemeſtre ſpatium præſtitutum fuiſſet elapſum.

NOTA.

Uti Philoſophi notant qualitatem ratione protenſionis ſpectari poſſe, ut exempli gratia calor in aqua omni aut diuturno, aut exiguo tempore durat: ita quoque Majeſtas ratione durationis conſiderari poteſt.

DE REGALIBUS.

§. 26. Majeſtas plena dividitur in omnes ſuas *partes*, illæque partes a Politicis ac Publiciſtis vocantur jura Majeſtatica, item regalia.

[*Grotius* §. *6. n. 2.*]

Majeſtatis diviſio in præcipuas partes.

§. 27. Diviſio Majeſtatis in partes ſic inſtitui poteſt: *Facultas moralis ſumma civitatem gubernandi aut eſt facultas mora-*

moralis civitatem gubernandi per ſe, aut civitatem gubernandi per alios.

[*Grotius* §. 6. n. 2.]

NOTÆ.

I. *Si quis recte partiri velit plenam Majeſtatem* noſtri *Grotii* judicio, *facile quæ huc ſpectant, reperiet omnia, ita ut nihil deſit, aut abundet.* Nam qui civitatem regit, aut per ſe aut per alios regit. *Facimus* quippe *& quod per alium facimus, Grotius L. II. c. 6. §. 9.* & *quod faciendi quis alii jus dat, ejus ipſe auctor cenſetur L. I. c. 3. §. 5. n. 2.* quod vulgo *Scholæ Politicæ* ſic efferunt: *quod quis per alium facit, per ſe feciſſe putandus eſt*, & *Scholæ Metaphyſicæ: cauſa cauſæ eſt etiam cauſa cauſati.*

§. 28. *Facultas moralis ſumma civitatem gubernandi per ſe aut verſatur circa univerſalia, aut circa ſingularia.* Majeſtatis ſubdiviſio.

[*Grotius* §. 6. n. 2.]

§. 29. *Majeſtas circa univerſalia pro objecto habet leges tam circa ſacra quam profana.* Majeſtatis ſubdiviſio.

[*Grotius* §. 6. n. 2.]

NOTÆ.

I. Majeſtas circa leges rurſus diſtingui

 poteſt

poteſt in poteſtatem leges ferendi & in poteſtatem leges mutandi.

II. Poteſtas circa leges pro objecto quoque habere poteſt res ſacras, quam in rem egregius extat noſtrii *Grotii Commentarius poſtumus de Imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra.*

III. Artem (ſcientiam in formam diſciplinæ redactam) circa Majeſtatem, quæ circa univerſalia verſatur, *Ariſtoteles* vocat ἀρχιτεκτονικὴν architectalem.

IV. Datur enim ſcientia de prudentia Legumlatrice.

Alia Majeſtatis ſubdiviſio.

§. 30. *Majeſtas circa ſingularia rurſus aut verſatur circa directe publica, aut circa privata, quatenus ſcilicet ad publicum ordinantur.*

[*Grotius* §. 6. n. 2.]

Alia Majeſtatis ſubdiviſio.

§. 31. Majeſtas circa privata pro varietate objectorum variat, *in quantum res controverſas inter ſingulos publica auctoritate dirimi publicæ quietis intereſt.*

[*Grotius* §. 6. n. 2.]

NOTA.

Ariſtoteles doctrinam ac ſcientiam de prudentia forenſi vocat δικαστικὴν judicialem.

§. 32. Ma-

§. 32. *Majeſtas circa ſingularia directe publica, aut verſatur circa actiones, aut circa res: circa actiones, ut: pacis, belli, fœderum faciendorum; circa res, vectigalia & ſi quæ his ſunt ſimilia.* *Majeſtatis alia ſubdiviſio.*

[*Grotius* §. 6. n. 2.]

NOTÆ.

I. Doctrinam ac ſcientiam de prudentia conſultatrice, quæ circa hæcce talia verſatur, *Ariſtoteles* nomine generis πολιτικὴν, id eſt, civilem, item βουλευτικὴν conſultatricem nuncupat.

II. Facile erat pro actionum ac rerum varietate novam ſubdiviſionem jurium Majeſtaticorum inſtituere.

III. Ad Majeſtatem circa res *Grotius* refert quoque dominium eminens, quod in ſubditos & res ſubditorum ad uſum publicum dari credit, quo de *ſequenti libro cap. 2.*

§. 33. *Facultas moralis ſumma civitatem gubernandi per alios aut eſt facultas gubernandi eam per Magiſtratus* (inferiores) *aut per alios curatores, in quibus ſunt & Legati.* *Alia Majeſtatis ſubdiviſio.*

[*Grotius* §. 6. n. 2.]

NOTA.

His ergo in rebus conſiſtit poteſtas civilis, hoc eſt, plenitudo ſummæ poteſtatis civilis ſeu Majeſtatis, & ad hæc capita tandem omnis Majeſtas reducitur.

DE SUBJECTO MAJESTATIS.

Subjectum Majeſtatis quid?

§. 34. Subjectum Majeſtatis dicitur ea perſona (eæ perſonæ) penes quam (quas) eſt Majeſtas.

Subjectum Majeſtatis quotuplex?

§. 35. *Subjectum Majeſtatis aliud eſt commune, aliud proprium.*

[*Grotius* §. 7. *n.* 1.]

NOTÆ.

I. *Ut viſus commune ſubjectum eſt corpus, proprium oculus, ita ſummæ poteſtatis ſubjectum commune eſt civitas, proprium eſt perſona una pluresve pro cujusque gentis legibus ac moribus. Grotius* §. 7. *n.* 1. & 3.

II. Videri poterat, ac ſi *Grotius* Monarchomachorum diſtinctioni inter Majeſtatem realem & perſonalem quoddam patrocinium præbeat. Enimvero minime credimus, in animo *Grotii* hanc diſtinctionem fuiſſe, cum absque manifeſtæ contradictionis nota hunc ipſum paragraphum ejusque contextum neutiquam potuiſſet aſpicere. Nec apparet, quomodo ex adhibita ac a viſu petita ſimilitudine collig

poſſi

poſſit, ſententiæ Monarchomachorum Majeſtatem radicaliter & fundamentaliter per populum ſtatuminantium occaſionem datam eſſe. Uti enim viſus extra corpus non datur, non tamen propterea in omni datur corporis ſentientis parte, ſed in oculo, ut adeo ſubjectum viſus non ſit realiter duplex, ſed ſaltem arguatur duplex reſpectus viſus: Unus ad totum corpus, alter præciſe ad oculum; ita videtur *Grotius* diſtinctione inter ſubjectum Majeſtatis commune & proprium indicare voluiſſe, quod ſi conſideres maxime perfectum cœtum, nempe civitatem, exempli gratia ſub forma regni, Majeſtas, qua cœtus regitur, non detur extra illam civitatem, neque tamen penes quemlibet ex cœtu, ſed penes Regem civitatis oculum, ut adeo non ſit aliud ſubjectum Majeſtatis Rex, aliud tota civitas.

§. 36. *Subjectum commune Majeſtatis eſt civitas.* *Subjectum commune Majeſtatis quod?*

[*Grotius §. 7. n. 3.*]

NOTA.

Supra *c. 1. §. 31. not. 2. p. 88.* definiebatur a *Grotio* Civitas, quod ſit *cœtus perfectus liberorum hominum juris fruendi & communis utilitatis cauſa ſociatus.* *Ariſtoteles L. I. Politicorum* ſic definit civitatem:

Eſt ſocietas ex pluribus pagis perfecta omnis jam ſufficientiæ finem habens, orta quidem cauſa vivendi, permanens autem bene vivendi cauſa.

Subjectum proprium Majeſtatis quid? §. 37. *Subjectum proprium ſummæ poteſtatis eſt perſona una pluresve pro cujusque gentis legibus ac moribus.*

[Grotius §. 7. n. 3.]

NOTA.

Quando unica perſona eſt ſubjectum Majeſtatis tunc datur Monarchia: quando plures perſonæ, adeſt Polyarchia.

DE MODIS HABENDI SUMMAM POTESTATEM. *Notabilis diſtinctio.* §. 38. Pauca de modis habendi Majeſtatem adjicere lubet apprime neceſſaria ac certe magni uſus. Scilicet bene notandum, quod aliud ſit plenum habere imperium, aliud vero plene habere imperium.

NOTA.

Aliud enim eſt de re quærere, aliud de modo habendi. Grotius §. 11. n. 1.

Plenam habere Majeſtatem quid? §. 39. Plenam Majeſtatem habere dicitur, qui habet omnia jura Majeſtatica: exempli gratia in pura Monarchia Monarcha plenam habet Majeſtatem.

§. 40. Ple

§. 40. Plene Majeſtatem habet is, penes quem eſt jus alienandi Majeſtatem ita, ut eam in tertium transferat, ſive populus, in quem Majeſtatem habet, velit eam alienari, ſive nolit. *Plene habere Majeſtatem quid?*

[*Grotius* §. 12. *n.* 1.]

NOTÆ.

I. *Grotius* noſter ſic effert: *quando ſumma poteſtas eſt in pleno jure proprietatis, in patrimonio ejus, qui eam habet.*

II. Hinc talis Majeſtas patrimonialis dici poterat.

III. De alienatione Majeſtatis agetur ſequenti *L. II.* maxime *c.* 4. & 9.

§. 41. Poteſt quis habere plenam Majeſtatem, ut tamen non habeat plene Majeſtatem: Poteſt quis plene habere Majeſtatem, ut tamen non habeat plenam Majeſtatem: Poteſt quis habere Majeſtatem, ut tamen nec plenam, nec plene habeat: Poteſt quis habere Majeſtatem, ut & plenam & plene habeat. *Notabilis diſtinctio.*

NOTÆ.

I. Singula quatuor aſſerta exemplis declarabimus: 1. dicebatur, quod quis

poſſit plenam habere Majeſtatem, ut tamen non habeat plene Majeſtatem: ita exempli gratia purus Monarcha liberrimis populi ſuffragiis conſtitutus ſupra ipſum, in pura Monarchia plenam Majeſtatem ſic habere poteſt, ut invito auferri non debeat, nondum tamen id propter plene habet Majeſtatem, quando penes ipſum non eſt jus transferendi Majeſtatem ad tertium. Afferebatur 2. quod quis plene habere poſſit Majeſtatem, ut tamen non plenam habeat Majeſtatem: exempli gratia in republica mixta ex Monarchia & Ariſtocratia Monarcha unum alterumve regale habere poteſt pleno jure proprietatis, ut tamen non omnia jura Majeſtatica habeat, utut aliqua ſint in ejus patrimonio 3.notabatur, aliquem poſſe habere Majeſtatem, ut tamen nec plenam, nec plene habeat: ita ſi in mixta republica ex Monarchia & Ariſtocratia Monarcha haberet aliquas partes Majeſtatis ſeu jura Majeſtatica, non tamen omnia jura Majeſtatica haberet, ſic Majeſtatem haberet non plenam, ſed minus plenam: & ſi nullum eorum jurium in patrimonio Monarchæ eſſet, ſic nec plene haberet ullam partem Majeſtatis, hoc eſt pleno jure, quando nullam partem Majeſtatis poſſet in tertium transferre. Tandem 4. diximus, quod quis Majeſtatem habere plenam, ſimul

ſimul & plene poſſit: Ita Victor in populum, quem totum e medio tollere juſte potuerat, & plenam Majeſtatem, ſi voluit, habere & plene poteſt, idque populo cedit in beneficium.

II. Ex his probe perſpectis colligere *Moralium cultor* poteſt, unde fiat, quod alienatio Majeſtatis in populum nunc nullo, nunc aliquo, nunc omni modo a populi arbitrio pendeat, prout alio atque alio modo Majeſtas habetur, nunc plena non plene, nunc non plena plene, nunc plena plene, nunc nec plena nec plene, ad quod tamen ſemper accurate reſpiciendum eſt. Si naturalia contractuum, uti *JCti* docent, per pacta adjecta mutari poſſunt, ſi pactum circa naturalia in continenti adjectum ita ineſt contractui, ut ipſam contractus naturam formet, augeat minuatve, cur in acquiſitionibus ac translationibus Majeſtatis conveniri non poſſet, ut vel ſic vel alio modo habeatur? Quid? ſi quis ſacramento adſtringatur ad retinendam plenam Majeſtatem ad dies vitæ, illius arbitrio tantum abeſt ut relinquatur translatio ad tertium, ut ne quidem ſalvis naturæ juribus illam a ſe ſaltem abdicare poſſit, etſi alienatio conjuncta non ſit cum translatione ad alium aliosve facta.

Alia notabilis diſtinctio.

§. 42. Aliud eſt indiviſim habere plenam Majeſtatem, aliud eſt plene habere plenam Majeſtatem. Aliud eſt diviſim, aliud non plene habere Majeſtatem.

Indiviſim habere plenam Majeſtatem quid?

§. 43. Indiviſim habere plenam Majeſtatem eſt ita habere Majeſtatem, ut vel unicus plenam Majeſtatem habeat, vel plures quidem plenam Majeſtatem habeant, ut tamen nullus eorum, qui habent plenam Majeſtatem, ſummæ poteſtatis actus exercere poſſit absque alius aliorumve, qui itidem plenam Majeſtatem habent, præſcitu: e. gr. in pura Monarchia Monarcha, in pura Ariſtocratia Ariſtocrates, in pura Politia populus, indiviſim plenam habent Majeſtatem.

Diviſim habere plenam Majeſtatem quid?

§.44. Diviſim habere plenam Majeſtatem dicuntur, penes quos eſt plena Majeſtas, ut tamen unus (plures) certam illius Majeſtatis partem partesve habeat (habeant) quas exercere poſſit (posſint) alio (aliis) inconſulto (inconſultis) e. gr. in Republica mixta ex Monarchia & Ariſtocratia ſi Monarcha

narcha certas Majeſtatis partes ſibi reſervatas haberet, quarum actus inconſultis Ariſtocratibus exercere poſſet, ſic Monarcha & Ariſtocrates in ejusmodi mixta Republica diviſim haberent plenam Majeſtatem.

NOTÆ.

I. Poſſunt aliqui plene habere Majeſtatem, ut tamen indiviſim penes illos non ſit Majeſtas: Ita e.gr. ſi in Republica mixta diviſa eſſent jura Majeſtatica inter Monarcham & Ariſtocrates, tunc quidem indiviſim Majeſtas non eſſet penes illos, poſſet tamen quælibet imperantium pars ſua jura Majeſtatica, ſicque Majeſtatem plene habere. E contrario poſſunt aliqui indiviſim habere Majeſtatem, ut tamen plene non habeant Majeſtatem: e.gr. ſi populus Ariſtocratibus vendidiſſet Majeſtatem ſub conditione, ne ſimul jus haberent alienandi, ſic ſane Ariſtocrates indiviſim haberent Majeſtatem, plene eam non haberent.

II. Aliud eſt diviſim habere Majeſtatem, aliud eſt diviſim habere plenam Majeſtatem. Fieri enim poteſt variis modis, ut diviſim habeatur Majeſtas: 1. ut alius aliive illud illave, alius aliive habeant hoc aliaque jura Majeſtatica ſibi tantum reſervata: exempli gratia, ſi in Republica

mixta ex Monarchia, Ariſtocratia & Democratia Rex haberet poteſtatem circa bellum, ſenatus ſummam poteſtatem circa leges, populus ſummam poteſtatem circa creandos Magiſtratus &c. 2. ut alius aliive certa jura Majeſtatica ſibi reſervata habeant, alius tamen aliive nulla ſciant ſibi reſervata, quamvis certa Majeſtatica jura cum illo illisve habeant communia: exempli gratia, ſi daretur reſpublica mixta ex Monarchia & Ariſtocratia, ita ut Monarcha omnia jura Majeſtatica habeat, alia tanquam ſibi ſoli reſervata, alia tanquam comitiorum jura, Ariſtocrates vero non habeant omnia, ſed ea ſaltem, quæ una Monarcha habet cum ipſis communia, ſic Monarcha & Ariſtocrates in tali caſu diviſim habent plenam Majeſtatem: plenam habent, quia Monarcha habet quidem plenam Majeſtatem, non tamen ſolus, ſed certas partes habet cum Ariſtocratibus communes: diviſim habent, quia alias Majeſtatis partes, quas veram Majeſtatem minus plenam licebit dicere, ſibi reſervatas habet Monarcha, earumque actus inconſultis Ariſtocratibus exercere poteſt, unde caute hiſce terminis, quibus modi habendi Majeſtatem exprimuntur, uti decet. In modo allato exemplo ſolus Monarcha habet plenam Majeſtatem, quia omnes partes Majeſtatis habet,

habet, ſed non ſolus habet Majeſtatem, quia certas partes cum Ariſtocratibus communes habet: De ſolo Monarcha vere dicitur, quod habeat plenam Majeſtatem h. e. omnes partes Majeſtatis: non enim, Ariſtocrates habent omnia jura Majeſtatica, adeoque plenam Majeſtatem non habent. Monarcha habet diviſim Majeſtatem minus plenam, Ariſtocrates minime. Monarcha plenam habet Majeſtatem ex parte diviſim, ex parte indiviſim: Ariſtocrates ex nulla parte diviſim habent. In eo modo habendi Monarcha & Ariſtocrates conveniunt, quod ambo indiviſim minus plenam Majeſtatem habeant. Imo nec repugnat unum pluresve in Republica mixta carere his illisve partibus Majeſtatis, ut tamen eas adhuc habeant in ſua Republica, quia accidere poteſt, ut Ariſtocrates certis partibus Majeſtatis in ordine ad Rempublicam mixtam, quam ſuo modo conſtituunt, careant, neque tamen ſinguli ex Ariſtocratibus deſinant eas habere ratione ἀυτοκρατορίας & peculiarium ſuarum principatuum.

QUÆSTIONES.

Quæſtio I.

An bellum privatum ſit proprie dictum bellum?

§. 1.

Pro Negante Sententia.

Negativa poteſt ſuaderi ſequentibus rationibus:

Arg. I.

I. Si injuſta pœna non eſt proprie dicta pœna, ſequitur quod privatum bellum non ſit proprie dictum bellum.

Prius eſt verum E. & poſterius.

Conſequentia Majoris probatur, quia bellum privatum dicit vindictam privatam, vindicta autem privata arguit injuſtam pœnam.

Arg. II.

II. Cui non competit jus belli, ille non gerit proprie dictum bellum.

Privato non competit jus belli. E.

Major videtur manifeſta.

Minor probatur, quia jus belli eſt regale ſeu jus majeſtaticum.

Arg. III.

III. Si privatus non poteſt mittere legatum proprie dictum, ſequitur eum etiam non poſſe gerere proprie dictum bellum.

Prius eſt extra dubitationem poſitum. E.

Ma-

Major propoſitio patet, quia utrobique par ratio eſt. Quisquis non tenet ſummum imperium, nequit mittere legatos proprie dictos, ergo nec poteſt bellum proprie dictum gerere.

IV. Accedit auctoritas & conſenſus *JCtorum*: Ita *Ulpianus l. hoſtes 24. D. de captivis & poſtliminio*: *Hoſtes*, ait, *ſunt, quibus bellum publice populus Romanus decrevit, vel ipſi populo Romano: Cæteri latrunculi vel prædones appellantur. Et ideo qui a latronibus captus eſt, ſervus latronum non eſt: nec poſtliminium illi neceſſarium eſt. Ab hoſtibus autem captus & ſervus eſt hoſtium, & poſtliminio ſtatum priſtinum recuperat*. *Cicero III. offic. Pirata*, inquit, *ut & latro & prædo, non eſt ex perduellionum numero.* Pariter *Philipp. IV.* ſic diſſerit: *Ille hoſtis eſt, qui habet Remp. curiam, ærarium, conſenſum & concordiam civium, & rationem aliquam, ſi res ita tulerit: pacis & fœderis, reliqui etiam, ſi exercitus habeant, & milites atque imperatores ſe ferant, non pro hoſtibus, ſed pro latronibus & ſpartacis ſunt habendi.* Imo nemo *Politicorum* ac *JCtorum* privatorum per vim certantium, qua tales ſunt, ſtatus ac certamina *bella* vocat. ARG. IV.

§. 2. Verum affirmativa eſt noſtri *Grotii* eamque rationibus ſat probabilibus probare ſategit, quas in ſequentes ſyllogiſmos lubet redigere: I. Quic-

PRO AFFIRMANTE EAQUE VERA SENTENTIA.

Arg. I. I. Quicquid eſt ſtatus per vim certantium, qua tales ſunt, illud eſt proprie ſic dictum bellum.

Bellum privatum eſt ſtatus per vim certantium, qua tales ſunt. E.

Bellum privatum eſt proprie ſic dictum bellum.

Major nititur maxima dialecticorum ex loco definitionis petita: Cui non competit definitio, ei nec definitum.

Minor non indiget probatione.

Arg. II. II. Cui omnia requiſita belli competunt & competere poſſent, licet nullum publicum bellum unquam locum habiturum fuiſſet aut habere potuiſſet, illud eſt proprie dictum bellũ.

Bello privato competunt omnia belli requiſita & competere poſſent, licet nullum publicum bellum unquam locum habiturum fuiſſet aut habere potuiſſet. E.

Bellum privatum eſt proprie dictum bellum.

Major per ſe manifeſta eſt.

Minor patet, quia requiſita omnia & ſingula adſuerunt in primorum fratrum primo bello, ubi nullus bellis publicis locus adhuc eſſe poterat.

Arg. III. III. Ubi duæ partes certantium per vim, ibi proprie dictum bellum.

Ubi privatum bellum, ibi duæ certantium per vim partes ſunt. E. Ubi

Ubi privatum bellum, ibi proprie dictum bellum eſt.

Major probatur, quia ſi originem hujus nominis bellum ſpectemus, bellum eſt ex voce veteri *duellum*, ut *duis* quod fuerat factum eſt *bis*, *duellona bellona*, *duidens bidens*, ita ut *duellum olim biſyllabum fuerit*, ceu ex *Giphanio* notat *Dn. Zieglerus*, celeberrimus *JCtus in Not. ad cap. 1. §. 2.* Itaque *bellum, quia fuit initio duellum, a duobus dictum. Nam licet multi ſint milites, duæ tamen partes ſunt, & inter duos tantum primum bellum fuit.* Verba ſunt *Scaligeri* a laudato *Zieglero* ibidem laudata. Convenit igitur etymologia & notatio nominis *bellum* certamini per vim ſtatuique per vim certantium, unde & rem ipſam convenire veriſimile eſt.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata reſpondetur. RESP. AD ARGUMENTA CONTRARIA.

Ad I. quidem negando conſequentiam majoris ejusque probationem. Nam 1. non ſolum bellum punitivum eſt proprie dictum bellum. 2. an ullum bellum mere publicum ſit proprie loquendo punitivum, merito dubitatur. 3. non omnis vindicta arguit pœnam. 4. nec omnis vindicta privata eſt injuſta. 5. nec in definitione belli proprie dicti juſtitia includitur, cum bellum proprie dictum a juſto & injuſto præciſum ſit. AD ARG. I.

AD ARG. II. Ad II. reſpondetur negando 1. majorem, quæ ſic ſe habebat: Cui non competit jus belli, ille non gerit proprie dictum bellum. Hoc tantum ſequitur: Cui non competit jus belli, ille non gerit proprie dictum bellum juſtum. 2. minorem, quæ itidem univerſaliter vera non eſt. Utique enim datur privatum bellum juſtum, ut ſequenti quæſtione videbimus. Quicunque ergo juſte bellum gerere poteſt, is utique ſano ſenſu habet jus belli. Atqui quidam privatus juſte bellum gerere poteſt. E. quidam privatus habet jus belli. Ad probationem minoris quando dicebatur: jus belli eſſe regale ſeu jus majeſtaticum, reſpondetur hoc intelligendum eſſe de jure belli publici. Sicut autem jus belli a majeſtate geſti eſt jus belli majeſtaticum, ita nihil obſtat, quo minus jus belli a privato geſti ſit jus privatum, utrumque tamen adhuc verum jus, utut non utrumque majeſtaticum jus.

AD ARG. III. Ad III. reſpondetur, obſcurum per æque obſcurum & improbabile per æque improbabile probari hoc argumento. Nam qui admittit bellum privatum eſſe proprie dictum bellum, is admiſerit quoque legatum privati eſſe proprie dictum legatum. Sicut enim, qui tenet ſummum imperium, poteſt mittere legatum publicum, ita privatus poteſt mittere legatum priva-

privatum. Quid enim aliud ad legatum proprie dictum requiritur, quam ut perſona ſit electa ab alia perſona & ad negotium aliquod miſſa, ſive a majeſtate & ſolenniter ſit miſſa ob negotium publicum, ſive ab alia perſona aut ob negotium privatum. Nam legatus dicitur vel a legatione & verbo legare, vel a verbo legere. Confundi videntur inter ſe propria ſignificatio & ſtricta ſignificatio: in ſtricta ſignificatione privatus a privato miſſus non eſt legatus, imo ne quidem legatus eſt miſſus ab eo, qui poteſtatem publicam habet, niſi ſummam habeat: ſed a ſtricta ſignificatione non licet argumentari ad impropriam. Cur enim improprie legati dicendi eſſent, qui cum legatis proprie dictis haud dubie communem habent naturam nec ullatenus nominis origo ipſis repugnat? Recentiſſimo uſu ne quidem omnes ab iis, qui ſummum imperium habent, miſſi legati audiunt, ſed ſolum illi, qui majoris cenſentur dignitatis. Alii ſcilicet hodie Ablegati duntaxat, alii Reſidentes, alii vero Agentes dicuntur, id propter manent proprie dicti legati. Ut utamur alia inſtantia: accidens non raro imo ab ipſo quoque *Ariſtotele* dicitur non ens, hoc eſt ſtricte loquendo negatur eſſe ens, manet tamen in propria licet latiori ſignificatione verum ens.

AD ARG. IV. Ad IV. dicendum, ſalvam eſſe auctoritatem *JCtorum* & potius allegata teſtimonia pro *Grotii* ſententia facere. Hæc enim, quæ ab *Ulpiano* dicuntur, veriſſime ita dicuntur, ut & quæ a *Cicerone* dicta dicebantur, ſi ita, vere dicta fuiſſent. Videntur confundi ſignificatio propria & ſignificatio uſitata. Poteſt una vox plura proprie ſignificare, ut unum uſitatius ſignificet, quam alterum. Ita uſitatiſſimum eſt abſolute & ſine addito ſanum dicere non niſi animal ſanitatem habens: demonſtrationem non niſi demonſtrationem διότι, rempublicam non niſi rectam: pariter bellum, hoſtis, perduellio abſolute & ſine addito non niſi de publicis dicuntur. Manet tamen adhuc propria, quamvis ſit ſecundaria ſignificatio eorum vocabulorum, quando de privatis dicuntur. *Ciceronis* verba ſi penitius inſpiciamus, quæ ſcilicet e *Philippica IV. in M. Antonium ad Quirites habita oratione* adducebantur, ex illis credimus evinci nihil aliud poſſe, quam quod modo diximus: nempe indicare voluit *Cicero*, quinam pro hoſtibus primario ac abſolute ſic dictis habendi? Sic enim *ſub finem orationis Cicero ad Quirites: Majoribus quidem veſtris, Quirites, cum eo hoſte res erat, qui haberet rempublicam, curiam, ærarium, conſenſum, & concordiam civium, rationem aliquam, ſi res ita*

ita tuliſſet, pacis & fœderis: hic veſter hoſtis (intelligit M. Antonium) *veſtram rempublicam oppugnat, ipſe habet nullam, Senatum, id eſt, orbis terræ conſilium, delere geſtit, ipſe conſilium publicum nullum habet: ærarium veſtrum exhauſit, ſuum non habet. Nam concordiam civium qui habere poteſt, nullam qui habeat civitatem? Pacis vero quæ poteſt eſſe cum eo ratio, in quo eſt incredibilis crudelitas, fides nulla? Eſt igitur Populo Romano, Victori omnium gentium, omne certamen cum excurſore, cum latrone, cum ſpartaco.* Hæc *Cicero*, qui expreſſe verbis modo allegatis: *Hic veſter hoſtis nullam habet rempublicam, conſilium publicum nullum, nullam civitatem* &c. Antonium & hic & in antecedentibus ſæpius hoſtem nuncupat: *Eſt hoſtis a ſenatu nondum verbo appellatus, ſed re jam judicatus Antonius.* Item: *Ille hoſtis, contra quem jure arma ſumta ſunt.* Rurſus *quis non perſpicit Antonium hoſtem eſſe judicatum. Item: Quid Legio Martia? nonne ipſa ſuis decretis prius, quam Senatus hoſtem judicavit Antonium? Nam ille ſi non hoſtis: qui Conſulem reliquerunt, hoſteis neceſſe eſt judicemus. Præclara & luculenta reclamatione veſtra factum pulcherrimum Martialium comprobaſtis, qui hoſtem illum & latronem, & parricidam Patriæ reliquerunt.* Item: *Decrevit Senatus, D. Brutum*

tum optime de republica mereri, cum ſenatus auctoritatem, Populiq; Romani libertatē imperiumq́; defenderit. A quo defenderit? nempe ab hoſte. Iterum: *Non eſt, non eſt vobis, Quirites, cum eo hoſte certamen, quo cum aliqua pacis conditio eſſe poſſit.* Largimur tandem, quod nemo *Politicorum* ac *JCtorum* certamina ac ſtatus privatorum per vim certantium qua tales ſunt facile bella vocet: ſed in *Analytices* ſtudio ſatis verſatus hoc ipſo nunquam adducetur, ut bellum privatum proprie dictum bellum neget. Ea quippe indoles eſt κοινῶν πρὸς ἓν, communium ad unum, ut *Ariſtoteli* dicuntur, minus felici nomine dictorum analogorum attributionis (quia eſſent analoga ſine analogia) ut de uno abſolute, de altero cum addito, de uno primario, de altero, vel ſi plura fuerint, reliquis ſecundario dicantur. Et, ceu omnibus ſolidæ Philoſophiæ Ariſtotelicæ amantibus cognitum eſſe oportet, communia πρὸς ἓν, quæ propius accedunt ad univoca (vulgo primæ claſſis dicuntur, pingui vocabulo analoga attributionis intrinſecæ) de pluribus proprie dicuntur, de iis tamen ſolis, de quibus primario dicuntur ac per prius, ἰδιαίτατα maxime proprie. Huc apprime faciunt ea, quæ *Grotius* de communibus πρὸς ἓν tradit & ad præſentem doctrinam applicat, quando ait: *ſi*

quan-

quando belli nomen publico tantum tribuitur, nihil id nobis obſtat, cum certiſſimum ſit, nomen generis ſæpe ſpeciei præſertim excellentiori peculiariter adhæreſcere. Quę verba e *Græca Philoſophiæ* fundamentis ſic interpretamur: Uti commune *πρὸς ἓν per ſe poſitũ ſtat in ſignificatu famoſiori*, quod eſt perpetuum *Analyticorum* axioma: ita quoque commune πρὸς ἓν, quod propius accedit ad univocum habetque ſe per modum generis, ei, de quo per prius prædicatur, abſolute attribuitur: Eſtque tale commune πρὸς ἓν propius ad univoca accedens *bellum*, quod ad bellum publicum ſe habet tanquam primariam & excellentiorem ſpeciem. *Neque* vero, ut idem *Grotius* noſter notat, *uſus vocis* bellum *laxiorem hanc notionem* plane *repudiat*. Eandem *Grotii* ſententiam commendat pluribus *Dn. Michael Friedericus Ledererus*, JCtus celeberrimus, eximio *tractatu de Jure belli privati ex jure naturali, gentium, civili, canonico & Saxonico deducti*, qui *L. I. c. 3.* conſulatur.

§. 4. Occaſionem quæſtionis exhibet *Grotius c. 3. §. 1. 2. & 3.* quam quoque obtulerat ſtatim *1. cap. §. 2.* Hic vero demum premere voluimus. OCCASIO QUÆSTIONIS.

Quæſtio II.

An bellum aliquod privatum ſit juris naturalis?

§. 1.

PRO NEGANTE SENTENTIA. ARG.

NEgativam ſequens argumentum ſuadet:

Quodcunque bellum tollit aut violat jus alienum, illud non eſt juris naturalis.

Omne bellum privatum tollit aut violat jus alienum. E.

Nullum bellum privatum eſt juris naturalis.

Major probatur, quia vis, quæ alterius jus tollit aut violat, eſt injuſta.

Minor probari poteſt ex eo, quia omne bellum privatum tollit aut violat jus judicis, ad quem privatus quilibet poſt conſtituta judicia publica debebat recurrere, cum nemo poſſit eſſe judex in propria cauſa.

QUÆSTIONIS DUPLEX SENSUS ERUITUR.

§ 2. Affirmativa felicius declarari poteſt, ſi de ſenſu propoſitæ quæſtionis idem notetur, quod præcedenti *capite 2. quæſt. 2. p. 365.* fideliter monuimus, nempe dupliciter hanc quæſtionem intelligi poſſe: 1. an bellum aliquod privatum ſit jure naturæ non prohibitum, ſeu, ut *Grotius* noſter

ſter mavult loqui, in ſenſu negante naturaliter juſtum? 2. an bellum aliquod privatum ſit jure naturæ præceptum, ſeu, ut *Grotius* vocat, in ſenſu ajente naturaliter juſtum? videtur in utroque ſenſu affirmativam defendi poſſe, in priori quidem absque omni difficultate, modo reducamus argumentum in modo citata quæſtione antecedentis capitis propoſitum, ſicque ſe habens:

PRO QUÆSTIONIS AFFIRMATIVA IN PRIORI SENSU ARGUMENTUM.

Quicquid nec eſt contra prima, nec contra ſecunda naturæ, illud jure naturæ non eſt prohibitum, adeoque in ſenſu negante naturaliter juſtum.

Quoddam bellum privatum nec eſt contra prima, nec contra ſecunda naturæ. E.

Quoddam bellum privatum jure naturæ non eſt prohibitum, adeoque in ſenſu negante naturaliter juſtum.

Majorem ſupra p.365. probatã dedimus.

Ad minoris probationem ea quoque bonam partem faciunt, quæ ibidem attulimus. Quod enim quoddam bellum non pugnet cum primis naturæ, inde cognoſci facile poteſt, quia a privato qua tali geritur, ut ſe conſervet in naturæ ſtatu, in quo ipſe ſine bello ſe conſervare nequiviſſet. Pariter tamdiu certiſſimum relinquitur, quoddam bellum privatum non eſſe contra ſecunda naturæ, donec una vel plures

circumſtantiæ monſtrentur, unde moralis turpitudo ejus cognoſci poſſit inque quibus fundetur. Exempli gratia quando latro corpus viatoris impetit vi præſente cum periculo vitæ non aliter vitabili, & propterea viator bellum adverſus illum ſuſcipit etiam cum interfectione latronis periculum inferentis, oſtendatur, unde hæc vis, qua viator vim latronis repellit, turpis per ſe denominari mereatur: tantum certe abeſt, ut jus aliquod violet aut tollat, ut potius jus ſervet ac defendat: non tollit jus alienum, quia alias jus latronis tolleret, qui vero nullum jus habet in viatorem: proprium jus viatoris ſalvat. In poſteriori ſenſu affirmativam non quidem adeo facilem probatu deprehendimus, lubet tamen pro ea ſequens formare argumentum, de cujus vi liberam judicandi facultatem cuivis relinquimus:

PRO QUÆSTIONIS AFFIRMATIVA IN POSTERIORI SENSU ARGUMENTUM.

Quicquid eſt medium jure naturæ licitum, ut tamen per ſe neceſſarium ſit ad finem jure naturæ præceptum, illud videtur eſſe præceptum jure naturali, ſeu naturaliter juſtum in ſenſu affirmante.

Quoddam bellum privatum eſt medium jure naturæ licitum, ut tamen per ſe neceſſarium ſit ad finem jure naturæ præceptum. E.

Quod-

Quoddam bellum privatum videtur eſſe præceptum jure naturali,ſeu naturaraliter juſtum in ſenſu affirmante.

Major probatur, quia alias jus naturæ finem præcepiſſet, nec tamen præcepiſſet id, quod unicum ac per ſe prorſus neceſſarium medium eſt ad illum finem ducens, ſicque jus naturæ ſimul videretur præcepiſſe finem & non præcepiſſe, quia non præcepiſſet id, ſine quo finis obtineri nequit, quod apparere poterat idem,ac præcepiſſe idem & non præcepiſſe idem eodem tempore, quæ contradictio eſt.

Minor facillime admittetur. Nam ſi exempli gratia latro impetat corpus viatoris vi præſente cum periculo vitæ non aliter vitabili, tunc bellum eſt medium ſimpliciter neceſſarium ac per ſe requiritur ad conſervationem vitæ viatori alias jure naturali præceptam, & quidem medium jure naturæ licitum, ut præcedenti argumento evincebatur.

RESPONDETUR AD ARGUMENTUM CONTRARIUM.

§. 3. Ad argumentum pro contraria ſententia allatum reſpondetur negando minorem ejusque probationem. Nam quoddam bellum privatum geritur eo tempore, quo judicium ceſſat, quam in rem ſupra in *fundamentalibus præceptis hujus capitis* de ceſſationibus judiciorum egimus. Quomodo igitur tollere aut violare poterit privatus bello ſuo jus judicis

eo

eo tempore, quo aut nullus plane judex eſt, ut fieri diximus in continuis judiciorum ceſſationibus: aut eſt quidem judex, ita tamen, ac ſi non eſſet, cum fruſtra ipſius auxilium expectetur, adeoque nec recurri ad eum poſſit. Numne viator mortem oppetere debuit, ac pri9 abire ad plures, poſt mortuorum reſurrectionē demum ad judicem recurrere? Quod tandem dicebatur in propria cauſa neminem judicem eſſe, id non paucos e *Moraliſtis* eo adduxit, ut exiſtimarent in tanta neceſſitate eum, qui bello privato ſe defendit, ab ipſa natura conſtitui judicem, ut ita ille naturæ juſſibus vicem judicis, qui haberi nequit, ſuppleat. Sed nihil cauſæ eſt, cur huc confugiamus, in quo refugium non temere quærerem. Imo ſtante hac morali providentia bellum in tali caſu non eſſet privatum, ſed per naturam publicum. Salvo cujusvis meliori judicio dicerem privatum, qui tanta neceſſitate tenetur inque ea bellum gerit, nec in aliena nec in propria cauſa judicem eſſe, quia ſe non ut judex nec ut judicem bello defendit. Sunt tamen eruditiſſimi Viri, qui hoc *Baldi* effatum: *nemo eſt judex in propria cauſa*, (ut alias plures limitationes nunc prætereamus) cum limitatione morali acceptum volunt, niſi omnis alius judex abſit. Ita Principem, qui ſuperiorem non recognoſcit, jus ſibi dicere

dicere poſſe cenſent. Quid? quod Conſultiſſimi Viri eo caſu, quo reipſa in ipſo juris loco injuria illata fuerat judici, eum jus in ſua cauſa ſibi dicere poſſe putent, quamvis extra hunc caſum reum ad alios judices remittere neceſſum habuiſſet, nixi *l. quod reipublicæ 33. D. de injuriis.* Imo quemvis in defectu judicis poſſe ſibi jus dicere pronunciant inque aſſerti ſui probationem *l. liberam reſiſtendi 1. C. quando liceat unicuique ſine judice ſe vindicare l. generali lege 54. C. de decurionibus. l. ait prætor. 10. §. ſi debitorem meum 16. D. quæ in fraudem debitorum facta ſunt*, adducunt. Sed hæc merito ſuo loco relinquimus. Imo quicquid ſit, fiet tandem ut diverſa vocis *judex* acceptio litem dirimat.

§. 4. Occaſionem quæſtionis in priori ſenſu deciſæ *Grotius* præbet §. *1. num. 2.* Poſteriorem vero ſenſum quæſtionis quod attinet, utut aliquam occaſionem ex §. *3. n. 3.* arripere potuiſſemus, quia tamen amplior majorque ſequenti *L. II. c. 1.* dabitur, illi ulteriorem inſpectionem eorumque, quæ contra ſententiam in poſteriori ſenſu aſſertam objici poterant, ſolutionem reſervamus. OCCASIO QUÆSTIONIS.

QUÆ-

Quæſtio III.

An judicia publica ſint a natura?

§. 1.

Pro Negante Sententia. Arg. I.

NEgativa probatur ſequentibus argumentis:

I. Quæcunque a facto ſunt humano, illa non ſunt a natura.
Judicia publica ſunt a facto humano. E.
Judicia publica non ſunt a natura.

Major patet, quia quæ juris naturalis ſunt, illa non ſunt humani facti, hoc eſt arbitrii.

Minor probatur, quia natura omnes fecit pares, unde ſatis colligi poteſt, quod quæ judicia publica inter homines hodie obtinent, a facto humano ſint.

Arg. II.

II. Si judicia publica ſunt a natura, utique natura ſignate determinaret, quisnam alteri imperare, aut quis parere debeat, menſuram quoque pœnæ inter homines conſtitueret.
At natura tale quid non facit. E.
Judicia publica non ſunt a natura.

Conſequentia probatur, quia quamdiu imperium ac judicium a perſona abſtrahitur, nemini inducere poteſt obligationẽ.

§. 2. In-

§. 2. Interim affirmativa ſententia recepta magis magisque vera apparet, pro qua communiter ſequens adferri ſolet argumentum: PRO AFFIRMANTE SENTENTIA. ARG. I.

Si ſocietas civilis eſt a natura, ſequitur, quod etiam judicium publicum ſit a natura.

Prius eſt verum. E. & Poſterius.

Conſequentia nulla forte indiget probatione, quia de eo ex naturalibus atque civilibus principiis certo ſatisque conſtare poterat ac debebat, quod publicæ ſocietates ſine publicis judiciis dari nequeant, imo naturale hoc ſit, ibi judicium eſſe, ubi ſocietas.

Prius libenter agnoverunt eruditiſſimi Viri omniumque moratiorum & hominum & gentium conſenſus id probavit, quod Deus non permiſerit, ſed inſtituerit ſocietatem politicam. Lucem accendunt egregia noſtri *Grotii* verba, quando *προλεγομένων n. 16.* nitidiſſime ſcribit: *Voluit naturæ Auctor nos ſingulos & infirmos eſſe & multarum rerum ad vitam recte ducendam egentes, quo magis ad colendam ſocietatem raperemur.*

Relinquimus huic argumẽto ſuam ſpeciem ſuumq; robur, interim nulli dubitantes, quin ſi vel maxime ſocietas publica nõ eſſet a natura, quo de *l. 2. c. 5.* agetur, adhuc tamen judicia publica a natura eſſent. Id quod evincimus hunc in modum:

Abs-

ARG. II. II. Abſq; quo civitas contra rectam rationem vivit, hoc eſt a natura.

Abſque judicio publico civitas contra rectam rationem vivit. E.

Judicium publicum eſt a natura.

Major eſt manifeſta.

Minor probatur, quia civitas eſt ordo, ſed abſque judicio publico eſſet diſſociatus ordo: nam in ordine vivere velle & tamen ita vivere velle, ut alter alterum vivum deglutire poſſit, (juxta illud proverbium apud Hebræos: *Niſi poteſtas publica eſſet, alter alterum vivus deglutiret,* quem ſenſum *Chryſoſtomus* exprimit: *niſi rectores civitatum eſſent, feriorem feris viveremus vitam, non mordentes tantum, ſed & vorantes alios alii*), quid aliud eſt quam ordinem ſine ordine ſtatuminare? Quæ magis conſpicua dabimus jam ſequenti reſponſione ad argumenta contraria.

AD ARGUMENTA CONTRARIA RESPONDETUR. AD ARG. I.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata reſponderi poteſt, & quidem.

Ad I. limitando majorem, quæ hæc erat: quæcunque a facto ſunt humano, illa non ſunt a natura, hoc modo: quæcunque a facto ſunt humano, illa quatenus a facto ſunt humano, non ſunt a natura. Sic limitata majore ſano ſenſu argumentum totum concedi poteſt. Nempe hæc duo inter ſe non pugnant: Judicium publicum eſſe a natura in communi, ut ſcili-

ſcilicet ſit, quamvis in ſpecie, quoad hanc vel illam formam ſit humani facti arbitriique. Quo ſenſu natura omnes feciſſe pares dicatur, ſummus conſummatusque Vir *Hermannus Conringius* nervoſe ac grata perſpicuitate declarat his verbis: *Natura non quidem juſſit, ſi aliud nullum hominum factum acceſſerit, vel me vel alium in numero parentium eſſe, attamen permiſit obſequium, & ſi promiſſum ſit; juſſit promiſſis ſtare. Perinde ut de aliis contractibus omnibus nihil eſt naturali lege juſſum, niſi poſito, quod ſint initi: Hos nimirum ſanctos ſervandosque jubet naturæ lex, nondum initos permittit iniri, antehac nihil jubet, nihil vetat.* Verba invenias in illuſtriſſimo *tractatu de finibus Imperii Germanici c. 19. p. m. 368.*

Ad II. reſpondetur negando conſequentiam majoris. Hoc ſaltem ſequitur, quod naturæ ac naturæ auctori, cui nos noſtraque omnia debemus, intellectum noſtrum ita teneamur ſubjicere, ut poteſtates publicas eo loco habeamus, quaſi a natura naturæque auctore ſint conſtitutæ ac præceptæ, illisque, qui publicam in nos poteſtatem habent, voluntatem noſtram conformare debeamus. Digna ſunt, quæ legantur hanc in materiam concinne tradita a *Dn. Adamo Cortrejo*, JCto excellentiſſimo, in nobiliſſima *diſſertatione* AD ARG. II.

 de

de extrema provocatione ad conſtantiſſimum atque innocentiſſimum tribunal Jeſu Chriſti in cauſis civilibus atque criminalibus, per totum fere *cap. 1.* quo ex principiis naturalibus auctoritatem illorum, qui pro tribunali judicant, roboravit, & quomodo ea ab Auctoris naturæ inſtituto pendeat, ſategit oſtendere, ubi & hæc nervoſe prolata: *Quum jus naturæ ac divinum ſignate non determinet, quisnam alteri imperare, aut quis parere debeat, nec menſuram pœnæ inter homines conſtituat, pauciſſimi vero ſola erga Deum reverentia adduci poſſint, ut naturæ convenienter agant, quippe quod vindictam divinam occultis plerumque viis ſeſe explicantem ubique animadvertere nequeant, huic ſocietati inter homines tranquille conſervandæ ſola lex naturæ præeſſe non poterat, ſed pacto inſuper humano exprimere, aut ex negotii natura tacite promittere neceſſe erat illis, qui ſe cœtui alicui aggregaverant, quinam in cæteros imperium obtinere, illosque quibus imbecillior ad ratiocinandum vis animi erat, certis agendi regulis addictius regere, & quos in diverſa impetus trahere, viderent, fine ac modo pœnarum publico bono congruente, coërcere debeant. Aſt non ideo primæva magiſtratus ratio a mero facto humano deſcendit, ſed illud modo ad arbitrium hominum pertinet, an poteſtatem*

illam

illam uni delegare, an pluribus, & quibus ſeorſim modis imperium inſtruere velint. Nam & omninò firma ſtat illorum opinio recta, qui Deum non permiſiſſe, ſed inſtituiſſe ſocietatem politicam & poteſtatem, aſſerunt.

§. 4. Occaſio quæſtionis continetur in *§. 1. n. 2.* OCCASIO QUÆSTIONIS.

Quæſtio IV.

An omne bellum publicum ſit juſtum?

§. 1.

Affirmativæ ſequens obſtat argumentum. PRO NEGANTE SENTENTIA ARG.

Si omne bellum publicum eſt juſtum, ſequitur fruſtra diſtingui inter bellum juſtum & injuſtum.

Conſequens eſt abſurdum. E. & Antecedens.

Conſequentia probatur, quia ubivis diſtinctio belli publici in juſtum & injuſtum eſt recepta.

§. 2. Affirmativa tamen perceptu facilis relinquitur, modo ambiguitas vocis *publicum* prius recte evolvatur: *publicum* poteſt dupliciter hoc loco ſumi: 1. prout idem eſt, quod ſolenne ex jure gentiũ; ideo enim ſupra §. 5. 374. diſtinximus inter bel- AMBIGUITAS QUÆSTIONIS EVOLVITUR.

 lum

lum publicum ſolenne & bellum publicum minus ſolenne. 2. *publicum* accipitur pro omni eo, quod a publica venit poteſtate, ſive illa ſit ſumma, ſive minor. Jam ſi priori ſenſu capiatur vox *publicum*, affirmativa ſequenti poteſt probari argumento:

Pro Affirmante In Priori Sensu. Arg.

Quodcunque bellum habet effectum juris, illud eſt juſtum.
Omne bellum publicum habet effectum juris. E.
Omne bellum publicum eſt juſtum.

Major eſt manifeſta, quia omne illud dicitur juſtum, quod jure eſt licitum: nihil autem habet effectum juris, niſi jure ſit licitum.

Minor probatur, quia omne bellum publicum, prout nempe idem eſt, quod bellum ſupra a nobis ſolenne dictum, habet præcipuos juris gentium effectus.

Quod ſi vero bellum publicum in poſteriori ſenſu ſumatur, ſic dici nequit, quod omne bellum publicum ſit juſtum ceu ex ſequenti quæſtione conſtabit pluribus.

Respondetur Ad Argumentum Contrarium.

§. 3. Ad argumentum in contrarium allatum reſpondetur negando conſequentiam majoris, quæ talis erat: Si omne bellum publicum eſt juſtum, ſequitur fruſtra diſtingvi inter bellum juſtum & injuſtum. Nam quando inter bellum publicum juſtum & injuſtum diſtinguitur, tunc

juſtum

juſtum & injuſtum ſumuntur in ordine ad jus naturale, ut idem ſint, quod jure naturæ licitum & prohibitum. Sed quando omne bellum publicum dicebatur juſtum, juſtum accipiebatur in ordine ad jus gentium. Quaſi vero non poſſet fieri, ut bellum juris naturalis effectu careat cauſæque juſtitia, effectus tamen habeat belli juſte ſuſcepti; eoque ſenſu omne bellum ſolenne juſtum diximus. Interim nondum inde ſequitur, quod bellum non ſolenne ſit injuſtum. Poteſt res facili ſimilitudine percipi: In *Jure Romano* juſtum teſtamentum codicillis juſtæque nuptiæ ſervili contubernio opponuntur, non quod non liceat & codicillos facere ei, qui velit, & ſervo ſecum mulierem habere in matrimonio, ſed quod teſtamentum & nuptiæ ſolennes peculiares quosdam ex *jure Romano* habeant effectus: ſicut ergo omne ſolenne teſtamentum omnesque ſolennes nuptiæ dicuntur juſtæ in ordine ad jus civile: ita omne bellum ſolenne dicitur juſtum in ordine ad jus gentium.

§. 4. Occaſionem quæſtionis videre licet §. 4. *numero primo*. OCCASIO QUÆSTIONIS.

Quæſtio V.

Num inferior Magiſtratus juſte poſſit bellum gerere motu proprio?

§. I.

Pro affirmante sententia. Arg. I.

PRo affirmativa videntur militare ſequentia argumenta:

I. Quodcunque mere privatus juſte poteſt, hoc multo magis poteſt inferior magiſtratus.

Atqui bellum mere privatus proprio motu juſte gerere poteſt. E.

Bellum proprio motu gerere multo magis magiſtratus inferior juſte poteſt.

Major probatur, quia uti plus poteſt ſummus Magiſtratus, quam inferior: ita plus magiſtratus inferior poteſt, quam mere privatus.

Minor liquet ex *quæſtione ſecunda*, p.408.

Arg. II.

II. Si inferior magiſtratus habet jus ſuppliciorum, jusque ſubditos tuendi, ſequitur, quod etiam juſte motu proprio poſſit bellum gerere.

Prius eſt verum. E. & Poſterius.

Conſequentia probatur, quia facinoroſi facile reſtituri eſſent magiſtratui inferiori, omneque ejus magiſtratus jus fruſtra futurum, niſi armis belloque juſte reſiſtere poſ-

poſſent. Facinoroſi quippe, ut rei fiant, ſi reſiſtant, vi & armis vinçendi ſunt.

III. Si ita præſens eſſe poteſt periculum, ut tempus non ferat eum conſuli, qui ſupremum in civitate jus habet & certo tamen magiſtratui inferiori conſtat; periculum non aliter depelli poſſe ipſumque ſummum magiſtratum iſtud ita depulſurum fuiſſe, ſi in notitiam hujus periculi venire potuiſſet, ſequitur, quod in tali caſu magiſtratus inferior juſte poſſit motu proprio bellum gerere. ARG. III.

Prius eſt verum. E. & Poſterius.

Conſequentia videtur manifeſta.

Prius videtur itidem extra dubium poſitum. Ita obſtare certe poteſt nimia locorum diſtantia & ſi quæ ſunt ſimilia.

IV. Si fieri poteſt, ut graviſſimum ac certo imminens periculum extremum is, qui ſupremum in civitate jus habet, conſultus & imploratus nolit depellere, ſequitur, quod a magiſtratu inferiori in tanta neceſſitate bellum motu proprio geri poſſit. ARG. IV.

Prius eſt verum. E. & Poſterius.

Conſequentia probatur, quia juris naturalis eſt, ſalva ac illæſa manente Principis perſona ac auctoritate ſe adverſus alienum hoſtem defendere.

PRO NEGANTE EAQUE VERA SENTENTIA.

§. 2. Negativa tamen accuratioribus *Politicis* certior viſa eſt, quod videlicet ſuſcipiendi belli publici auctoritas atque conſilium penes Principes ſit aut ſummos Magiſtratus. Nec ſolida ratio deeſt, quæ id probet.

ARG.

Ex quocunque tota civitas in periculum venit, hoc juſtum eſt, ut non fiat niſi auctore eo, qui ſummam in civitate poteſtatem habet.

Atqui ex bello publico tota civitas in periculum venit. E.

Juſtum eſt, ut bellum publicum non fiat niſi auctore eo, qui ſummam in civitate poteſtatem habet.

Major videtur manifeſta.

Minorem nemo in dubium vocaverit.

Et hoc forſan argumento permoti fuerunt Imperatores, *Valentinianus & Valens*, ut ferrent conſtitutionem hujus tenoris: *Nulli prorſus nobis inſciis atque inconſultis quorumlibet armorum movendorum* (movere enim arma eſt armis uti) *copia tribuatur.* Extat illa conſtitutio *Cod. ut armorum uſus inſcio Principe interdictus ſit.* Eo forte collineat *Novella conſtitutio LXXXV. Imperatoris Juſtiniani*, quæ eſt *de armis.* Add. *l. Lex duodecim tabularum 3. D. ad legem Juliam Majeſtatis.*

§. 3. Ad

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata reſponderi poteſt,& quidem RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA. AD ARG. I.

Ad I. negando propoſitionem majorem. Quæ probationis loco adferebantur, non nituntur comparatorum loco. Erant autem hæc: Uti plus poteſt ſummus magiſtratus,quam inferior,ita plus poteſt magiſtratus inferior, quam mere privatus. Etenim uti fit,ut civitati jus quoddam majus ſit in privatum, quam extra civitatem privato in ſeipſum: ita quoque juſte evenit, ut hoc jus magiſtratus inferior non habeat,quod, ſi mere privatus eſſet,haberet, ſi nempe ex factis mere privati, qui in civitate eſt, civitas in nullum periculum veniat, ſimilis vero modi facta, ſi autorem habeant magiſtratum inferiorem, totam civitatem in periculum conjicere valeant, qualiter comparatum eſt cum bello, ſi a magiſtratu inferiori proprio motu geri poſſet.

Ad II. communiter reſpondetur,quod hoc argumento nihil evincatur aliud, quam quod magiſtratui inferiori liceat per apparitores ſuos vel alios vi cogere paucos imparentes, hoc eſt, rebelles; quoties ad eam rem copiis majoribus opus non ſit, nec ullum periculum inde immineat civitati. AD ARG. II.

Dicis: Ergo datur bellum publicum a magiſtratu inferiori motu proprio juſte geſtum. *Exceptio.*

Solutio. Reſpondetur, vix tale bellum publicum dicendum eſſe, ad quod magnis copiis nullatenus opus erat. Et licet publicum ſuo modo dicatur, de eo tamen præſentis quæſtionis ſtatus intelligendus non venit.

AD ARG. III. Ad III. reſpondetur negando conſequentiam majoris: in tali quippe caſu ſi a magiſtratu inferiori bellum geratur, bellum non geri debet motu proprio, nec enim id neceſſarium eſt ad præſentis periculi evitationem, ſed gerendum eſt ex præſumta ejus eorumve, qui ſupremum in civitate tenent jus, voluntate. Hoc jure,hacq; præſumtione ſupremæ voluntatis credo L. Pinarium præſidio Ennæ in Sicilia præfectum, cum certo ſciret oppidanos ad Carthaginenſes defectionem moliri, juſta cæde in eos facta Ennam retinuiſſe, ut eſt apud *Livium L. XXIV.*

AD ARG. IV. Ad IV. reſpondetur talem caſum non facile obventurum eſſe: ſi vero obveniret, certiſſima ſigna adeſſe oporteret ejurati auxilii, ſique tunc Magiſtratus inferior bellum gereret, aut ut magiſtratus inferior gereret, non quidem reſpectu Principis, qui perniciem civitatis volebat, ſed reſpectu civitatis, quæ in priſtinam rediiſſet libertatem a ſummo Magiſtratu derelicta, & ſic iterum bellum proprio magiſtratus inferioris motu non gereretur: aut fieri

fieri poſſet, ut qui erant magiſtratus inferior, ante fuiſſent ſupremus magiſtratus, nuncque ſupremum jus recuperaſſent.

§. 4. Occaſionem quæſtionis invenire eſt §. 4. n. 2. & 3. OCCASIO QUÆSTIONIS.

Quæſtio VI.

Num bellum a magiſtratu inferiori geſtum ſit bellum publicum?

§. 1.

AFfirmativa ſequentibus probari poteſt; PRO AFFIRMANTE SENTENTIA.

I. Quodcunque fit publica auctoritate, illud eſt publicum.

Atqui bellum, quod a magiſtratu inferiori geritur, geritur publica auctoritate. E. ARG. I.

Bellum a magiſtratu inferiori geſtum eſt publicum.

Major eſt manifeſta,

Minor probatur, quia bellum, quod a magiſtratu inferiori geritur, geritur auctore eo, qui publicam habet poteſtatem.

II. Quodcunque bellum habet effectus juris gentium, illud eſt ſolenne & publicum bellum. ARG. II.

Bellum a magiſtratu inferiori geſtum, habet effectus juris gentium. E.

Bellum a magiſtratu inferiori geſtum eſt ſolenne & publicum bellum.

Major non eget probatione.

Minor probatur, quia etiam in tali bello ſolent res auferri obſiſtentibus ac militibus concedi.

PRO NEGANTE SENTENTIA.

§. 2. Quæſtio tamen ea non videtur poſcere magnam ventilationem, modo ſonus vocis *publicum* ambiguus eſſe deſinat. Aut enim per *publicum* intelligitur omne, quod fit magiſtratus vel ſummi vel inferioris jure, aut publicum ſumitur in excellentiore ſignificatu pro eo, quod ſolenne eſt, ut ſæpe ſumi extra controverſiam eſt. Pariter per bellum a magiſtratu inferiori geſtum aut intelligitur bellum motu proprio geſtum, quod vix mereri nomen publici belli diximus antecedentis quæſtionis §. *3. p.426.* aut indicatur bellum a magiſtratu inferiori juſte ex præſumta ſummi Magiſtratus voluntate geſtum. Jam ſi priori modo ſumatur *publicum*, concedi facile poteſt, quod utriusque modi bellum a magiſtratu inferiori geſtum ſit publicum: ſi vero poſteriori modo capiatur *publicum*, ſic conceditur, quod bellum a magiſtratu inferiori ex ſufficienter præſumta ſummi magiſtratus voluntate geſtum ſit publicum, hoc eſt ſolenne,

lenne, non tamen idem dici poteſt de bello, quoad a magiſtratu inferiori geſtum eſt motu proprio, quod vix publicum, multo minus ſolenne dici poterat. Peculiaribus argumentis in hac re opus non eſt, cum hac unica adhibita diſtinctione omnis difficultas expiret.

RESPONDETUR AD ARGUMENTA CONTRARIA.

§. 3. Argumenta §. 1. allata vix requirunt aliquam ſolutionem.

AD ARG. I.

Ad I. reſpondetur concedendo totum, ſi *publicum* non ſumatur in excellentiori ſignificatu: in quo ſi ſumitur, negatur major propoſitio ejusque probatio.

AD ARG. II.

Ad II. dicendum eſt, quod minor propoſitio 1. poſſit intelligi de bello a magiſtratu inferiori geſto ex præſumta magiſtratus ſummi voluntate, & ſic concedi poteſt totum argumentum, niſi dicas accurate loquendo tale bellum non tam a magiſtratu inferiori geſtum, quam a ſupremo magiſtratu per magiſtratū inferiorem, æq; ac *Juris Civilis Interpretes* volunt non ſervum & filium familias hæc illave acquirere, ſed dominum ac patrem familias ea acquirere per illos. 2. minor poteſt intelligi de bello a magiſtratu inferiori motu proprio juſte geſto, ex quo in nullum periculum civitas veniebat, & ſic minor eſt falſa. Quando in probatione dicebatur, quod in tali contentione ſoleant res auferri obſiſtentibus ac militibus etiam

iam ...n

iam concedi, ad id reſpondetur diſtinguendo inter effectus juris gentium communes,& effectus juris gentium proprios. Illos talismodi bello competere poſſe nullum dubiũ eſt: his omnino iſtud caret. Sic ergo limitanda erat major: quodcunq; bellum habet effectus juris gentium proprios, illud eſt ſolenne & publicum bellum. Sic conceſſa majore negatur minor de bello uti modo ſumebatur: nam hi effectus: res auferre obſiſtentibus, militibus concedere, ſunt vulgares effectus & bellorum ſolennium non ita proprii, ut non alibi etiam locum habere poſſint.

OCCASIO QUÆSTIONIS. §. 4. Occaſionem quæſtionis capimus ex §. 5. n. 1. & 2.

Quæſtio VII.

Num extra caſum neceſſitatis in alio caſu a magiſtratu inferiori ex nude præſumta ſummi magiſtratus voluntate bellum geri poſſit?

§. 1.

PRO AFFIRMANTE SENTENTIA ARG. Affirmativam ſuadet ſequens ratiocinium:

Quod utilitati publicæ eximie conſulit civitatisque periculis ſuccurrit, ad hujus

hujus electionem ſupremi magiſtratus voluntas a magiſtratu inferiori præſumta ſufficit.

Atqui quoddam bellum extra caſum neceſſitatis in alio etiam caſu a magiſtratu inferiori geſtum utilitati publicæ eximie conſulit, civitatisque periculis ſuccurrit. E.

Ad belli cujusdam extra caſum neceſſitatis etiam in alio caſu a magiſtratu inferiori gerendi electionem ſupremi magiſtratus voluntas a magiſtratu inferiori præſumta ſufficit.

Major probatur, quia quod Principi non nocet, & toti civitati prodeſt, id præſumi poteſt ac forſan debet ex Principis voluntate fieri.

§. 2. Interim negativa demonſtratur tali argumento: PRO NEGANTE VERA SENTENTIA ARG.

Quocunque admiſſo oportet admitti, Principi ſeu ſummo magiſtratui non ſemper integrum eſſe uti ſummo, quod in civitate obtinet, jure, hoc contra naturalia ac politica principia admiſſum creditur.

Atqui hoc admiſſo, quod extra caſum neceſſitatis etiam in alio caſu a magiſtratu inferiori ex nude præſumta ſummi magiſtratus voluntate bellum geri poſſit, ſimul oportet admitti, Principi ſeu ſummo magiſtratui non

non ſemper integrum eſſe, uti ſummo, quod in civitate obtinet, jure. E.

Hoc contra naturalia ac politica principia admiſſum creditur, quod extra caſum neceſſitatis etiam in alio caſu a magiſtratu inferiori ex nude præſumta ſummi magiſtratus voluntate bellum geri poſſit.

Major extra dubitationis periculum eſt.

Minor probatur inde, quia *ut maxime in aliquo facto particulari ceſſet inſpecta particulariter ratio, quæ voluntatem ſummi imperantis movet, non tamen ceſſat ratio ſumta univerſaliter, quæ periculis occurri vult; quod fieri non poteſt, ſi ejus rei ad ſe magiſtratus quisque judicium trahat*, verba ſunt *Grotii*, quæ ſic intelligo: Pro ſummo imperante eſt præſumtio, quod ipſe velit, quantum in ſe, publicam ſalutem. Unde quia ſummo imperanti ſimul jus ſummum quæſitum eſt dijudicandi ea, quæ publica commoda adferunt, quæque eadem turbant aut abrumpunt, ideo ſane ubi res ferebat moram aut dubiam habebat deliberationem, ſi ſummo magiſtratu inconſulto inferior magiſtratus bellum voluiſſet gerere ex præſumta ſummi magiſtratus voluntate, ſic ſummus magiſtratus non potuiſſet feliciter periculis occurrere, quod tamen potuiſſet, ſi magiſtratus inferior

rior extra caſum neceſſitatis bellum ſaltim ex præſumta ſummi magiſtratus voluntate geſſiſſet, ſicque ſummo magiſtratui non eſſet integrum, uti ſummo jure.

§. 3. Ad argumentum pro contraria ſententia allatum reſpondetur negando majorem. Nam talismodi bellum extra caſum neceſſitatis in alio caſu a magiſtratu inferiori geſtum cedit in præjudicium ſummi juris Principi quæſiti, cujus judicium expectari debuit, an e Republica eſſet, diſſimulare factum, an a ſe avertere, ad pacis venire conditiones, an ad arma procurrere. Nam jure ſuo, quod ſæpe cum damni periculo conjunctum eſt, uti nemo cogitur. Imo ſimul fieri potuit, ut Princeps prudentiſſimus præviderit pericula ex tali bello certo redundatura in civitatem eaq; prudentiſſime celaverit, ne ex inferioris magiſtratus ore in aures ad ſeditionem compoſitæ plebis manarent ac pericula periculis ſererentur. Recte igitur *Grotius: Non ſufficit videre, quid hoc rerum ſtatu ſummam poteſtatem habenti, ſi conſulatur, placiturum ſit: ſed hoc magis videndum, quid ille, ubi res moram fert, aut dubiam habet deliberationem, ſe inconſulto cupiat fieri, ſi ea de re lex ferenda ſit.* RESPONDETUR AD ARGUMENTUM CONTRARIUM.

§. 4. Egregiam hujus quæſtionis occaſionem noſter *Grotius* oſtentat §. 5. n. 3. 4. & 5. ibique inſignem hujus quæſtionis OCCASIO QUÆSTIONIS.

utilitatem ac praxin illuſtribus exemplis declarat *n.4. & 5.* quæ ſane digna ſunt ſedula inſpectione.

Quæſtio VIII.

An ubique & ſine exceptione ſumma poteſtas in civitate ſit populi, ita ut ei Reges, quoties ſuo imperio male utuntur, & coërcere & punire liceat?

§. I.

Pro ajente Sententia.

ITa ſane quam plurimi ſunt, qui ſtatuunt, ſummamque poteſtatem tam arcte connexam cum populo cenſent, ut eam nulla ratione populus a ſe abdicare vel amittere queat, unde Monarchas & Ariſtocrates pro meris habent adminiſtratoribus & procuratoribus ſummæ poteſtatis, proprietarium vero & uſufructuarium volunt eſſe populum, quem ab omni crimine liberum cenſent, ſi imperantibus iterum publice renunciet, aut clavum imperii reddere detrectantibus violenter excutiat, quod tamen qui ſubtiliores videri malunt de injuſte imperantibus pronunciant. Neque hæc ſententia nova eſt, ſed ex orco quaſi reducta, quam ſane antiquitus etiam & Politici & integri populi probavere,

bavere, ceu ex *Platone*, *Ariſtotele*, rerum græcarum celebrioribus ſcriptoribus quibusvis liquere poteſt. Argumenta, quæ pro hac ſententia adferuntur, ſunt ſequentia:

I. Quicunque conſtituit alterum, is habet poteſtatem in conſtitutum. ARG. I.

Populus conſtituit imperantem imperantesve. E.

Populus habet poteſtatem in conſtitutum imperantem vel imperantes conſtitutos, adeoq; ſumma poteſtas eſt populi.

Major probatur, quia is, a quo aliquis conſtituitur, eſt ſuperior conſtituto.

Minor eſt per ſe manifeſta.

II. Quicunque eſt propter populum, tanquam propter finem, is eſt populo inferior. ARG. II.

Quilibet imperans eſt propter populum tanquam propter finem. E.

Quilibet imperans eſt populo inferior.

Major probatur, quia finis eſt potius quid, quam id, quod ad finem ordinatur.

Minor nititur canone politico: Omne regimen ejus, qui regitur, cauſa comparatum eſt.

III. Quicquid tot ac tanta ſecum trahit incommoda, illud non præſumitur unquam fieri poſſe a populo. ARG. III.

Atqui ſummam poteſtatem a populo

transferri in imperantes tot ac tanta ſecum trahit incommoda. E.

Summam poteſtatem a populo transferri in imperantes non præſumitur unquam fieri poſſe a populo.

Arg. IV. IV. Quod vita eſt in homine, hoc ſumma poteſtas in populo.

Jam vero homo, ut homo maneat, nequit vitam amittere. E.

Populus, ut verus maneat populus, nequit amittere ſummam poteſtatem.

Prima propoſitio probatur, quia *Ariſtoteles* omnesque accuratiores *Politici*, *τὸ κύριον* ſummam poteſtatem vocant *βίον τῆς πόλεως* vitam civitatis.

Arg. V. V. Si populus juſte poſſet amittere ſummam poteſtatem, aut eam amittere poſſet libera ſua voluntate, aut contra voluntatem.

Neutrum dici poteſt. E.

Populus ſummam poteſtatem amittere non poteſt.

Quod libera ſua voluntate populus nequeat amittere majeſtatem, ut tamen populus maneat, patet, quia populus majeſtatem ſuam a Deo habet, æque ac quilibet homo à Deo vitam.

Quod contra populi voluntatem ſumma poteſtas populo a nemine in terris eripi queat, liquet inde, quia nemo in terris populo eſt ſuperior adeoque nullus in

ſum-

ſummam populi poteſtatem jus habet.

VI. Qui hoc, quod poteſt, debet populo, is pendet a populi poteſtate. ARG. VI.

Imperans hoc, quod poteſt, debet populo. E.

Imperans pendet a populi poteſtate.

VII. Si nulla ratio dari poteſt, cur non revocare ſummam poteſtatem populus poſſit pro lubitu, ſequitur, quod omni tempore ſit revocabilis optimo jure: ARG. VII.

Prius eſt verum. E. & Poſterius.

Major tamdiu eſt vera, donec ratio detur.

VIII. Si in aliis minoris momenti actionibus ac negotiis reſtitutio in integrum locum invenit, quid obſtat, quo minus in tam arduo negotio, quando populus ſummam poteſtatem in alium aliosve translatam revocat, reſtitutio in integrum locum habeat. ARG. VIII.

Prius eſt verum. E. & Poſterius.

IX. Si populus bene imperante eſt inferior, ſequitur, quod male imperante ſit ſuperior. ARG. IX.

Prius eſt verum. E. & Poſterius.

Conſequentia probatur, quia is, qui male imperat, eo ipſo ſe eo, cui imperat, inferiorem facit & ex imperantium cenſu detrudit

trudit in cenſum ſubditorum. Natura enim evenit, ut melior ſequiori imperet, deterioraque comparata ſunt in uſum meliorum.

ARG. X. X. Sicut caput ſe habet in corpore, ſic imperans ſe habet in civitate.

Caput eſt reliquorum membrorum corporis caput, totius autem corporis pars, eoque minus. E.

Imperans ſingulis eſt in civitate major, univerſo autem populo minor.

ARG. XI. XI. Si populi interdum leguntur puniti ob regum peccata, ſequitur, quod populi in reges habeant poteſtatem.

Prius verum eſt. E. & Poſterius.

Major probatur, quia regem punire poſſe, eſt habere poteſtatem in Regem.

ARG. XII. XII. Adſunt tot exempla populorum, qui ultimas pœnas in imperantes ſtatuerunt.

PRO NEGANTE SENTENTIA. §. 2. Contraria ſententia divinis, naturæque juribus fundata ſequenti probatur argumento:

ARG. Si homo privatus juſte amittere poteſt libertatem perſonalem cum actu voluntario, tum invito, ſequitur etiam populum juſte amittere poſſe ſummam poteſtatem.

Prius eſt verum. E. & Poſterius.

Conſequentia robur ſuum accipit ex comparatorum loco.

Quid

Quid enim poteſtas aliud eſt, quam libertas, adeoque ſumma poteſtas ſumma libertas, libertas non naturalis, ſed civilis. Si ergo naturalem libertatem juſte amittere quis poteſt, quanto magis libertatem civilem?

Prius probatur quoad utrumq; membrum: poteſt quis libertatem ſuam perſonalem juſte amittere 1. ſua voluntate, quando ſe libere vendit ex inopia alimentorum aliarumque rerum, ſine quibus non vivitur. Ut homo ſua bona externa, ita etiam libertatem ſuam ſalvis naturæ & gentium juribus alienare poteſt. Hunc ipſum modum certe approbant *leges Sacræ* & *civiles*, *Exod. XXI. 2. 6. Lev. XXV. 39. §. Servi autem 4. Inſtit. de Jure perſonarum. l. ſi quis filio 6. §. irritum 5. D. de injuſto, rupto, irrito facto teſtamento.* 2. actu invito, ut: quando quis bello capitur, & cum juſte occidi poſſet, ſervatur a captore damnaturque ad ſervitutem: item ſi quis pœnam facinoroſi mutet in ſervitutem. Ita Deus ipſe populo Judaico ejusque Regi pro beneficio imputat, quod illos non perdidiſſet, ſed in ſervitutem tradidiſſet. *2. Paralip. XII. 7. 8. Add. §. ſervi autem 3. Inſtit. de Jure perſonarum l. pupillus eſt 239. §. ſervorum appellatio 1. D. de verborum ſignificatione, l. & ſervorum 5. §. ſervi autem 1. D. de ſtatu hominum.*

Respondetur ad Argumenta pro contraria Sententia.

§. 3. Quæ adferebantur argumenta a contraria parte,ea ſolvere tanto magis neceſſum eſt, quo pernitioſior eſt contraria ſententia, quæ quot malis cauſam dederit, & dare etiamnum poſſit, penitus animis recepta,nemo ſapiens non videt. Re ipſa id docuerunt *Britanni Parricidæ* eheu! quam funeſtiſſimo Regicidii Anno hujus ſeculi quadrageſimo nono d. 30. Jan. 9. Febr. commiſſi exemplo. Et ſane facillimum eſt ad argumenta peſtilentiſſima, utpote Regibus ac Ariſtocratibus jugulum, omnibusque Rebuspublicis univerſi terrarum orbis horribilem *μεταμόρφωσιν* minitantia, reſpondere.

Resp. Ad Arg. I.

Ad I. reſpondetur 1. negando majorem propoſitionem ita ſimpliciter acceptam, quæ erat hæc: *Quicunque conſtituit alterum, is habet poteſtatem in conſtitutum.* Negamus itidem allatam probationem, qua idem per idem probabatur. Non enim univerſaliter verum eſt, quod is, a quo aliquis conſtituitur, ſit ſuperior conſtituto. Servi monarchomachorum dominos, uxores ſibi maritos conſtituerunt, ſuntne ſervi & uxores ipſis monarchomachis ſuperiores? Imo vero digni eſſent hujus ſententiæ patroni, qui uxoribus ſerviſque omnibus ſubjacerent. Tres ſunt modi, quibus quis ab altero conſtituitur: *Primo*, ſi conſtituatur infra eum, ut quando dominus ſervum infra ſe conſtituit,

Secun-

Secundo, ſi conſtituatur juxta eum, ut quando ſocium imperii quis eligit. *Tertio*, ſi conſtituatur ſupra eum, ut quando ſervus ſibi conſtituit dominum. Jam quisque, qui judicium domi habet, aſſequitur facile, quod quemadmodum ille, qui conſtituit alterum infra ſe, eo ſuperior, & qui conſtituit alterum juxta ſe, ipſi æqualis relinquitur, ſic is, qui conſtituit alterum ſupra ſe, eo inferior evadat. Utrobique enim par ratio eſt. Ut conſtituere alterum infra ſe, arguit conſtituentem eſſe ſuperiorem conſtituto: ita conſtituere alterum ſupra ſe, indicat conſtituentem eſſe inferiorem conſtituto. Igitur melioris perſpicuitatis cauſa major propoſitio juxta adhibitam diſtinctionem tripliciter poterit intelligi: Primo, hoc ſenſu: Quicunque conſtituit alterum *infra ſe*, is habet poteſtatem in conſtitutum, ſic major propoſitio eſt vera, ſed minor in allato ſyllogiſmo: *populus conſtituit imperantem imperantesve infra ſe*, falſiſſima, quia ſic populus non conſtitueret imperantem, ſed ſubditum. *Si dixeris*, inquit Deus, populum Iſraeliticum alloquens, *ſtatuam ſupra me Regem*. Et ad Samuelem: *Indica eis jus Regis, qui regnaturus eſt ſuper eos*. Hinc rex unctus dicitur *ſuper populum*, *ſuper hæreditatem Domini*, *ſuper Iſraelem*, *ſuper totum Iſraelem*. Secundo, hoc ſenſu: Quicunque conſtituit alterum *juxta ſe*, is habet poteſta-

tem in conſtitutum, ſic major fallit. Nam ſiunt ſibi invicem conſtituens & conſtitutus æquales. Tertio denique hoc ſenſu: Quicunque conſtituit alterum *ſupra ſe*, is habet poteſtatem in conſtitutum, ſic major falſiſſima eſt. Nam pari alias jure argumentari poſſes: Quicunque conſtituit alterum infra ſe, is eſt inferior conſtituto. Hæc circa majorem propoſitionem dicta ſunto. 2. Ut obiter hoc addamus, notari poterat circa minorem, nec eam univerſaliter eſſe veram. Minor erat: *Populus conſtituit imperantem imperantesve.* Uti ſervus bello captus non conſtituit ſibi captorem nec dominum, ſed contra voluntatem ſubjicitur captori dominoque: ita populi juſtis bellis devicti non ſibi victores regesque vel alios imperantes conſtituunt, manent interim, qui ſe ipſos ſupra devictos populos conſtituere, juſto titulo imperantes, imo vero ſæpe juſtiſſimo. πρῶτον tamen ψεῦδος erat major propoſitio.

Resp. Ad Arg. II. Ad II. reſpondetur 1. negando majorem: *Quicunque eſt propter populum, tanquam propter finem, is eſt populo inferior.* Damus inſtantiam: Tutor eſt propter pupillum, tanquam propter finem, tutela enim pupilli cauſa reperta eſt, & tamen tutor eſt ſuperior pupillo, eſt quippe tutela jus ac poteſtas in pupillum. Nec eſt, quod

Exceptio.

exci-

excipias: Tutor, ſi male rem popularem adminiſtret, amoveri poteſt. E. & imperans, ſi male adminiſtret Rempublicam. Diſpar enim ratio eſt, adeoque nulla conſequentia. In tutore hoc procedit, qui ſuperiorem habet: At in imperiis, quia progreſſus in infinitum non datur, omnino in aliqua perſona aut cœtu conſiſtendum eſt, quorum peccata, quia ſuperiorem ſe judicem non habent, Deus ſibi curæ peculiari eſſe teſtatur, qui ea aut vindicat, ſi ita opus judicet; aut tolerat in pœnam aut explorationem populi, id quod noſter *Grotius* inſignibus *Taciti*, *M. Aurelii*, *Gregorii Turonenſis Epiſcopi*, *Porphyrii*, *Irenæi*, *Clementis* teſtimoniis confirmat, quæ *§. 8. n. 15.* videantur. Quando probationis loco dicebatur, finem eſſe potius quid, quam id, quod ad finem ordinatur. Hoc ſano & quidem eo ſenſu intelligendum eſt, nempe quod media, modum ac menſuram ſuam accipiant a fine: ita ut quod in mediis appetitur, ſit ipſe finis ejusque bonitas, cum media non propter ſe, ſed propter finem appetantur (ſi ita loqui liceat) finite, ad minimum in ſenſu negante, ſi non ſemper affirmante, quatenus hoc ipſum, quod ſine modo appetuntur, a fine & non ex ſe habent. Quæ ſane omnia ad probationem allatæ majoris propoſitionis nihil plane faciunt. Reſpondetur 2. ad minorem,

Exceptionis ſolutio.

quæ

quæ certe itidem univerſaliter vera non eſt. Non enim perpetuæ veritatis eſt, quod quilibet imperans ſit propter populum ejusque finem, ut peculiari *quæſtione mox ſequenti* evincetur.

RESP. AD ARG. III. Ad III. reſpondetur 1. negando propoſitionem majorem. Nam qualemcunque formam gubernationis animo finxeris, nunquam incommodis aut periculis carebis. *Aut hæc cum illis ſunt habenda, aut illa cum his mittenda*, ait *Comœdia*. Cur monarchomachi matrimonia vel ipſi ineunt vel ſalvo omni jure iniri poſſe pronunciant? quodnam enim matrimonium eſt absque omni prorſus incommodo? Reſp. 2. ad minorem, qua aſſerebatur, quod omnis ſummæ poteſtatis translatio a populo in imperantem imperantesve facta tot ac tanta ſecum trahat incommoda. Sane univerſaliter verum hoc non eſt. Nam multa ac magna incommoda comparatione plurium ac majorum incommodorum facta incommoda quaſi eſſe deſinunt ac commoda fiunt. Eſt iniqua in omni re accuſanda prætermiſſis bonis malorum enumeratio vitiorumque electio. Præſtat aliquam habere Rempublicā, quam nullam. *Nonne ſatius fuerat, ſervire quam in ſolitudine vivere?* ipſe Dei populus *Ex. XIV.* exclamabat. Fieri utique poteſt, ut populus in periculum vitæ adductus aut inopia preſſus, alia lege qui ſe defendat reperire

perire nequaquam poſſit, nec aliter habeat copiam, unde ſe ſuſtentet, niſi jus totum imperandi a ſe abdicet, aliique tradat. Reſpondetur 3. ad totum argumentum, jam non eſſe quæſtionem de præſumtione, ſed de jure. Non jam quæritur, quid in dubio præſumendum ſit, ſed quid jure fieri poſſit. Multa certe de hoc vel illo viro non præſumeres, multa quis de ſeipſo non præſumit, tamen ita ſunt & certis certiora.

Ad IV. reſpondetur 1. ſolida argumenta ex loco ſimilium peti non poſſe, quibus firmiter tuam ſententiam probes, haberi tamen, quibus aliunde ſatis probata confirmes. 2. Argumentum erat tale: Quod vita eſt in homine, hoc ſumma poteſtas eſt in populo. Jam vero homo, ut homo maneat, nequit vitam amittere. E. Sed quis non videt hanc ſimilitudinem valde claudicare. Licet enim concedatur, quod in eo vita & majeſtas conveniant, ut quemadmodum vita, ut actum primum dicit, illud ipſum eſt, quod principium operationum vitalium eſſe poteſt, ita quoque ſumma poteſtas principium eſſe queat negotiorum publicorum h. e. ad rempublicam ſpectantium. Quo reſpexit *Ariſtoteles*, quando ſummam poteſtatem dixit βίον τῆς πόλεως vitam civitatis. Et ſane ſi intra hoſce ſimilitudinis terminos manea- **Reps. Ad Arg. IV.**

maneamus, nihil obſtat, quo minus quod vita eſt in homine, ſumma poteſtas ſit in populo, quamdiu is ſummam poteſtatem, quam habet, retinet. Quod ſi, vero ut in præſenti argumento ſubdole fiebat, ultra ſcopum ab *Ariſtotele* accuratioribusve Politicis intentum ſimilitudo extendatur, prima propoſitio in adducto ex ſimilium loco argumento vacillat. Imo ſi quicquam hac argumentatione efficeretur, pari jure ſic poſſemus argumentari: Quod vita eſt in homine, hoc libertas perſonalis eſt in quovis homine. Jam vero homo, ut tamen homo maneat, vitam amittere nequit. E. homo, ut maneat verus homo, nequit amittere libertatem, Concluſio eſt contra ſecus ſentientes. E. vel prima, vel ſecunda, vel utraque propoſitio contra ipſos eſt. Secunda propoſitio admittebatur ab ipſis, cadit ergo prima, adeoque cadit etiam hæc propoſitio, quæ in allata objectione primo loco ponebatur. Nam ſi ſumma poteſtas in populo comparari poteſt cum vita in homine, quid obſtat, cur non etiam libertas in quovis privato homine cum vita in homine comparari poſſit. Imo optimo jure inverti poteſt argumentum: Si homo, ut homo maneat, vitam nequit amittere, ſequitur, quod in quantum populus amittere poteſt ſummam poteſtatem, ut tamen maneat populus,

pulus, etſi non civiliter liber populus, in tantum non ſit illud, quod vita in homine. Eſt enim aliud privatus homo, aliud privatus homo libertatem perſonalem habens: Sic quoque aliud eſt populus, aliud populus libertatem habens civilem, id eſt, ſummam poteſtatem. Vita eſt omnium bonorum, cum temporalium, tum æternorum, fundamentum & occaſio, adeoq; pluris quam libertas: ſic ut vitam pactus non etiam ad libertatem jus habeat.

Ad V. reſpondetur, utrumque dici poſſe, & quod populus ſummam poteſtatem libera ſua voluntate, & quod contra voluntatem juſte poſſit eam amittere. Quando contra prius dicebatur, quod ſummam poteſtatem populus a Deo habeat, æque ac quilibet homo a Deo vitam, hoc certe non ita accipiendum eſt, ac ſi populus non poſſit ſummam poteſtatem a ſe abdicare, quia vitam ſibi eripere non poteſt. Nam etiam perſonalem libertatem homo a Deo habet & natura omnes liberos pariente, non tamen inde ſequitur, quod homo ſua voluntate juſte amittere nequeat perſonalem libertatem. Contra poſterius fruſtra urgebatur, quod nemo in terris populo ſummam poteſtatem habente ſit ſuperior, adeoque nullus in ſummam populi poteſtatem jus habeat. Nam pari ratione diceres, quod is, RESP. AD ARG. V.

qui

qui bello capit alterum, capto non fuerit ſuperior, juſte tamen eum, ut debellare, ita libertate perſonali privare ſibique ſubjicere potuit. Reducantur ea omnia, quæ pro vera ſententia §.2. dicta ſunt.

RESP. AD ARG. VI. Ad VI. reſpondetur 1. negando propoſitionem majorem: *Qui hoc, quod poteſt, debet populo, is pendet a populi poteſtate.* Hoc ſaltem ſequitur: Qui hoc, quod poteſt, debet populo, is acquiſivit hanc poteſtatem a populo ejusque voluntate. Multa dantur, quæ ab initio fuerunt voluntatis eorumque acquiſitio pependit ab alterius voluntate, poſtea vero effectum habent neceſſitatis, & contra voluntatem ejus, unde venerant, habentur ac poſſidentur. Titius non factus fuiſſet ædium Sempronii dominus, niſi venditor Sempronius voluiſſet, ut Titius emptione dominus ædium fieret, inde non ſequitur, hoc, quod ædes in dominio Titii maneant, pendere a Sempronii, qui eas vendiderat, arbitrio. Mulier virum conſtituit, cui parere ſemper neceſſum habet. Confer egregia Valentiniani Imperatoris apud *Sozomenum*, Agrippæ Regis apud *Joſephum*, ipſius *Joſephi*, Cyri apud *Xenophontem* hac de re judicia laudabili induſtria a noſtro *Grotio §. 8. n. 13. & L. II. c. 14. num. 1.* collecta.

Ad VII.

Ad VII. reſpondetur, & quidem 1. ad majorem, STAT PRO RATIONE VOLUNTAS. Sicut multa ſunt vivendi genera, alterum altero præſtantius, & cuique liberum eſt ex tot generibus id eligere, quod ipſi placet, ita & populus eligere poteſt, qualem vult gubernationis formam; neque ex præſtantia hujus aut illius formæ, qua de re diverſa diverſorum ſunt judicia, ſed EX VOLUNTATE JUS METIENDUM EST. 2. Minor eſt falſiſſima: multæ enim extare poſſunt cauſæ, cur populus jus totum imperandi a ſe abdicet, aliique tradat, ut ſunt: *periculum vitæ,* quia aliter non eſt vitabile. Ipſe Deus monuit, ut Judæi ſe Regi Aſſyriorum dederent in ſervitutem, ejusque jugum patienter potius ferrent, quam ut gladio, fame, peſte perirent. *Inopia,* quia aliter non habet, unde ſe ſuſtentet. *Fides data,* quando imperans imperantesve receperant plures ea lege in ſuum territorium habitantes, ut eſſent populus civilis libertatis expers: aut magnam ſervorum copiam manu miſerant, ut eſſent cœtus hominum libertate perſonali, non item civili gaudentium. *Naturalis ſervitus,* quando integer populus ſe habet pro cœtu eorum, qui nec ſibi nec aliis de vitæ neceſſitatibus ac commoditatibus feliciter proſpicere ſeque regere valeant, ut omnes Resp. ad Arg. VII.

 regi

regi norint rectius. *Tædium libertatis. Novitatis ſtudium. Exempla populorum*, qui per ſecula plurima ſub imperio plane regio aut ariſtocratico ſatis feliciter vixerunt. Hæ ſimilesque cauſæ impulſivæ, ut in ſcholis vocantur, locum habere non poſſunt tantum, ſed & ſolent, ut iis integri populi impellantur moveanturque ad ſubjiciendum ſeſe alienæ poteſtati ſummoque imperio. Quæ omnia ſcite expoſuit factisque & exemplis plurium populorum illuſtravit *Grotius* noſter §. *8. n. 3. 4. & 5.* cum *notis.*

Resp. Ad Arg. VIII. Ad VIII. reſpondetur negando conſequentiam majoris. In promptu cauſa eſt, quia populus hac Majeſtatis translatione in alium aliosve facta ſimul renunciavit illis juribus, quibus ii gaudent, qui harum iſtarumve perſonarum, exempli gratia: minorum, fœmellarum, has vel illas actiones pro nullis declarare, ſicque eas perſonas in integrum reſtituere valent, quæ certe reſtitutio in populo perfecti judicii, invitis iis, quibus a populo ſumma poteſtas tradita eſt, locum non invenit, quia ſi reſtitutionem in integrum hic admitteres, omne imperium perverteres, ac ſtatueres contra naturam pacti. Nam *ea natura eſt pactorum, ut novo actu voluntatis diſcedi inde nequeat, niſi conjunctim*, id eſt, utriusque partis diſſenſu *fiat*, ceu

ceu *Grotius* noſter *L. II. c. 16. §. 4.* dexterrime judicat.

Ad IX. reſpondetur negando conſequentiam majoris omnemque ejus probationem. Nam *bonitas aut malitia actus, præſertim in civilibus, quæ ſæpe obſcuram habent diſceptationem, apta non ſunt ad partes diſtinguendas, unde ſummam confuſionem ſequi neceſſe eſt cognitionem de re eadem pro jure poteſtatis, obtentu actus boni malive, hinc ad ſe Rege trahente, inde populo, qualem rerum perturbationem introducere nulli, quod ſciam, populo in mentem venit*, ceu graviſſime de hac re diſſerit *Grotius* & ſubtiliter, cujus verba, ſi mentem ejus aſſequi licuit, ſalva meliori interpretatione, ſic intelligimus: In ſtatu naturali de uſu & abuſu judicatur ex ratione: ſecus in legali ſtatu, in quo omnes civitates ſunt. Nullus inter imperantes ac populum finis diſſidiorum foret, nulla certitudo ejus rei, quiſnam imperans, quis parens ſit? Infinita confuſio oboritura eſſet, quia populus novitatis avidus jugi impatiens ſemper haberet, quod diceret ad Regem: Tu male imperas! Rex viciſſim ſemper meditaturus eſſet cauſas, ob quas populum ſic alloqueretur: Vos peſſime paretis! & ita immortales lites eſſent, quia Rex nollet haberi, niſi pro bene imperante, populus non niſi pro bene parente, ſicque po- RESP. AD ARG. IX.

pulus quovis male a Rege exerciti regiminis prætextu haberet occaſionem rebellandi, imo adeo turbulentus rerum ſtatus ſæpe eveniret, ut neutra pars vellet eſſe parens, utraque pars vellet eſſe imperans.

Exceptio. Nec eſt, quod exceptionis loco urgeas præſumtionem, quaſi præſumi debeat populum ſub conditione, ne male imperet, voluiſſe imperium transferre in Regem.

Solutio. Hæc enim vulgi eſt fabula, ſolaque præſumtio nequaquam ſufficit ad juſtitiam ejus, quod perpetua ſeditioſorum tumultuum occaſio omniſque rebellionis fundamentum eſſet, ſi tali præſumtioni locus relinqueretur. Populus debuiſſet fines ſummæ poteſtati imperantium aſſignare, qui cognoſci facile poſſent ex locorum, perſonarum aut negotiorum diſcrimine, ſi ſummam poteſtatem penitus a ſe omnique modo abdicare noluiſſet.

RESP. AD ARG. X. Ad X. quod attinet, idem dicimus, quod circa quartum argumentum notabatur. Scilicet niſi aliunde firma ratio accedat, qua hæc ipſa ſententia, cujus gratia ſimile adferebatur, probetur, ejusmodi argumentationis nulla vis erit. Inverti ſane poterat argumentum hoc modo: ſicut caput ſe habet in corpore, ſic imperans ſe habet in civitate. Caput toti corpori influxum præſtat, omniaque corporis membra ac ſingula vigorem ſuum accipiunt

unt a capite : idem judicandum erit de imperante, ita ut & ſingulis & univerſo quoque populo regendo præſit & ſingulis & univerſis major. Cæterum quod ipſam diſtinctionem inter imperantem majorem ſingulis in populo & minorem univerſo populo attinet, mirum ſane eo impudentiæ a perduellibus Anglicanis quadraginta ſenatoribus quaſi ſenatus fæce (ſenatu effuſo, qui quingentis ſenatoribus conſtare debuerat, interim in dolio hærente) deventum eſſe, ut non ſatis habuerint atrociſſima perpetrare ſcelera, ni & flagitia virtutum ſpecie orbi obtruderent & immane regicidium quaſi bono publico jubente populo & ſecundum patrias leges peractum tam frivola & ad primum auditum irrita diſtinctiuncula ore Præſidis Parlamenti excuſarent, quaſi Rex ſit major quidem ſingulis, minor tamen univerſis. Hoc interim nemo mirabitur, cur Rex audita criminatione, vultu verbisque majeſtatem teſtantibus ſupra quam ſtylo aſſequi quis poſſit, ſemper interrogaverit, qua legitima auctoritate Regem ſuum pro tribunali ſiſterent, Regem, quem ſupra ſe conſtituerant, qui jus regnandi ſuper populum habebat. Implicat ergo manifeſtam contradictionem, eſſe regem populi & tamen univerſis minorem. Biceps & bicorpor iſte Rex eſſe deberet, quem populus, quoties

imperio ſuo male utitur & coërcere & decollare poſſet.

Resp. Ad Arg. XI. Ad XI. reſpondetur negando conſequentiam majoris. Non enim ideo populi puniti ſunt ob Regum peccata, quod populus regem aut non puniret, aut non reprimeret, ſed quod vitiis ejus tacite ſaltem conſentiret. Quanquam etiam ſine eo Deus ſummo dominio, quod in vitam necemq; ſingulorum habet, uti potuit in pœnam regis, cujus ſupplicium eſt ſubditis orbari.

Resp. Ad Arg. XII. Ad XII. reſpondetur: quæcunque tandem exempla proferuntur, illa aut ſunt meri facti, non juris, aut decipiunt incautos lectores ambiguo nominis ſono aut rerum externarum ſpecie. Non enim ſequitur: hic vocatur imperans. E. habet ſummum imperium. Ille non vocatur. E. non habet. Lacedæmonii duces ex Herculis poſteritate, poſtquam Ephoris ſubjecti fuere, Reges nihilominus dicebantur, & veteri Germaniæ Reges erant, quos *Tacitus* præfuiſſe ait auctoritate ſuadendi, non poteſtate jubendi. Luculenta hujus rei exempla curioſe collegit *Grotius* §. *8. n. 11.* & §. *10.* Auguſtum Monarcham fuiſſe extra dubium eſt, quamvis noluerit ſe vocari Regem Dictatorem aut imperantem, ſed patriæ patrem. Cromwellius non Rex Angliæ, ſed ſaltim protector Angliæ appel-

lari

lari voluit. Eſt enim omnis dominationis novæ arcanum præcipuum ſimulatio antiquæ, quo ſimulacro libertatis & Reipubl. incautis populi animis objecto vis principatus facilius firmatur.

§. 4. Ampliſſimam hujus quæſtionis occaſionem oſtendit *Grotius* §. 8.9.10.12. Occasio Quæstionis.

Quæſtio IX.

Num omnis ſumma poteſtas populi, qui regitur, cauſa ſit comparata, adeo, ut quævis reſpublica, in qua ſumma poteſtas, per ſe aut ſolius regentis cauſa, aut ob regentis & populi, qui regitur, commodum una quæſita eſt, pro corrupta haberi debeat?

§. 1.

PRo affirmativa ſequens pugnat argumentum: Pro Affirmante Sententia Arg.

Omnis Tyrannis eſt reſpublica corrupta.

Atqui quævis Reſpublica, in qua ſumma poteſtas in populum uni pluribusve per ſe aut ſolius regentis cauſa, aut ob regentis & populi, qui regitur,

 gitur,

gitur, commodum ſimul, quæſita eſt, eſt tyrannis. E.

Quævis Reſpublica, in qua ſumma poteſtas in populū uni pluribusve per ſe aut ſolius regentis cauſa, aut ob regentis & populi, qui regitur, commodum ſimul quæſita eſt, eſt corrupta.

PRO NEGANTE VERA SENTENTIA ARG.

§. 2. Verum oppoſitam ſententiam probamus ſequenti argumento:

Si ſimplex ſocietas recta eſſe poteſt, nec ideo pro corrupta habenda eſt, ſi vel maxime regimen ſolius regentis cauſa ſit comparatum, vel etiam ob regentis ejusque, qui regitur, commodum ſimul, ſequitur, quod etiam reſpublica recta eſſe poſſit, in qua ſumma poteſtas per ſe aut ſolius regentis cauſa, aut ob regentis & populi, qui regitur, commodum una quæſita eſt, quodq; non quælibet talismodi reſpublica pro corrupta haberi debeat.

Prius eſt verum. E. & Poſterius.

Conſequentia eſt evidens, quia utrobique par ratio eſt, nec dici ſalva veritate poteſt, cur in ſimplicibus ſocietatibus illud obtineat, ut rectæ adhuc eſſe poſſint, licet per ſe ſint regentium cauſa, vel ſimul ob regentium eorumque, qui reguntur, utilitates, nec tamen civitates, in quibus ſumma poteſtas in populum ejus, qui populum

pulum regit, cauſa tantum, vel etiam utriusque & qui regit, & qui regitur, gratia ſimul, quæſita eſt, adhuc pro rectis haberi queat.

Prius probatur, nam in ſocietate patria eſto regimen per ſe liberorum, qui reguntur, cauſa, eſt tamen in ſocietate herili per ſe regentis cauſa, nam ſervi utilitas ibi eſt extrinſeca & adventitia, ſicut medici lucrum ad ipſam medicinam non pertinet. Pariter in ſocietate maritali regimen eſt ob mutuam ejus, qui regit, ejusque, quæ regitur, utilitatem.

§. 3. Ad argumentum pro contraria ſententia allatum (quo immane quantum ſibi placet *Vasquius*, JCtus Hiſpanus, ejusque minorem propoſitionem *fundamentum & regulam quaſi elementarem* vocat, *ex qua in libris ſuis controverſiarum Illuſtrium ac & uſu frequentium bis centum fere definitiones apprime arduas, utiles egregiasque*, ſi diis placet, *derivaverit*) reſpondetur negando propoſitionem minorem. Siccine omnes ſocietates nuptiales herilesque omnes tyrannicæ dicentur? Numne in tantum mariti ac domini eſſe deſierunt mariti ac domini, in quantum ex oculis animisve dimiſerunt ſua commoda? *Tyrannis ut quidem ea vox nunc intelligitur, injuſtitiam includit.* Sane uti fieri poteſt, (imo factum eſt) ut populi ſe ſubji- RESP. AD ARG. CONTRARIUM.

cere velint, nec tamen recipiantur, ita & evenire poteſt, ut populus neceſſitate ſubactus ſeſe imperanti ſubjicere malit, quam perire, nec tamen niſi hac lege recipiatur, ut in ſubjectionem veniat vel mutuæ utilitatis, vel ejus ſaltem, qui regit, cauſa. Et annon juſtum eſt bellum, quo populus atrociſſime læſus populum ſibi ſubjicere valet? Idem jus obtingere poteſt Regi aut Ariſtocratibus; quidni ſumma poteſtas, quæ in populum juſtiſſima victoria pacta eſſet, comparata eſſe poſſet per ſe victoris cauſa, nec tamen ideo tyrannica dicenda? niſi quis cavillari velit omnemque eam rempublicam, imo quamvis ſocietatem, in qua ſalvis divinis humaniſque juribus imperium reſpicit per ſe ſolummodo ejus, qui regit, vel ſimul ejus, qui regit, ejusque qui regitur, utilitatem, tyrannidem dicere, contra omnem loquendi uſum ac conſuetudinem, qua ratione major eſſet falſa, nilque hac argumentatione niſi meræ nugæ exprimerentur.

Occasio Quæstionis.

§. 4. Occaſionem quæſtionis noſter *Grotius* præbet *§. 8. n. 14.*

QUÆ-

Quæſtio X.

An Majeſtas in una eademque civitate poſſit eſſe indiviſim penes uno plures?

§. I.

PRo negativa adduci poſſent ſequentia argumenta: PRO NEGANTE SENTENTIA ARG. I.

I. Quæcunque aſſertio plures ſummitates ſeu plura ſumma in una eademque civitate eſſe ſtatuit, illa non eſt admittenda.

Atqui hæc aſſertio, qua aſſeritur, quod Majeſtas indiviſim penes uno plures eſſe poſſit, plures ſummitates ſeu plura ſumma in una eademque civitate ſtatuit. E.

Hæc aſſertio, qua aſſeritur, quod Majeſtas diviſim penes uno plures eſſe poſſit, non eſt admittenda.

Major probatur, quia contradictionem involvit, duas aut plures ſummitates duoque aut plura ſumma in una eademque civitate dari. Nam ſi ſummitas penes uno plures eſſet, penes plures eſſet individuum imperium adeoque quilibet eorum eſſet ſummus & non eſſet ſummus, quia alium agnoſceret ſummum.

regi norint rectius. *Tadium libertatis. Novitatis ſtudium. Exempla populorum*, qui per ſecula plurima ſub imperio plane regio aut ariſtocratico ſatis feliciter vixerunt. Hæ ſimilesque cauſæ impulſivæ,ut in ſcholis vocantur, locum habere non poſſunt tantum, ſed & ſolent, ut iis integri populi impellantur moveanturque ad ſubjiciendum ſeſe alienæ poteſtati ſummoque imperio. Quæ omnia ſcite expoſuit factisque & exemplis plurium populorum illuſtravit *Grotius* noſter §. *8. n. 3. 4. & 5.* cum *notis*.

RESP. AD ARG. VIII.

Ad VIII. reſpondetur negando conſequentiam majoris. In promptu cauſa eſt, quia populus hac Majeſtatis translatione in alium aliosve facta ſimul renunciavit illis juribus, quibus ii gaudent, qui harum iſtarumve perſonarum, exempli gratia: minorum, fœmellarum, has vel illas actiones pro nullis declarare, ſicque eas perſonas in integrum reſtituere valent, quæ certe reſtitutio in populo perfecti judicii,invitis iis,quibus a populo ſumma poteſtas tradita eſt, locum non invenit, quia ſi reſtitutionem in integrum hic admitteres, omne imperium perverteres, ac ſtatueres contra naturam pacti. Nam *ea natura eſt pactorum, ut novo actu voluntatis diſcedi inde nequeat, niſi conjunctim*, id eſt, utriusque partis diſſenſu *fiat*, ceu

ceu *Grotius* noſter *L. II. c. 16. §. 4.* dexterrime judicat.

Ad IX. reſpondetur negando conſequentiam majoris omnemque ejus probationem. Nam *bonitas aut malitia actus, præſertim in civilibus, quæ ſæpe obſcuram habent diſceptationem, apta non ſunt ad partes diſtinguendas, unde ſummam confuſionem ſequi neceſſe eſt cognitionem de re eadem pro jure poteſtatis, obtentu actus boni malive, hinc ad ſe Rege trahente, inde populo, qualem rerum perturbationem introducere nulli, quod ſciam, populo in mentem venit,* ceu graviſſime de hac re diſſerit *Grotius* & ſubtiliter, cujus verba, ſi mentem ejus aſſequi licuit, ſalva meliori interpretatione, ſic intelligimus: In ſtatu naturali de uſu & abuſu judicatur ex ratione: ſecus in legali ſtatu, in quo omnes civitates ſunt. Nullus inter imperantes ac populum finis diſſidiorum foret, nulla certitudo ejus rei, quisnam imperans, quis parens ſit? Infinita confuſio oboritura eſſet, quia populus novitatis avidus jugi impatiens ſemper haberet, quod diceret ad Regem: Tu male imperas! Rex viciſſim ſemper meditaturus eſſet cauſas, ob quas populum ſic alloqueretur: Vos peſſime paretis! & ita immortales lites eſſent, quia Rex nollet haberi, niſi pro bene imperante, populus non niſi pro bene parente, ſicque po-

Resp. Ad Arg. IX.

pulus quovis male a Rege exerciti regiminis prætextu haberet occaſionem rebellandi, imo adeo turbulentus rerum ſtatus ſæpe eveniret, ut neutra pars vellet eſſe parens, utraque pars vellet eſſe imperans.

Exceptio. Nec eſt, quod exceptionis loco urgeas præſumtionem, quaſi præſumi debeat populum ſub conditione, ne male imperet, voluiſſe imperium transferre in Regem.

Solutio. Hæc enim vulgi eſt fabula, ſolaque præſumtio nequaquam ſufficit ad juſtitiam ejus, quod perpetua ſeditioſorum tumultuum occaſio omniſque rebellionis fundamentum eſſet, ſi tali præſumtioni locus relinqueretur. Populus debuiſſet fines ſummæ poteſtati imperantium aſſignare, qui cognoſci facile poſſent ex locorum, perſonarum aut negotiorum diſcrimine, ſi ſummam poteſtatem penitus a ſe omnique modo abdicare noluiſſet.

RESP. AD ARG. X. Ad X. quod attinet, idem dicimus, quod circa quartum argumentum notabatur. Scilicet niſi aliunde firma ratio accedat, qua hæc ipſa ſententia, cujus gratia ſimile adferebatur, probetur, ejusmodi argumentationis nulla vis erit. Inverti ſane poterat argumentum hoc modo: ſicut caput ſe habet in corpore, ſic imperans ſe habet in civitate. Caput toti corpori influxum præſtat, omniaque corporis membra ac ſingula vigorem ſuum accipiunt

unt a capite : idem judicandum erit de imperante, ita ut & ſingulis & univerſo quoque populo regendo præſit & ſingulis & univerſis major. Cæterum quod ipſam diſtinctionem inter imperantem majorem ſingulis in populo & minorem univerſo populo attinet, mirum ſane eo impudentiæ a perduellibus Anglicanis quadraginta ſenatoribus quaſi ſenatus fæce (ſenatu effuſo, qui quingentis ſenatoribus conſtare debuerat, interim in dolio hærente) deventum eſſe, ut non ſatis habuerint atrociſſima perpetrare ſcelera, ni & flagitia virtutum ſpecie orbi obtruderent & immane regicidium quaſi bono publico jubente populo & ſecundum patrias leges peractum tam frivola & ad primum auditum irrita diſtinctiuncula ore Præſidis Parlamenti excuſarent, quaſi Rex ſit major quidem ſingulis, minor tamen univerſis. Hoc interim nemo mirabitur, cur Rex audita criminatione, vultu verbisque majeſtatem teſtantibus ſupra quam ſtylo aſſequi quis poſſit, ſemper interrogaverit, qua legitima auctoritate Regem ſuum pro tribunali ſiſterent, Regem, quem ſupra ſe conſtituerant, qui jus regnandi ſuper populum habebat. Implicat ergo manifeſtam contradictionem, eſſe regem populi & tamen univerſis minorem. Biceps & bicorpor iſte Rex eſſe deberet, quem populus, quoties

imperio ſuo male utitur & coërcere & decollare poſſet.

RESP. AD ARG. XI. Ad XI. reſpondetur negando conſequentiam majoris. Non enim ideo populi puniti ſunt ob Regum peccata, quod populus regem aut non puniret, aut non reprimeret, ſed quod vitiis ejus tacite ſaltem conſentiret. Quanquam etiam ſine eo Deus ſummo dominio, quod in vitam necemq; ſingulorum habet, uti potuit in pœnam regis, cujus ſupplicium eſt ſubditis orbari.

RESP. AD ARG. XII. Ad XII. reſpondetur: quæcunque tandem exempla proferuntur, illa aut ſunt meri facti, non juris, aut decipiunt incautos lectores ambiguo nominis ſono aut rerum externarum ſpecie. Non enim ſequitur: hic vocatur imperans. E. habet ſummum imperium. Ille non vocatur. E. non habet. Lacedæmonii duces ex Herculis poſteritate, poſtquam Ephoris ſubjecti fuere, Reges nihilominus dicebantur, & veteri Germaniæ Reges erant, quos *Tacitus* præfuiſſe ait auctoritate ſuadendi, non poteſtate jubendi. Luculenta hujus rei exempla curioſe collegit *Grotius* §. *8. n. 11.* & §. *10.* Auguſtum Monarcham fuiſſe extra dubium eſt, quamvis noluerit ſe vocari Regem Dictatorem aut imperantem, ſed patriæ patrem. Cromwellius non Rex Angliæ, ſed ſaltim protector Angliæ appellari

lari voluit. Eſt enim omnis dominationis novæ arcanum præcipuum ſimulatio antiquæ, quo ſimulacro libertatis & Reipubl. incautis populi animis objecto vis principatus facilius firmatur.

§. 4. Ampliſſimam hujus quæſtionis occaſionem oſtendit *Grotius §. 8.9.10.12.* OCCASIO QUÆSTIONIS.

Quæſtio IX.

Num omnis ſumma poteſtas populi, qui regitur, cauſa ſit comparata, adeo, ut quævis reſpublica, in qua ſumma poteſtas, per ſe aut ſolius regentis cauſa, aut ob regentis & populi, qui regitur, commodum una quæſita eſt, pro corrupta haberi debeat?

§. 1.

PRo affirmativa ſequens pugnat argumentum: PRO AFFIRMANTE SENTENTIA ARG.

Omnis Tyrannis eſt reſpublica corrupta.

Atqui quævis Reſpublica, in qua ſumma poteſtas in populum uni pluribusve per ſe aut ſolius regentis cauſa, aut ob regentis & populi, qui regitur,

gitur, commodum ſimul, quæſita eſt, eſt tyrannis. E.

Quævis Reſpublica, in qua ſumma poteſtas in populū uni pluribusve per ſe aut ſolius regentis cauſa, aut ob regentis & populi, qui regitur, commodum ſimul quæſita eſt, eſt corrupta.

PRO NEGANTE VERA SENTENTIA ARG.

§. 2. Verum oppoſitam ſententiam probamus ſequenti argumento:

Si ſimplex ſocietas recta eſſe poteſt, nec ideo pro corrupta habenda eſt, ſi vel maxime regimen ſolius regentis cauſa ſit comparatum, vel etiam ob regentis ejusque, qui regitur, commodum ſimul, ſequitur, quod etiam reſpublica recta eſſe poſſit, in qua ſumma poteſtas per ſe aut ſolius regentis cauſa, aut ob regentis & populi, qui regitur, commodum una quæſita eſt, quodq; non quælibet talismodi reſpublica pro corrupta haberi debeat.

Prius eſt verum. E. & Poſterius.

Conſequentia eſt evidens, quia utrobique par ratio eſt, nec dici ſalva veritate poteſt, cur in ſimplicibus ſocietatibus illud obtineat, ut rectæ adhuc eſſe poſſint, licet per ſe ſint regentium cauſa, vel ſimul ob regentium eorumque, qui reguntur, utilitates, nec tamen civitates, in quibus ſumma poteſtas in populum ejus, qui populum

pulum regit, cauſa tantum, vel etiam utriusque & qui regit, & qui regitur, gratia ſimul, quæſita eſt, adhuc pro rectis haberi queat.

Prius probatur, nam in ſocietate patria eſto regimen per ſe liberorum, qui reguntur, cauſa, eſt tamen in ſocietate herili per ſe regentis cauſa, nam ſervi utilitas ibi eſt extrinſeca & adventitia, ſicut medici lucrum ad ipſam medicinam non pertinet. Pariter in ſocietate maritali regimen eſt ob mutuam ejus, qui regit, ejusque, quæ regitur, utilitatem.

§. 3. Ad argumentum pro contraria ſententia allatum (quo immane quantum ſibi placet *Vasquius*, JCtus Hiſpanus, ejusque minorem propoſitionem *fundamentum & regulam quaſi elementarem* vocat, *ex qua in libris ſuis controverſiarum Illuſtrium at & uſu frequentium bis centum fere definitiones apprime arduas, utiles egregiasque*, ſi diis placet, *derivaverit*) reſpondetur negando propoſitionem minorem. Siccine omnes ſocietates nuptiales herilesque omnes tyrannicæ dicentur? Numne in tantum mariti ac domini eſſe deſierunt mariti ac domini, in quantum ex oculis animisve dimiſerunt ſua commoda? *Tyrannis ut quidem ea vox nunc intelligitur, injuſtitiam includit.* Sane uti fieri poteſt, (imo factum eſt) ut populi ſe ſubjicere

RESP. AD ARG. CONTRARIUM.

cere velint, nec tamen recipiantur, ita & evenire poteſt, ut populus neceſſitate ſubactus ſeſe imperanti ſubjicere malit, quam perire, nec tamen niſi hac lege recipiatur, ut in ſubjectionem veniat vel mutuæ utilitatis, vel ejus ſaltem, qui regit, cauſa. Et annon juſtum eſt bellum, quo populus atrociſſime læſus populum ſibi ſubjicere valet? Idem jus obtingere poteſt Regi aut Ariſtocratibus; quidni ſumma poteſtas, quæ in populum juſtiſſima victoria pacta eſſet, comparata eſſe poſſet per ſe victoris cauſa, nec tamen ideo tyrannica dicenda? niſi quis cavillari velit omnemque eam rempublicam, imo quamvis ſocietatem, in qua ſalvis divinis humaniſque juribus imperium reſpicit per ſe ſolummodo ejus, qui regit, vel ſimul ejus, qui regit, ejuſque qui regitur, utilitatem, tyrannidem dicere, contra omnem loquendi uſum ac conſuetudinem, qua ratione major eſſet falſa, nilque hac argumentatione niſi meræ nugæ exprimerentur.

Occasio Quæstionis. §. 4. Occaſionem quæſtionis noſtræ *Grotius* præbet *§. 8. n. 14.*

Quæ-

Quæſtio X.

An Majeſtas in una eademque civitate poſſit eſſe indiviſim penes uno plures?

§. 1.

PRo negativa adduci poſſent ſequentia argumenta: PRO NEGANTE SENTENTIA ARG. I.

I. Quæcunque aſſertio plures ſummitates ſeu plura ſumma in una eademque civitate eſſe ſtatuit, illa non eſt admittenda.

Atqui hæc aſſertio, qua aſſeritur, quod Majeſtas indiviſim penes uno plures eſſe poſſit, plures ſummitates ſeu plura ſumma in una eademque civitate ſtatuit. E.

Hæc aſſertio, qua aſſeritur, quod Majeſtas diviſim penes uno plures eſſe poſſit, non eſt admittenda.

Major probatur, quia contradictionem involvit, duas aut plures ſummitates duoque aut plura ſumma in una eademque civitate dari. Nam ſi ſummitas penes uno plures eſſet, penes plures eſſet individuum imperium adeoque quilibet eorum eſſet ſummus & non eſſet ſummus, quia alium agnoſceret ſummum.

Minor

Minor probatur, quia quod commune cum aliis habeo, de eo certe me participare aliquam particulam quamvis pro indiviſo convenit. Sed illa particula ſumma eſt, quia quælibet particulæ Majeſtatis ejus naturæ ſunt, quæ ſummitatem inferant. Quare quicquid participo, ſummum participo, ſicut & ſocii mei, quo ipſo ſumma plura in civitate dabuntur?

ARG. II. II. Quod Democratiæ Majeſtas repugnet, ſic probatur:

Ubi non datur ſtabile & certum ſubjectum, cui inhæreat Majeſtas, ibi Majeſtas dari nequit.

Atqui in Democratia non datur certum & ſtabile ſubjectum, cui inhæreat Majeſtas. E.

In Democratia Majeſtas dari nequit, & per conſequens Democratia non eſt reſpublica, cum in republica Majeſtas eſſe debeat.

Major probatur, quia Majeſtas eſt aliquod incorporale & relativum, unde requirit certum ſubjectum, cui inhæreat, & ad quod uniformiter fiat relatio. Sicut ſervitutes vel prædium vel perſonam ſubjectum habent, & ſubjectum relationis verbi gratia pater eſt.

Minor probatur ſequentibus tribus proſyllogiſmis:

a.) Ubi

a.) Ubi nullus eſt, de quo certo dici poſſit, quod imperet, ibi non datur certum & ſtabile ſubjectum, cui Majeſtas inhæreat. *Proſyllogiſmus* I.

Atqui in Democratia nullus eſt, de quo certo dici poſſit, quod imperet. E. in Democratia non datur certum & ſtabile ſubjectum, cui Majeſtas inhæreat.

Major patet, quia ſubjectum Majeſtatis dicitur is, qui imperat.

Minor probatur, quia in Democratia nullus eſt, de quo certo dici poſſit, quòd pareat. Id quod probatur ex Democratiæ definitione, quam ejus defenſores tradunt àc propugnant. Dicunt enim Democratiam eſſe rempublicam, ubi omnes conjunctim ſumti imperant & ſinguli parent. Ubi jam eſt ſubjectum Majeſtatis? Si omnes imperant, nulli parebunt, cum ſinguli ſine omnibus percipi nequeant, & quicquid de multitudine dicitur, id debeat & de ſingulis prædicari vel ſecundum totum vel aliquam partem. Quando autem nemo paret, neque omnes imperabunt, quia quibus imperarent, non habent. Si ſinguli parent, omnes non imperabunt, quod ſinguli præter obſequium multitudini nihil conferant, imperium vero obſequiumq; eandem perſonam nequeant inhabitare, quo ſimul deſtruitur relativa illa qualitas, quæ inter imperantes & parẽtes eſt. Nam quod dicunt, omnes conjun-

ctim

ctim imperare, ſingulos ſeparatim parere, id vero palam eſt abſurdum,& eodem modo dicerem, omnes clamare & ſingulos tacere, omnes urbem oppugnare, ſingulos vero eam defendere, omnes videre,& ſingulos eſſe cœcos.

Proſyllogismus 2. β) Si ſententiæ partis Democratiæ majoris, in comitiis aliisque actibus publicis prævalent, ſequitur, quod certum & ſtabile ſubjectum majeſtatis in Democratia non detur.

Sed prius eſt verum juxta Democratiæ defenſores. E. & poſterius.

Conſequentia probatur, quia ſi quod major Democratiæ pars concluderet, prævaleret,pars minor votis ſuperata majeſtatem non haberet. Ratio eſt, quia reliqui ſoli decernere poſſent. Illud enim contra majeſtatis naturam eſt, ut ejus poſſeſſori nihil liceat ſancire, quod civitatem teneat. Quod ſi autem vota majora majeſtatem habent, cur eam omnibus attribuunt? Accedant deinde & in aliis conſultationibus parti victæ aliorum concluſa,& hæc habebit majeſtatem. Ita majeſtas ſingulis comitiis de perſonis migrabit in perſonas, quod erit abſurdum.

Proſyllogismus 3. γ) In quacunq; republica ſæpe nullum decretum fieri poteſt, in ea republica non datur certum & ſtabile ſubjectum majeſtatis.

Atqui

Atqui in Democratia ſæpe nullum decretum fieri poteſt. E.

In Democratia non datur certum & ſtabile ſubjectum majeſtatis.

Major patet, quia a certo & ſtabili ſubjecto majeſtatis decretum, quod teneat, fieri poteſt. Minor probatur, quia ſæpe fieri poteſt, ut populus æqualiter in duas partes ſecedens diſſentiat, ſic nullum decretum, quod teneat, fieri poterit. Ergo neutra pars habebit majeſtatem. Si neutra, ergo nec utraque conjunctim.

III. Ubi nulla datur obligatio, ibi majeſtas locum non habet. Arg. III.

In Democratia nulla datur obligatio. E.

In Democratia majeſtas locum non habet.

Major propoſitio eſt manifeſta, quia imperium & obligatio ſe mutuo ponunt, ut imperium in alios dari nequeat, niſi illi, in quos imperium detur, vi majeſtatis ſeu imperii ſint obligati.

Minor probatur, quia ſi in politia ſinguli eſſent obligati, tunc quoque multitudo eſſet obligata: In Democratia vero ipſa multitudo non eſt obligata, ergo nec ſinguli, cum univerſi ſine ſingulis nequeant intelligi, multitudo enim ſeu univerſi ex ſingulis conſtat.

IV. Si in Democratia majeſtas eſſe poſſet, Arg. IV.

ſet, ſequeretur adeo laxa & lata ſuique multiplicativa eſſe jura majeſtatis, ut numeroſiſſimæ multitudini in infinitum poſſent aſſignari.

Conſequens eſt abſurdum. E. & Antecedens.

Arg. V. V. Quod in Ariſtocratia majeſtas eſſe nequeat, probatur ſequentibus argumentis:

Vera majeſtas imperat omnibus.

In Ariſtocratia majeſtas non imperat omnibus. E.

In Ariſtocratia majeſtas non eſt vera majeſtas.

Major extra dubitationem ponitur, quia vera majeſtas debet imperare omnibus.

Minor probatur, quia egregia Procerum pars excluditur.

Arg. VI. VI. Si in Ariſtocratia eſſet majeſtas, fieri poſſet, ut ſinguli Ariſtocrates removerentur & punirentur.

Conſequens eſt abſurdum. E. & Antecedens.

Conſequentia probatur, quia quilibet Procerum puniri & judicari poteſt, imo omnes hoſtilia molientes, a populo. Singulis vero remotis & punitis, ubi univerſi cum ſuo imperio manerent?

Pro Affirmante Sententia Vera. §. 2. Affirmativa ſententia uti recepta ab omnibus eſt, ita vel hoc unicum argumenti loco in præſenti ſufficere poterat, quod in eam non *Grotius* ſolum, ſed omnes conſen-

conſentiant. Pro certis enim habemus ea, in quæ communi opinione conſenſum eſt. Quam eſt enim evidens fuiſſe, qui manifeſtiſſima ac omnibus certiſſima inficias iverint? Anaxagoras antiquis temporibus nivem atram, Teleſius Philoſophus patrum memoria ignem extreme humidum dixit, Sunlungus, celebris apud Sinenſes ſophiſta, ſeculo quarto ante nativitatem Salvatoris in publico Philoſophorum ſuæ gentis conventu hominem tres habere aures defendit, ceu ex *Martinii hiſtoria Sinica* tradit *Dn. Mauritius*, JCtus *de Principiis Juris Publici Germanici c. 4 ſect. 2. § 23. p. 77.* Sceptici virgis cæſi dubitarunt, num virgis cæſi fuiſſent, & acriter negativam propugnarunt. Non igitur mireris, etiam hodie dari, qui novum ducem *Renatum des Cartes* ſecuti dubitant aliosque dubitare faciunt, an naſum, an oculos habeant? imo quotidie in *Moralibus & Politicis* novitatum nundinas inſtitui, quorum nundinatorum gratia ut ſententię ab omnibus pro manifeſtiſſima habitæ operoſam probationem denuo ſuſcipias, operæ pretium non eſt. Orbis ad ſolidam Philoſophiam non adſpirantium hodie vult decipi. Videantur interim tot luculentiſſima exempla §. *8. n. 7. ac notis ad eundem §.* ut & *§. 12. & 13. cum notis a* noſtro *Grotio* oſtenſa.

RESP. AD ARGUMENTA CONTRARIA.

§. 3. Ad argumenta pro negativa allata prolixe reſpondere eorumque vanitatem diſtinctius exquirere, nec opus, nec otium eſt.

AD ARG. I.

Ad I. notandum in anteceſſum, non eſſe unum ac idem hæc duo aſſerta: unum, quo plures aſſeruntur ſummitates: alterum, quo plura ſumma ſtatuuntur. Quis enim neſcit abſtractum a concreto diſcernere? Quis ignorat a multiplicatione unius ad multiplicationem alterius non valere ſtatim conſequentiam? Exempli gratia abſtractum eſt viſio, unde plura denominantur inter ſe realiter diſtincta, licet una eademque ſit viſio: ita a viſione videns denominatur Petrus, & ab eadem viſus denominatur lapis, ut ſic duo concreta ſint, uno eodemque abſtracto manente: e contrario unum concretum eſt viſum, exempli cauſa viſus lapis, licet duo ſint abſtracta, duæ ſcilicet viſiones: una qua viſus a Petro, altera qua viſus a Paulo unus idemque lapis eſſe dicitur. Itaque ut rectius reſpondeatur, argumentum in duo dividamus. Prioris major erit hæc: Quæcunque aſſertio plures ſummitates in una eademque civitate ſtatuit, illa non eſt admittenda. Et ita prolata major licet univerſaliter vera non ſit(ut ſequenti quæſtione monebitur) adeoque vires propoſiti argumenti frangantur, ea tamen ſepo-

ſepoſita, poſſumus adhuc ad minorem propoſitionem, quæ ſic ſe habet : Hæc aſſertio, qua aſſeritur, quod majeſtas indiviſim penes uno plures eſſe poſſit, plures ſummitates in una eademque civitate ſtatuit, reſpondere negando eam. Imo pro minoris veritate nihil allata probatio evincit, quæ ſaltem urget, quod plura ſumma dari nequeant. De cætero cogitet quis, annon fieri poſſit, ut una eademque forma denominans maneat, licet plura ſint & denominata & denominativa, ceu *Logicı* appellant? Hoc volumus, quod ab una eademque numero ſummitate plures denominari poſſint ſummi: Si enim exempli gratia ab uno eodemque unius ejusdemque fundi dominio plures poſſunt denominari domini, quid obſtaret, quo minus ab eodem ſummo ſeu independente dominio plures abſoluti domini denominari queant, ut ita una ſit eademque ſummitas dominii, plures tamen vi unius ejusdemque ſummitatis ſummi domini: hoc vero admiſſo admittatur neceſſum eſt ab una, eademque majeſtate ſeu ſummitate plures ſummos denominari poſſe, quia adverſæ parti ſupereminens dominium eſt quędam pars majeſtatis. Poſterioris argumenti major ita ſe habebit: quæcunque aſſertio plura ſumma in una eademque civitate, eſſe ſtatuit, illa non eſt admittenda. Sed ſic

major eſt falſa, nec ulla ratione probari poteſt. Etenim detur ratio, cur plura ſumma dari nequeant in una eademque civitate. Sane qui ab omni novitatis pruritu ac affectato contradicendi ſtudio liber eſt, is aſſequetur facillima ratione, quod nullam implicet contradictionem, nec quicquam obſit, quo minus plures ſummi in eadem civitate dari poſſint, cum nihil aliud hac propoſitione, quando plures ſummos in republica ſimplici dari aſſerimus, ſignificemus, quam quod pluribus conjunctim ſumtis hoc vel illud in polyarchia ſimplici, ſalvo omni jure, agere liceat, quod tantum uni in Monarchia licet ſalvo omni jure. Res eo clarior evadit, quo curioſius expendimus ſummitatem poteſtatis in civitate nihil eſſe aliud, quam licentiam κατ' ἐξοχὴν ſic dictam. Imo doceatur, cur pluribus civibus ſalvo jure liceat ea agere, quæ nullo jure ſunt prohibita in eadem civitate, ut illa, quæ ipſis licita ſunt, veram a licentia vulgari denominationem ſortiantur, & non æque fieri poſſit, ut a licentia eminentiori, imo per maximam excellentiam tali, plures actus plurium in eadem civitate ſumme liciti denominari queant.

Exceptio. Dicat quiſpiam: ſi plures ſummi ſunt ob eandem ſummitatem, nullus erit ſummus, quia ſummum illud vocatur, quod in eo gene-

genere, in quo ſummum eſt, non agnoſcit aliud ſibi æquale.

Reſpondetur nullam eſſe conſequentiam. Nam quando ſummum dicitur, quod in illo genere, in quo ſummum eſt, non agnoſcit ſibi æquale, cum limitatione hoc accipi debet, niſi hoc etiam ſummum ſit, quod æque ita denominatur: ita exempli gratia unius hominis ac totius civitatis idem ſummum bonum eſſe dicitur. Item in optima civitate quisq; ſumme bonus eſſe debebat. Annon igitur in genere boni moralis, ſi plures cives ſecundum virtutem optimam & perfectiſſimam agant, dantur plura ſumma, adeoque in eadem civitate plura habentur ſumma bona? Unde non implicat plura ſumma dari. *Solutio.*

Ad II. reſpondetur 1. majorem non eſſe ſimpliciter veram, ſi prout termini jacent, ſumatur. Nam qui majori ita nude acceptæ, quæ talis erat: Ubi non datur certum & ſtabile ſubjectum, cui inhæreat majeſtas, ibi majeſtas dari nequit; fidem facit, is majeſtatem habet pro vero ac reali ente, quod alicui tanquam ſubjecto nemine cogitante ac realiter inhæreat: nulla vero neceſſitas nos cogit, ut majeſtatem ita concipiamus, imo non apparet, cur majeſtatem in abſtracto ſumtam pro vero ac reali ente (ſi formaliter ſpectetur ac politice) debeamus agnoſcere. Quando in RESP. AD ARG. II.

probatione dicebatur, Majeſtatem eſſe aliquod incorporale, hoc ſano ſenſu admittimus, inde tamen nondum evinci poteſt, Majeſtatem eſſe verum & reale ens, ſi modo politico ſpectetur. Urgebatur itidem pro majoris probatione, Majeſtatem in abſtracto ſumtam eſſe aliquod relativum, & inde ſimul colligebatur, eam requirere certum ſubjectum, cui inhæreat, & ad quod uniformiter fiat relatio. Enimvero ut nihil de eo nunc dicamus, quod nimium pinguis ſit hæc philoſophia, quando dicitur relativum requirere certum ſubjectum, cui inhæreat relatio: quis enim ex accuratioribus philoſophis unquam ita docuit? quis ita locutus eſt? etiam qui terminos logicos intelligere incipiunt, non ignorant, aliud eſſe relativum, aliud ipſam relationem: relativum certe non requirit ſubjectum, cui inhæreat; ſed relativum dicit ipſum ſubjectum, cui relatio attribui poteſt, ſicut etiam admodum inepte ſubjectum relationis ſcilicet paternitatis pater dicebatur, cum tamen, qui rudimenta Logicæ ſemel percepit, diſcrimen ſubjecti a relato non poſſit ignorare. Uti aliud eſt album, aliud paries, cui inhærere poteſt albedo: ita aliud eſt relatum, aliud ſubjectum, quia relatum præter ſubjectum dicit relationem: Sufficiat in præſenti negaſſe, quod omnis relatio requirat certum ſubje-

ſubjectum, cui inhæreat: quippe aliud eſt relatio realis, aliud relatio realiter exiſtens, ſeu quæ eſt ens reale. Non omnis relatio realis requirit ſubjectum certum & ſtabile, cui inhæreat, ſed hoc demum procedit de reali relatione, quæ ſimul eſt verum & reale ens. Ita exempli gratia, quando duo homines cœci dantur, negari certe nequit, quod hi nemine cogitante cœci ſint ſeque invicem ratione cœcitatis realiter reſpiciant, cum realiter, hoc eſt, nemine cogitante uterque ſit cœcus adeoque ſibi invicem realiter ſimiles, interim nullo ſubjecto opus eſt, cui hæc realis relatio, nempe realis illa ſimilitudo, qua hi duo homines ratione cœcitatis realiter ad invicem referuntur, inhæreat: ratio eſt, quia hæc relatio realis non eſt ens reale, utpote cujus fundamentum eſt mera abſentia viſus ex utriusque hominis oculis, adeoque merum non-ens. Capiamus aliud exemplum: duo conſortes unius ejusdemque delicti realem ad invicem relationem dicunt, quæ nullo eget ſubjecto, cui inhæreat, ſi fundamentum petatur ex ipſa *ἀταξία* aut *ἀνομία* morali tanquam mera privatione. Idem de Majeſtate diceres, quæ in abſtracto & formaliter ſpectata eſt mera licentia, isque dicitur habere majeſtatem, qui tales actus valet committere ac omittere, ad quos comit-

tendos aut omittendos obligari a nemine mortalium poterat, nec etiam ullo vel naturali vel poſitivo jure obligabatur, unde nec alterius juri ſubſunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio (talismodi actus) irriti poſſint reddi. Sic quod allatum exemplum attinet de ſervitutibus, quando addebatur: ſicut ſervitutes vel prædium vel perſonam ſubjectum habent; etiam hoc ipſum erat indicium malæ cauſæ. Servitus *JCtis* notat jus in re aliena conſtitutum: Jus dicit h. e. qualitatem moralem aut conditionem rei *l. 23. §. ſi fundus ſerviens 2. D. de ſervitutibus prædiorum ruſticorum*. Eſtque ea facultas moralis activa & paſſiva: exempli gratia iter eſt potentia moralis activa eundi, in prædio dominante, paſſiva, in fundo ſerviente. Poteſt igitur ſervitus rei tribui, ut quando exempli cauſa ſubjectum ſervitutis activæ prædium (dominans) ſubjectum ſervitutis paſſivæ fundus (ſerviens) dicitur; poteſt quoque alio ſenſu ſubjectum ſervitutis dici perſona, cui ſervitus activa quæſita eſt, ut qui habet jus eundi: item ſubjectum ſervitutis paſſivæ perſona, quæ cogitur aliquid in ſuo pati aut non facere. Pariter uti res rei ſervit vel perſonæ, hac etiam ratione res aut perſona ſubjectum ſervitutis realis aut perſonalis denominari valet: Variat enim & valde ambigua eſt notio

notio ſubjecti, ſed ex hiſce omnibus nondum evincitur, quod ſervitus non poſſit eſſe relatio, niſi certo ſubjecto inhæreat. Idem enim de ſervitute dicendum eſt, quod de majeſtate diximus. Capiamus exemplum: ita ruſticorum prædiorum ſervitutes ſunt: licere altius tollere, & officere prætorio vicini, vel cloacam habere licere per vicini domum, vel prætorium, vel protectum habere licere *l. ruſticorum prædiorum 2, D. de S. P. R.* Fruſtra hic quæritur ſubjectum inhæſionis. Paucis: non omne ſubjectum relationis eſt ſubjectum inhæſionis. Sed tranſeant hæc, quæ ideo attulimus, quia in *Ariſtotelis Politica* rudes craſſum majeſtatis conceptum ſibi formare forte ſolent, quaſi reale accidens ſit, hoc eſt in alio realiter exiſtat tanquam in ſubjecto, & dum ita judicio laborant, non mirum ſi adducantur, ut conſtanter credant unum idemque numero accidens indiviſim in pluribus eſſe non poſſe, adeoque unius eſſe unam majeſtatem. Si jam de ſubjecto denominationis major explicetur, ut ſenſus ſit: Ubi non datur ſtabile & certum ſubjectum, quod a majeſtate vere denominari poſſit, & cui majeſtas diſtincte queat attribui, ibi majeſtas dari nequit, ſic majore ſuo loco relicta, negamus propoſitionem minorem, quod in Democratia non detur ſtabile ac

certum ſubjectum, quod a majeſtate vere denominari,& cui majeſtas diſtincte attribui queat. Ad ſingulos proſyllogiſmos, quibus minor probabatur, vix ulla reſponſione opus eſt. In primo proſyllogiſmo negatur minor, quæ hæc erat: In Democratia nullus eſt, de quo certo dici poſſit, quod imperet. Omnino enim dicimus, quod omnes imperent. Regerebatur: ſi omnes imperant, nulli parebunt, cum ſinguli ſine omnibus percipi nequeant, & quicquid de multitudine dicitur, id debeat & de ſingulis prædicari vel ſecundum totum, vel ſaltem aliquam partem. Reſpondetur: omnes ut ſinguli ſine omnibus conjunctim ſumtis utique percipi poſſunt, & quicquid de multitudine dicitur, hoc eſt, de omnibus conjunctim ſumtis ſeu ſpectatis per modum unius perſonæ, id non ſtatim debet de ſingulis, in quantum ſunt plures perſonæ, prædicari, licet alio modo de illis prædicari poſſit ſic ſpectatis, quaſi eſſent una perſona. Et quis adeo imbecillis judicii eſt, ut non poſſit ſibi imaginari hæc duo eſſe diſtincta: ſpectare omnes tanquam unam perſonam, &, ſpectare omnes tanquam plures perſonas? Item hæc: ſpectare ſingulos ut ſingulos, &, ſpectare eos ut multitudinem inſtar unius perſonæ ſe gerentem? Quando tandem loco graviſſimi ponderis annectebatur:

Reſp. ad proſyllogiſmum 1.

tur: Eodem modo dicerem, omnes clamare & ſingulos tacere, omnes urbem oppugnare, ſingulos vero eam defendere, omnes videre, & ſingulos eſſe cæcos. Hæc forte dicebantur propter juniores, hoc eſt illos, qui ne terminum quidem politicum intelligunt, quamvis vel puer aperte videat hæc, quæ pro ſimilibus vendebantur, ne quidem ſpeciem ullius tertii, in quo conveniant, mentiri poſſe. Quantum enim mendax differt a veraci, tantum hæc aſſertio, qua aſſeritur omnes clamare, ut tamen ſinguli taceant, & quæ ſimiles nugæ adjiciebantur ab eorum aſſerto, qui pro Democratia ſtabant, diſtat. Nam qui hoc diceret, quod omnes clamaverint, & ſinguli tacuerint, aperte mentiretur: At Democratiæ defenſores, quando in Democratia omnes conjunctim imperare, ſingulos tamen ut ſingulos parere perhibent, id dicunt, quod res ipſa teſtatur ac veriſſimum eſt. Ut hæc res luce clarior evadat, revocanda in memoriam venit diſtinctio inter *potentiam phyſicam & potentiam moralem ſeu civilem*, quæ in *Philoſophorum Scholis* receptiſſima eſt. Per phyſicam potentiam intelligitur potentia realiter exiſtens, qualis eſt exempli gratia viſus ſeu potentia videndi, potentia oppugnandi urbem, potentia clamandi. Per civilem potentiam indicatur licentia.

Quam-

Quamvis igitur fieri nequeat, ut exempli gratia omnes clament & ſinguli taceant, cur tamen non fieri poſſet, ut omnes licite clamarent, & tamen ſinguli illicite clamarent: ita ſi exempli gratia Princeps permitteret omnibus ejusdem urbis incolis, ut clament, modo non clament, niſi unanimi conſenſu omnes ſimul clament, tunc omnes, ſi conjunctim clamarent, licite clamarent, & tamen ſi ſinguli in eadem urbe, quilibet ſcilicet in ſuis ædibus, clamarent & absque impetrato unanimi conſenſu, illicite clamarent. Itaque fieri poteſt, ut omnes licite clament, & quoque omnes illicite clament, ſcilicet licite clamat multitudo ſeu omnes ex unanimi prius ſignificato conſenſu clamantes; illicite tamen clamant omnes, ſi ſinguli clament, quamvis prærequiſitus conſenſus non adſit. Et quis non culpat vitioſum de genere ad genus ſaltum, qui hiſce inſtantiis à clamore, pugna, viſione petitis committebatur: nam qui ſedulo attendit, quid ſit dixiſſe: omnes in Democratia conjunctim imperant, nempe quod nihil aliud ſit, quam ſi dictum fuiſſet: omnes in Democratia, quando conſiderantur, quaſi una perſona eſſent, tale quid agere poſſunt, ut quod agunt, alterius juri non ſubſit, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irritum poſſit reddi: ei obſcurum

eſſe

eſſe nequit, quod quilibet ex hac multitudine ſeorſim ſpectatus ita ſe habeat, ut niſi hoc vel illud egiſſet unanimi aliorum idem agentium conſenſu, reliquorum arbitrio irritum reddi potuiſſet. Sicut exempli gratia alias comparatum eſt, ut quis cũ ſingulis contrahere noluerit, niſi ut ſunt una multitudo: e. c. ſingulis ut ſingulis mutuo dare pecuniam noluit, quam tamen multitudini ex ſingulis conſtanti dedit lubenti animo. In ſecundo proſyllogiſmo negatur conſequentia majoris. Quando probationis loco urgebatur, ſi quod major Democratiæ pars concluderet, prævaleret, partem minorem votis ſuperatam majeſtatem non habituram eſſe, hoc urgebatur ſine ratione. Nam ratio adjecta erat nulla; ita ſe habens: quia in tali caſu reliqui ſoli decernere poſſent. Sed hic diſtinguendum eſt inter decretum & decreti executionem. Omnes in tali caſu decernere potuerunt, ſed quorundam ex parte id, quod decreverant, ultimam efficaciam ſuam non habuit. Omnes potuerunt decernere in tantum, in quantum jus habuerunt dicendi ſententiam, non quæ ſaltim conſilii eſſet, ſed quæ ingrederetur decretum publicum civitatis, ita ut a pluribus pauciorum ſententiæ haberi debuerint pro iis, ex quibus decretum civitatis formandum eſſet. Ex quo

Reſp. ad proſyllogiſmum 2.

igitur

igitur decretum formandum erat, quidni vim decreti ei attribuere poſſes? nam quod ultimam ſuam efficaciam hoc decretum non habeat, illud inde eſt, quia ab omnibus decretum erat, ut ultima efficacia, nempe plena executio decreti, penderet a majori ſententiarum parte. Imo quod præcipuum eſt, minor pars ea conditione ſententiam tulerat, ut eo, quod major pars decreviſſet, modo decretum ex ſingulorum ſententiis formaretur, ſtaretur, ut *Curtii* verbis utamur. Regerebatur, illud eſſe contra majeſtatis naturam, ut ejus poſſeſſori nihil liceat ſancire, quod teneat. Reſpondetur, utique omnes in politia ſanciviſſe id, quod in politia decernitur, in quantum omnes tulerant ſententias, ex quibus ut decretum formaretur, pluriumque ſententia daretur executioni, voluerunt, ſive pauciorum ſententiis in anteceſſum latis eſſet conſona, ſive adverſa. Porro repetebatur: ſi vota majora majeſtatem habent, cur eam omnibus attribuunt? Reſpondetur: penes omnes manet majeſtas, ultimum decreti complementum pendet ab expreſſa majoris & directa, minoris vero partis indirecta voluntate. Imo ponamus minorem partem, quatenus votis ſuperata eſt, non eſſe Democratiam, adeoque penes eam non eſſe majeſtatem, inde nondum ſequeretur,

certo

certo determinari non poſſe, penes quos ſit majeſtas. Nam ſi certo determinari poteſt numerus eorum, qui a majori parte ſteterunt, cur non etiam determinate dici poſſet, quinam ſint illi, qui repræſentent totam Democratiam, & in tali caſu jus omnium habeant ſingulorum conſenſu quæſitum? Tandem exaggerabatur difficultas, quæ veram ſententiam premat, ſi nempe accedant in aliis conſultationibus parti victæ aliorum concluſa, ut ita pars victa majeſtatem habeat. Sed difficultas fingitur, ubi nulla eſt. Sane tunc non amplius eſt pars victa, ſed pars vincens, adeoq; habet jus Democratiæ, quod perceptu facile eſt. Nondum finis eſt fruſtra motarum difficultatum, niſi quem hæc imponit exclamatio: Ita majeſtas ſingulis comitiis de perſonis migrabit in perſonas, quod erit abſurdum. Imo ſane abſurdiſſimum hoc eſt, ſed tum demum ex noſtra ſententia abſurdum tale flueret, ſi majeſtatem in ſuo formali haberemus pro vero ac reali ente, vel etiam pro multipede. Mirum ni tandem cum plauſu venatorum novitatis majeſtatem e ſubjecto ſuo migrantem & in pavimento jacentem te vidiſſe ejusq; ſectionem inſtituiſſe dicas æq; ac olim non nemo inter eos, qui novitates medicas ex *Paracelſo* tradunt, non infimæ caveæ ſcriptor *in idea Medicinæ Philo-*

ſophicæ

ſophica adverſus Ariſtotelis Philoſophiam inprimis directæ teſtatus eſt, *ſe tertianam febrim, quæ in ventriculo radices momentaneas poſuerat, vidiſſe aliquoties per vomitum rejectam in forma viſcoſæ & viridis mucillaginis* &c. *Quæ mucillago, poſteaquam rejecta fuiſſet, etiamnum talia motus veſtigia febrili horrore aliquantiſper demonſtraverit, magna adſtantium admiratione.*

Reſp. ad proſyllogiſmum 3. In tertio proſyllogiſmo negatur minor propoſitio. Quando probationis loco adferebatur, quod ſæpe fieri poſſit, ut populus æqualiter in duas partes ſecedens diſſentiat, hoc quidem ita eſt. Sed quod inde colligebatur, ſic nullum decretum, quod teneat, fieri poſſe, hoc falſiſſimum eſt: annon enim ſorti res committi poterit, aut utriusque partis conſenſu eligi, qui ſententiam populi det executioni, ut cujus partis ſententiam ipſe executus fuerit, ea utriusque partis conſenſu valeat.

RESP. AD III. ARG. Ad III. reſpondetur negando minorem ejusque probationem, ſi verba probantia ſic intelligantur: ſi in politia ſinguli obligati eſſent, tunc quoque multitudo ſpectata, ut in ea omnes quaſi unus ſunt, eſſet obligata: Alias largimur, multitudinem eſſe obligatam in Democratia, quando conſideratur ut ſinguli, ceu fuſius in reſponſione ad antecedens argumentum oſtendebatur. Ad IV.

Ad IV. reſpondetur, nullam oſtendi poſſe abſurditatem conſequentis, modo quis obſervet ea, quæ pro vera ſententia dicta ſunt. Nulla interim reſpublica adeo reperta eſt popularis, in qua non aliqui aut valde inopes aut externi, tum vero & fœminæ & adoleſcentes a deliberationibus publicis arceantur. RESP. AD IV. ARG.

Ad V. reſpondetur negando majorem. Vera majeſtas imperat omnibus in civitate, non tamen ſibi ipſi, nec majeſtatem habentibus qua talibus. Quid, quod ita in Monarchia etiam vera majeſtas non eſſet, utpote quæ Monarchæ non imperat? RESP. AD V. ARG.

Ad VI. reſpondetur negando conſequentiam majoris. Falſiſſimum eſt, quod quilibet procerum puniri poſſit a populo, cum in Ariſtocratia jus puniendi non ſit penes populum, ſed penes Ariſtocrates. RESP. AD VI. ARG.

§. 4. Occaſionem quæſtionis *Grotius* tulit *§. 7. n. 3. & §. 8. n. 9.* OCCASIO QUÆSTIONIS.

Quæſtio XI.

An Majeſtas in una eademque civitate poſſit diviſim eſſe penes uno plures?

§. 1. PRo negante ſententia militant ſequentia argumenta: PRO NEGANTE SENTENTIA.

 I. Quic-

Arg. I. I. Quicquid eſt per ſe quiddam individuum, illud qua tale nequit diviſim eſſe penes uno plures.

Atqui majeſtas eſt per ſe quiddam individuum. E.

Majeſtas nequit diviſim eſſe penes uno plures.

Major probatur, quia nulla ratione uni & pluribus eodem momento congruere poſſet, alias enim ſimul eſſet individuum quid, & non eſſet, quod abſurdum.

Minor probatur, quia omnia jura ejusdem ex una ſimplicique fluunt ſcaturigine, imperio ſcilicet in perſonam.

Arg. II. II. Si majeſtas diviſim poſſet eſſe penes plures, tunc jura majeſtatis poſſent ab invicem reali diviſione ſeparari.

Conſequens eſt abſurdum. E. & Antecedens.

Conſequentia patet.

Abſurditas conſequentis liquet inde, quia jura majeſtatis tam indiſſolubili invicem nexu cohærent, ut ſine omnium certiſſima ſufflaminatione nullum poſſit ab altero reali diviſione ſeparari. Potiſſima ſunt: Poteſtas legum ferendarum, exercitium jurisdictionis, arbitrium belli pacisque, & univerſalis conſiliorum directio. Sume ergo de his, quod lubet, & pluribus communica ſeparatim, poterit alter alterius actiones facere irritas, ille, qui

poteſta-

poteſtatem habet belli gerendi, ſi id indicendum duxerit, continuo legislator legem feret de bello non gerendo. Et videtur illa legumlatio adeo ſe univerſaliter extendere, ut in quævis valeat.

III. Si majeſtas penes plures diviſim eſſe poſſet, plures ſummitates pluresque ſummi unam majeſtatem diviſim habentes eſſe poſſent in una eademque civitate. ARG.

Conſequens eſt abſurdum. E. & Antecedens.

Conſequentia probatur, quia quælibet vel minutiſſima in majeſtate particula ſumma eſt, quoniam tota majeſtatis eſſentia in ſummitate conſiſtit. Tribue, quamcunque velis, alicui majeſtatis partem eſſentialem, ſummus erit, neminique ſubjectus & propterea alterius diſpoſitioni licite poterit non parere. Abſurditas conſequentis patet, quia ſi plures ſummi eſſent, illique diviſim majeſtatem haberent, quisque haberet unam eandemque majeſtatem totam & non haberet: haberet totam, quia jura majeſtatis ſe invicem neceſſario nexu conſequuntur, ut qui unum poſſidet, non poſſit non omnia habere, quoniam ſemper unum ſe ita ad alterum refert, donec demum ad principium primum, id eſt, imperium in perſonam, deveniatur.

niatur. Non haberet totam, quia diviſam haberet majeſtatem.

G. IV. IV. Si partes majeſtatis, imo ipſæ etiam minimæ particulæ nihil aliud ſunt, quam tota majeſtas, ſequitur, quod majeſtas diviſim eſſe nequeat penes uno plures.

Prius eſt verum. E. & Poſterius.

Major probatur, quia totum eſſe eſt indiviſum eſſe, univerſaque, quæ diviſa ſunt, quatenus diviſa ſunt, totum non ſunt, quia unum non ſunt, totum vero eſt, quod continet ea, quæ continentur, ut ſint unum.

Minor probatur, quia partes illæque ipſæ particulæ majeſtatis ſaltem pro diverſitate objecti aliud aliudque nomen accipiunt.

ARG. V. V. Nulla res incorporalis pro parte diviſa communiter poſſideri poteſt.

Majeſtas eſt res incorporalis. E.

Majeſtas pro parte diviſa communiter poſſideri nequit, adeoque diviſim penes uno plures eſſe non poteſt.

Major liquet aliarum rerum corporalium inductione. Ita dominium in fundo ſociis pro indiviſo eſt, quamprimum pro diviſo incipient poſſidere, fundus ipſe dividitur, & diſſoluta civitate quivis ſociorum certæ partis fundi ſolus eſt dominus. Idem judicium eſt de reliquis.

§. 2. Af-

§. 2. Affirmativa nec exemplis caret, nec rationibus. Illa admirabili ſtudio collegit *Grotius* noſter, has inter ſequentem eſſe volumus:

PRAJENT VERA SENTETIA. ARG.

> Si dari poteſt civitas, in qua unus pluresve alio aliisve inconſultis hos illosve actus exercere poſſunt, ita ut nullius juri ſubſint, nec alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti poſſint reddi, ſequitur majeſtatem diviſim penes uno plures eſſe poſſe.

Prius eſt verum. E. & Poſterius.

Conſequentia eſt liquida, quia omnium accuratiorum Politicorum conſenſu hoc ipſum eſt majeſtatem penes uno plures diviſim eſſe poſſe.

Prius probant tot ampliſſima hiſtoriarum monumenta, quibus noſter *Grotius* hancce ſententiam celebravit, quæ omnia convelli neceſſe eſt, ſi negativam ſententiam recipias. Imo ſi vulgare imperium diviſim penes uno plures eſſe poteſt, ut tot ſenatus ac concilia comprobant, cur non etiam eminens imperium diviſim penes plures eſſe poſſet.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata reſpondetur, & quidem

RESP. ARGUMENTA CONTRARIA.

Ad I. negando minorem, quæ hæc erat: Majeſtas eſt per ſe quiddam individuum. Et ne fucus quidam remaneat,

AD I ARG.

notamus, quod a nobis hoc loco ſupponatur, auctores, qui contrariam tuentur ſententiam, hoc velle, ac ſi majeſtas non ſit majeſtas, niſi actu indiviſa ſit, ita quidem, ut quamdiu majeſtas eſt, nequeat dividi, ut facta diviſione majeſtas maneat. Ad probationem minoris quod attinet, quando nempe dicebatur, quod omnia jura majeſtatis ex una ſimpliciq; fluant ſcaturigine, imperio ſcilicet in perſonam, ita ut hujus conſequentia eſſentialia ſint, hęc certe omnia ſine fundamento traduntur ac ſine ſolida ratione, ſaltem ut eo citius fucus imperitioribus offundatur. Etenim accuratioris doctrinæ civilis æſtimatores hoc feliciſſime capiunt, quod æq; vera majeſtas ſit ſumma poteſtas circa rem ac ſumma poteſtas circa perſonam. Cur enim ſumma poteſtas circa leges, circa bellum & pacem non poſſet dici ſimul poteſtas ſumma in perſonam & in rem: quando Rex ſuis ſubditis legem fert, eo ipſo exerit ſummum imperium in ſubditos, quibus per talem legem imperat, ſique forte legem ferat de ordinariis tributis, eo ipſo ſummam poteſtatem circa res, id eſt, circa bona ſubditorum exerit. Eadem ratione quando bellum gerit, in auxilium perſonas bonaq; ſubditorum vocat. Et quicquid tandem ſit, purum putum figmentum eſt, quaſi imperium in perſonam ſit primus majeſtatis

con-

conceptus, ſecundarii vero conceptus ac eſſentialia conſequentia ſint jura majeſtatica. Etenim in ſe ſpectata majeſtas eſt ſumma poteſtas, id eſt, poteſtas, cujus actus, ſalvo omni jure, a nullo alio, qui majeſtatem non habet, irriti reddi poſſunt. Interim quod nunc imperium, quatenus verſatur circa perſonam, nunc dominium ſupereminens, quatenus rem præciſe pro objecto habet: item nunc ſummum jus belli & pacis, nunc jus legum ferendarum &c. vocetur, hoc fit per extrinſecam denominationem, ſumtam ſcilicet a variis objectis, ad quæ majeſtas ſe extendit, ut tamen adhuc quis habeat veram majeſtatem, quamvis non ad omnia objecta porrigatur. Si rem ſimilitudine ex alieno fundo mutuata declarare liceat, forſan non incommode huc veterum Philoſophorum, Græcorum imprimis, ſententia trahi poſſet de anima, quæ in vivente ipſis nihil aliud eſt, quam σύλληψις τῶν δυνάμεων, complexus facultatum, quæ principia operationum vitalium eſſe queunt: ſic plena majeſtas σύλληψιν potentiarum civilium dicit, ut quemadmodum pro diverſitate objectorum δυνάμεις φυσικαὶ in corpore humano, ſic ἐξουσίαι in republica pro varietate objectorum varient, ut interim majeſtas in ſua plenitudine ſpectata primoque conceptu ſit σύλληψις τῶν ἐξου-

σιῶν, & quemadmodum non repugnat diverſas potentias animæ in diverſis eſſe corporis membris, ſic nihil prohibet, quo minus diverſæ ἐξουσίαι diverſimode ac diverſis aſſignari queant. Quod ſi majeſtatis diviſionem tibi imagineris æque ſe habere ac diviſionem realis entis, omnino ſic majeſtatem dividi poſſe, nunquam aſſequeris.

AD II. ARG. RESP. Ad II. reſpondetur, magnam eſſe ambiguitatem in his vocibus: *realis diviſio* majeſtatis. Nam ſi realis diviſio ſic ſumatur, ut in Phyſicis accipitur, ſic omnino abſurdiſſimum eſt, realem diviſionem majeſtatis dari: neq; vero realem exiſtentiam diviſionis, unde majeſtas diviſa appelletur, accurati Philoſophi unquam aſſeruere. Quod ſi vero hæc locutio: majeſtas penes plures diviſim eſſe poteſt, recte explicetur, ut hic ſit ſenſus, quem §. 2. indicavimus, ſic conſequentia ſponte ſua corruit. Fruſtra quoq; in probationem veræ ſententiæ adducebatur, ac ſi eo ſtante, quod unus habeat majeſtatem ferendi leges, alter majeſtatem gerendi bellum, utriusq; majeſtas nulla futura ſit: nam majeſtas circa leges non extendit ſe ad belli externi negotia, & majeſtas circa bellum nō porrigitur ad leges judiciarias illas & pacis proprias. Quando vero regerebatur, quod majeſtas circa leges non ſit vera majeſtas,

niſi

niſi ſe eo usq; extendat, ut in quævis valeat: hoc dicebatur quidem, manet tamen πρῶτον ψεῦδος, quippe ſemper confunduntur vera majeſtas & plena majeſtas. Et quod præcipuum eſt, majeſtas diviſim penes uno plures manet, licet nulla pars majeſtatis ab altera plane ſejuncta exerceri poſſet: Nam ſufficit, quod adhuc unus pluresve in certis tantum majeſtatis partibus concurrant, utut penes alium aliosve, cum quibus concurrunt circa certa objecta, plena majeſtas maneat. Imo a diviſionis vocabulo alias abuſui adeo oportuno, ſi odioſum eſt, animo libenti abſtinebimus, modo res ipſa admittatur.

Resp. Ad III. Arg.

Ad III. reſpondetur negando abſurditatem conſequentis. Cur enim plura ſumma pluresque ſummitates dari non poſſent? Repetantur ea, quæ præcedenti quæſtione reſponſione ad 1. Arg. p. 466. obſervavimus. Uti non repugnat in eadem ſylva duas dari pluresve arbores æq; altiſſimas, licet una ramorum plenitudine alteram vincat: Ita non repugnat dari plures ſummos in una eademq; civitate, quamvis unius ſumma poteſtas ad plura, quam alterius ſumma poteſtas, extendatur. Quæ pro demonſtranda abſurditate adferebantur, quod videlicet ſi plures ſummi eſſent, illiq; diviſim majeſtatem haberent, quisq; haberet unam eandemque

majeſtatem totam, & non haberet: Hoc falſum eſt. Nam 1. poteſt Monarcha totam habere majeſtatem, hoc eſt omnia jura ſummi imperii, ut tamen quædam habeat non ſolus, in quibus alios tanquam coimperantes admittere tenetur. Sic totam majeſtatem Monarcha habet, licet diviſim penes Monarcham & Ariſtocrates ſit. 2. unde probabitur, quod jura Majeſtatis ſe invicem neceſſario nexu conſequantur, ut qui unum poſſidet, non poſſit non omnia habere? Urgebatur quidem hæc ratio, quia ſemper unum ſe ita ad alterum refert, donec demum ad principium primum, id eſt, imperium in perſonam deveniatur. Sed quod hæc ratio ſeipſam non urgeat, ex reſponſione ad Argumentum I. conſtitit.

Resp. Ad IV. Arg. Ad IV. reſpondetur negando prius ejusq; probationem. Majeſtas, ſive formaliter ſit reale ens, ſive minime, ſi in ſua plenitudiue ſpectetur, dicit σύλληψιν ἐξουσιῶν. Dicebatur quidem illas ἐξουσίας ſaltem pro diverſitate objecti aliud aliudque nomen accipere: Hoc tamen, ſi ita accipiatur, quod præter nudum nomen jura majeſtatica inter ſe non differant, aperte falſum eſt. Licet enim ſpecificum ac eſſentiale diſcrimen potentiarum a diverſitate objectorum petere, quidni ergo majeſtatis in ſua plenitudine ſpectatæ partes eſſen-

eſſentialia inter ſe admitterent diſcrimina?

Ad V. reſpondetur luſum eſſe in voce *diviſa*. Talismodi res incorporalis, qualis etiam majeſtas eſt, phyſice loquendo nec eſt ens indiviſum nec diviſum, imo plane non eſt reale ens, ſed conſiſtit in jure, unde nec pro parte diviſa, nec pro parte indiviſa communiter poſſideri poteſt. Quod vero inde inferebatur: ergo nec diviſim majeſtas penes uno plures eſſe poteſt, hoc ſi ita accipiatur, ut veræ ſententiæ aſſertores phraſin accipiunt, nulla vis conſequentiæ eſt, quæ tam facile rejicitur, quam adfertur. Obiter addimus, quod allatum dominii exemplum, ſi maximorum *JCtorum* judicio ſtandum, huc non quadret. Nam illis dominium fundi eſt jus in re & rei affectio, non autem res incorporalis, ut imperium. Quo enim modo recte dicitur imperium alienari, non eum, in quem imperium quæſitum eſt, eodem perperam diceretur, dominium, non rem, quæ eſt in dominio, alienari. Conſulatur *Dn. Strauchius*, JCtus famigeratiſſimus, *Diſſert. Exot. 4. §. 18. p. 110*. Quod ſi tandem quis ad doctrinam communium πρὸς ἕν majeſtatem pertinere juſſerit, eamque primario ac abſolute de plena majeſtate, ſecundario ac per poſterius de minus plena majeſtate dici putaverit eidem neutiquam refragabimur. RESP. AD V. ARG.

§. 4. Oc-

OCCASIO QUÆSTIONIS. §. 4. Occaſionem ſat amplam *Grotius* noſter §. *17.* & *20.* ſuppeditavit.

Quæſtio XII.

An Majeſtas temporaria ſit vera majeſtas?

§. 1.

PRO NEGANTE SENTENTIA. NEgativa probari ſolet ſequentibus argumentis:

ARG. I. I. Nulla poteſtas mere precaria, dependens ac ad alterius nutum revocabilis eſt vera majeſtas.

Omnis majeſtas temporaria eſt poteſtas mere precaria, dependens ac ad alterius nutum revocabilis. E.

Nulla majeſtas temporaria eſt vera majeſtas.

Major eſt manifeſta, quia precariæ, dependentis ac ad alterius nutum revocabilis poteſtatis actus libero arbitrio revocantis irriti reddi queunt.

Minor liquet ex natura majeſtatis temporariæ: nam ſi non poſſet revocari, tunc eſſet perpetua.

ARG. II. II. Si majeſtas temporaria eſt vera majeſtas, ſequitur omnes regnorum Tutores, Curatores, Proprincipes, Interreges, Procuratores habere veram majeſtatem.

Con-

Conſequens eſt falſum, & contra *Politicorum* placita. E. & Antecedens.

Conſequentia probatur, quia is, qui habet majeſtatem temporariam, reipſa nihil aliud eſt, quam civitatis tutor aut curator ad certum tempus.

III. Si res alteri data commodato vel pignori revera in poſſeſſionem alterius non cedit, ſequitur, quod poteſtas ad certum tempus & revocabiliter alteri permiſſa proprie non ſit majeſtas. ARG. III.

Prius eſt verum. E. & Poſterius.

Conſequentia probatur, quia talismodi poteſtas ad certum tempus & revocabiliter conceſſa alteri aliter ſe non habet, quam res pignori vel commodato data, ut pro lubitu poſſit repeti, isque, cui ad certum tempus permiſſa quaſi cuſtodia ejus fuerat, reddere teneatur.

§. 2. Affirmativa ſententia veriſſima eſt probaturque ſequentibus argumentis: PRO AFFIRMANTE SENTENTIA.

I. Omnis vere ſumma poteſtas in civitate eſt vera majeſtas. ARG. I.

Omnis temporaria majeſtas eſt vere ſumma poteſtas in civitate. E.

Omnis temporaria majeſtas eſt vera majeſtas.

Major eſt definitio majeſtatis.

Minor probatur hocce proſyllogiſmo:

Cujus-

Cujuscunque poteſtatis actus alterius juri non ſubſunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti poſſint reddi, illa poteſtas eſt vere ſumma poteſtas.

Majeſtatis temporariæ actus alterius juri non ſubſunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti poſſint reddi. E.

Majeſtas temporaria eſt vere ſumma poteſtas.

Major patet: in eo quippe ſummitas poteſtatis conſiſtit.

Minor probatur, quia nemo nominari poteſt, cujus arbitrio intra illud tempus, quo quis majeſtatem temporariam habet, temporariæ illius poteſtatis actus irriti reddi poſſint. Namque intra tempus ſuum habens majeſtatem temporariam omnes actus eodem jure exercet, quo Rex, qui eſt optimo jure.

RESP. AD ARGUMENTA CONTRARIA.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata facilis eſt reſponſio.

AD ARG. I.

Ad I. reſpondetur, poteſtatem aliquam duplici ratione dici revocabilem: 1. revocabilem ſine omni temporis exceptione, hoc eſt, revocabilem ſemper, ut in privatis revocabile dicitur, quod poſſidetur quaſi & ex commodato. 2. revocabilem cum exceptione temporis, hoc eſt, non ſemper, ſed certo & exacto tempore, ſicuti quis rei alicujus dominium irrevocabiliter ad certum tempus (neutiquam tamen

ad

ad omne tempus, qua propter etiam revocabile *JCtis* appellatur) habere poteſt. Hac diſtinctione præmiſſa reſpondetur limitando majorem: nulla poteſtas omni tempore mere precaria, ſemper dependens ab alieno arbitrio ac ad alterius nutum quocunque tempore revocabilis, eſt vera majeſtas. Sic conceſſa majore negatur minor, quæ talis erit: omnis majeſtas temporaria eſt poteſtas omni tempore mere precaria, ſemper dependens ab alieno arbitrio, ac ad alterius nutum quocunque tempore revocabilis. Nihil profecto toto hoc argumento evincitur, quam quod majeſtas temporaria non ſit omni tempore majeſtas, id quod libentiſſime admittitur, idemque *Grotius* noſter his verbis indicat: *Si de dignitate quæritur, quæ majeſtas dici ſolet, dubium non eſt, quin ea major ſit in eo, cui jus perpetuum datum eſt, quam cui temporarium, quia ad dignitatem facit habendi modus.* Interim ſicuti veram majeſtatem omni tempore habet, cujus poteſtas civilis nullo tempore revocabilis eſt, nulloque tempore ejus actus alterius juri ſubſunt, aut ab alio unquam irriti reddi poſſunt, cur non etiam is haberet veram majeſtatem certo tempore, qui ejusmodi poteſtatem habet, cujus actus ad certum tempus ab alio reddi irriti nequeunt, nec intra iſtud tempus alterius

juri

juri ſubſunt, revocari quoque ea poteſtas intra iſtud tempus nequit? Nulla quippe ratio datur, cur non ſemeſtris magiſtratus intra ſemeſtre æque ſit magiſtratus, ac perpetuus magiſtratus omni tempore magiſtratus eſt. Annon duæ aquæ poſſunt eſſe æque calidæ, licet in una calor diutius, quam in altera duraturus ſit? Num propterea duæ arbores ejusdem altitudinis non fuerunt, quod una abſcinderetur citius? Apprime in hanc rem faciunt, quæ de Dictatoribus Romanis tradit *Pomponius JCtus l. neceſſarium 2. §. populo deinde aucto 18. D. de origine Juris*, quæ huc tranſcribere placet: *Populo*, inquit, *deinde aucto cum crebra orirentur bella, & quædam acriora a finitimis inferrentur interdum re exigente, placuit majoris poteſtatis magiſtratum conſtitui. Itaque Dictatores proditi ſunt, a quibus nec provocandi jus fuit, & quibus etiam capitis animadverſio data eſt. Hunc magiſtratum, quoniam ſummam poteſtatem habebat, non erat fas ultra ſextam menſem retinere.* Habebat ergo Dictator apud Romanos ſemeſtrem poteſtatem rerum omnium, *ad hoc tempus credebatur ipſi ſumma poteſtas*, ut habet *l. unica D. de officii Præfecti Prætorio*, adeoque non ſemper erat hæc poteſtas precaria, id quod *Appius Claudius*, cum ſuam ſententiam de ſedando tumultu diceret, teſtabatur:

tur: *Agite*, inquiens, *Dictatorem, à quo provocatio non eſt, creemus, jam hic, quo nunc omnia ardent, conticeſcet furor*, ut eſt apud *Livium L. II. c. 29.* Ita *Dionyſius Halycarnaſſæus L. 5. Hiſt.* ſcribit: *T. Largius primus omnium Romæ Monarcha deſignatus eſt, cum plenaria belli ac pacis omniumque rerum aliarum poteſtate.* Hæc ille. Unde nec à ſenatu populove Romano pro lubitu revocari poterat quolibet temporis articulo, ſed tum demum, ubi ſemeſtre ſpatium præſtitutum eſſet elapſum, niſi neceſſitas diuturnius exigeret, ſicut aliquando in maximis periculis ad annum nonnullis continuata eſt, exemplo L. Papyrii Curſoris & Q. Fabii Maximi, quamvis complures etiam denis vicenisque diebus Dictaturam ſuam finiiſſe ex *Livii L. IX.* conſtet. *Bodinus* quidem jus provocandi veramque majeſtatem Dictatori denegat inque peciem ſuæ ſententiæ *Livii* verba allegat ſic habentia: *Tum Pater Fabii, Tribunos, inquit, appello, & provoco ad populum, qui plus quam tua Dictatura poteſt, cui Rex Tullus Hoſtilius ceſſit.* In hanc nempe provocationis formulam inciderat Fabii pater, quando L. Papyrius Dictator Fabium Max. Equitum Magiſtrum, quia contra ejus mandatum cum hoſte dimicaverat, capitis damnaverat. Imo cenſet eum ex provocatione populi judicio liberatum fuiſſe:

Verum hac de re *Florus in Epitome* contraria refert: *Fabius*, ajens, *Romam profugit, & cum cauſa parum proficeret, populi precibus donatus eſt.* Sic *Livius* de Tullo Hoſtilio, qui cauſam Horatii, unius ex tergeminis fratribus, quod poſt conflictum cum tribus curialibus, quo victor imperium Romanis in Albanos pepererat, ſororem interfeciſſet, ad Populum Romanum detulit, memorat ſequentia: *Non coactus*, ſunt *Livii* verba, *aut ullo jure obſtrictus dedit locum provocationi Tullus Hoſtilius ad Populum, ſed cauſa, cujus judex ſine omni provocatione erat, cognitionem, ne ipſe tam triſtis ingratique ad vulgus judicii & ſecundum judicium ſupplicii autor eſſet, poſt longam haeſitationem, ſponte, judicio ac voluntate ſua ad populum retulit.* Fortaſſis idem, quod modo de Dictatura Romanorum diximus, de *αἰσυμνητία* Græcorum ſuo modo dici poſſet. Græci, *Dionyſio* teſte, quod libertatis eſſent ſtudioſiſſimi, præ cunctis ejus ævi nationibus, Regis & domini nomen magnopere fugiebant: quando tamen uſu veniret, ut ingentia pericula rempublicam invaderent, malive mores vim afferrent legibus, publicæ quietis gratia ſummum uni regimen committebant, quamvis gratiori titulo velatum. Sic Theſſali *Ἀρχὸς*, Lacædemonii *ἁρμοστὰς*, Mitylenenſes *αἰσυμνήτας* vocarunt, quos metu

metu præpediti Reges vel Tyrannos appellare nolebant. Igitur veriſſimum manet, quod rerum moralium natura ex operationibus cognoſcatur, eamque duratio non immutet, cum quæ facultates eosdem effectus habent, eodem nomine nuncupandæ ſint.

Ad II. reſpondetur, negando conſequentiam ejusque probationem, niſi tutoris aut curatoris voce velis ludere. Tutores enim regnorum, curatores, procuratores, proprincipes, interreges, majeſtatem non habent per conceſſionem abdicativam ſeu privativam, ut in *Scholis* diſtingvitur, ſed per conceſſionem cumulativam, hoc eſt, jus exercendi majeſtatem habent, ipſam majeſtatem minime. Neque ipſi ſibi majeſtatem tribuunt, ſed omnia curatorio aut tutorio, Principis vel Regis nomine agunt. RESP. AD ARG. II.

Ad III. reſpondetur negando conſequentiam ejusque probationem. Rei pignori vel commodato datæ dominium manet penes dantem, neque transfertur in eum, cui res datur: plane aliter comparatum eſt cum majeſtate, quæ alteri irrevocabiliter ad certum tempus collata eſt. RESP. AD III. ARG.

§. 4. Occaſionem quæſtionis *Grotius* præbuit §. *11. n. 2. & 3.* OCCASIO QUÆSTIONIS.

Quæſtio XIII.

An ſummum imperium habere poſſit is, qui inæquali fœdere tenetur?

§. I.

PRO NEGANTE SENTENTIA.

PRo negativa ſententia objici poſſunt ſequentia argumenta:

ARG. I.

I. In quoscunque caput fœderis habet jus pœnæ, illi non habent ſummum imperium.

Atqui in eos, qui inæquali fœdere tenentur, caput fœderis habet jus pœnæ. E.

Ii, qui inæquali fœdere tenentur, non habent ſummum imperium.

Major propoſitio eſt manifeſta, quia nemo in civitatibus poteſt punire alterum, niſi ſubditum.

Minor exemplis non caret, ejusque veritatem teſtatur *Proculus JCtus*, quando *l. non dubito 7. §. at fiunt 2. D. de captivis & poſtliminio* inquit: *Fiunt apud nos rei ex civitatibus fœderatis & in eos damnatos animadvertimus.*

ARG. II.

II. Cui alius imperat, is non habet ſummum imperium.

Caput fœderis imperat iis, qui inæquali fœdere tenentur. E.

Ii, qui

II, qui inæquali fœdere tenentur, non habent ſummum imperium.

Major eſt manifeſta.

Minor conſtat ex hiſtoriis, quæ capiti fœderis imperandi, reliquisque vocem parendi tribuunt.

III. Si per experientiam conſtat, quod ſuperiores in fœdere imperium proprie dictum uſurpaverint adverſus confœderatos, ſequitur, quod reliqui confœderati non habuerint ſummum imperium. ARG. III.

Prius eſt verum. E. & poſterius.

Conſequentia patet.

Prius probatur: Ita Athenienſes fecerunt, cum a confœderatis ad ſe provocari paſſi ſunt, ut refert *Dionyſius Halycarnaſſæus L. VI.* Sic Latini apud *Livium* querebantur ſub umbra fœderis Romani ſervitutem ſe pati. Eumenes apud *Livium* Rhodiorum ſocios ait verbo eſſe ſocios, revera ſubjectos imperio & obnoxios.

§. 2. Antequam affirmativa ſententia probatur, explicandum venit, quid per inæquale fœdus hoc loco intelligatur: nempe non quod inter viribus diſpares initur: quomodo exempli gratia Thebana civitas Pelopidæ tempore fœdus cum Perſarum Rege habuit, & Romani cum Maſſilienſibus, deinde cum Rege Maſaniſſa; nec quod actum habet transeuntem, ut: cum hoſtis PRO AFFIRMANTE SENTENTIA.

qui ſit ad amicitiam recipitur, dum impenſas belli ſolvat, aut aliud quid præſtet: ſed inæquale fœdus hoc loco idem notat, atq; tale fœdus, quod ex ipſa vi pactionis manentem prælationem quandam alteri donat, hoc eſt, ubi quis tenetur alterius imperium ac majeſtatem conſervare, id eſt, tum operam dare, ut ejus imperium in tuto ſit, tum ut dignitas, quæ majeſtatis nomine ſignificatur, ei conſtet: Taliſmodi fœdus erat exempli gratia Ætolorum cum Romanis. Status ergo quæſtionis hic eſt: An ſummum imperium habere poſſit is, qui alteri plus reverentiæ vi fœderis præſtare tenetur, ut nempe ab altero ſibi ex eodem fœdere plus præſtetur auxilii? Hoc igitur ſenſu affirmativam probamus ſequentibus argumentis:

Arg. I. I. Si patrocinium privatum non tollit libertatem perſonalem, ſequitur, quod ſuperioritas inter confœderatos non tollat ſummum imperium.

Prius eſt veriſſimum. E. & Poſterius.

Conſequentia probatur, quia ſuperioritas in fœdere nihil aliud dicit, quam publicum quoddam patrocinium: Sicut ergo patrocinium privatum non tollit libertatem perſonalem, ita patrocinium publicum non tollit libertatem civilem, quæ ſine ſummo imperio intelligi nequit.

II. Si

II. Si amicitia inæqualis inter privatos locum habere poteſt, ut tamen nullus amicorum in alterum imperium habeat, ſequitur, quod etiam is, qui inæquali fœdere tenetur, adhuc ſummum imperium habere poſſit. ARG. II.

Prius eſt extra dubitationem. E. & Poſterius.

Conſequentia probatur, quia utrobiq; par ratio eſt, & optime amicitia inæqualis privatorum & fœdus inæquale eorum, qui majeſtatem habent, in terminis comparationis conveniunt. Ex utraque enim parte inferioritas & ſuperioritas nihil aliud arguunt, quam obligationem ad officia inæqualia.

§. 3. Ad argumenta in contrarium allata reſpondetur: & quidem RESP. AD ARGUMENTA CONTRARIA.

Ad I. prænotando, quod magna ſit ambiguitas in hac locutione: in eos, qui inæquali fœdere tenentur, caput fœderis habet jus pœnæ. Nempe in quadruplici ſenſu poteſt intelligi: 1. quod caput fœderis confœderatorum ſubditos poſſit punire. 2. quod ipſos confœderatos, dum fœderis legibus ſtare nolunt, punire queat. 3. quod punire poſſit unum confœderatum, ſi alii confœderato, ut tamen omnes ejusdem fœderis ſocii ſint, injuriam feciſſet. 4. ſi confœderatum ſubditi ejus coram capite fœderis accuſaſſent. AD I. ARG. *Quatuor pro quadruplici ſenſu argumenta.*

Jam ſi primo ſenſu ſumatur antecedens in majore, ut hoc ſit argumentum: Quorumcunque ſubditos caput fœderis poteſt punire, illi non habent ſummum imperium in ſubditos. Atqui eorum, qui inæquali fœdere tenentur, ſubditos caput fœderis poteſt punire. E. Sic reſpondetur dupliciter hoc poſſe intelligi, quando dicitur: Caput fœderis poteſt eorum, qui inæquali fœdere tenentur, ſubditos punire, (α) ut hoc poſſe dicatur iis, qui inæquali fœdere tenentur, inconſultis (β) iis, qui inæquali fœdere tenentur, prius conſultis. Si prius, minor eſt falſa. Nam ſociorum alter in ſocii ſubditum jus prehenſionis aut punitionis directe non habet: Ita Decius Magius Campanus ab Annibale vinctus & Cyrenas delatus, atque inde deportatus Alexandriam, docuit contra jus fœderis vinctum ſe ab Annibale eſſe, atque ita vinculis liberatus eſt. Sic Carthaginienſes Romanis apud *Livium* reſponderunt: *Ego non privato publicove conſilio Saguntum oppugnatum ſit quærendum cenſeo, ſed utrum jure an injuria; noſtra enim hæc quæſtio atque animadverſio in civem noſtrum eſt, noſtro an ſuo fecerit arbitrio; vobiscum una diſputatio eſt, licueritne per fœdus fieri.* Si poſterius, major eſt falſa: nam inter æqualiter fœderatos idem locum habet, imo etiam inter eos, qui nullo fœdere tenentur, nem-

Arg. 2.

Reſp. ad Arg. 2.

nempe ut ſi peccatum alieni ſubditi appareat, teneatur is, qui ſummum imperium in ſubditum habet, eum, qui peccavit, adverſus alienam rempublicam ejusve rectorem, punire, aut ei imperanti, cui nocitum eſt, dedere. Sic quando legatus crimen atrocius & ad publicum malum ſpectans commiſit, mittendus eſt ad eum, qui miſit, cum poſtulato, ut eum puniat aut dedat, quomodo Gallos poſtulaſſe legimus, ut ſibi dederentur Fabii. In altero ſenſu ſi ſumatur antecedens in majore, hoc prodit argumentum. Qui cunque quando ſtare legis fœderibus nolunt, a capite fœderis puniri poſſunt, illi non habent ſummum imperium. Atqui qui inæquali fœdere tenentur, quando ſtare legis fœderibus nolunt, puniri poſſunt. E. Sic forſan reſponderi poſſet negando propoſitionem minorem, jus enim pœnæ eſt utiq; jus ſummi imperii, & qui ſummo imperio in alterum caret, alterum, licet fœderis legibus non ſteterit, punire nequit, quo de *cap.* *20. L. II.* agetur. Sed quia hæc reſponſio *Grotio* noſtro non arridet, ideo nunc non diſputabimus de eo, major enim fallit. Et poteſt dari veriſſima inſtantia: idem enim locum habet in fœdere æquali, ut jus habeat ſocius cogendi ſocium, ut ſtet fœderis legibus, atque etiam puniendi, ni ſteterit. Sive hoc jus ſit jus pœnæ proprie ſic

Arg. 2.

Reſp. ad arg. 2.

dictæ, ſive minime. Quid, quod etiam inter Reges aut populos non fœderatos idem uſu veniat, quidni ergo inter fœderatos, maxime inæquali fœdere junctos? *Arg. 3.* In tertio ſenſu adeſt tale argumentum: Quemcunq; caput fœderis punire poteſt, quia alii confœderato injuriam fecerat, ille ſummum imperium non habet. Atqui eum, qui inæquali fœdere tenetur, caput fœderis punire poteſt, quia alii confœderato injuriam fecerat. E. is qui inæquali fœdere tenetur, ſummum imperium non habet. *Reſp. ad arg. 3.* Hic non dicemus de minore, quæ tamen falſa eſt; nulla interim eſt conſequentia majoris. Nam alias illi quoque, qui æquali fœdere invicem juncti eſſent, non haberent ſummum imperium, quia ſicut in inæquali fœdere plerumque convenire ſolet, ut controverſiæ de illatis ſocio fœderis a ſocio injuriis diſceptentur apud eum, qui ſuperior eſt in fœdere: ita in fœdere æquali ſolent controverſiæ deferri ad conventum ſociorum, quos ſcilicet res non tangit, id quod Græci, Latini veteres & Germani olim fecerunt; aut alioqui ad arbitros. Quid, quod etiam Reges apud judices a ſe conſtitutos judicio contendere ſolent. In quarto denique ſenſu hoc exſurgit argumentum: *Arg. 4.* Quicunque a ſubditis coram capite fœderis accuſari poteſt, is non habet ſummum imperium

perium in ſubditos. Is, qui inæquali fœdere tenetur, a ſubditis coram capite fœderis accuſari poteſt. E. Is, qui inæquali fœdere tenetur, non habet ſummum imperium. Minor in hoc argumento eſt falſa: egregie *Ariſtoteles III. Polit. c. 9.* in hoc docuit ſocietatem a civitate differre, quod ſociis curæ ſit, ne injuria in ipſos committatur, non vero, ne ſociæ civitatis cives inter ſe injurias committant. Ideo cum Herodes quædam adverſos liberos ad Auguſtum ſua ſponte deferret, apud *Joſephum* dixerunt: *Poteras de nobis ſupplicium ſumere tuo jure tum qua pater, tum qua Rex.* Et Scipio cum Romæ a Carthaginienſium quibusdam Annibal accuſaretur, teſte *Valerio Maximo*, dixit: Non oportere ſe Patres Conſcriptos Reipublicæ Carthaginienſium interponere. *Reſp. ad arg. 4.*

Ad II. reſpondetur, ambiguitatem eſſe in voce *imperat*. Eminentioris ac potentioris poſtulata in rebus, quæ ad propriam utilitatem ſpectant, ſæpe ſolent imperia dici, non ex jure, ſed ex effectus ſimilitudine, ſicut Regum preces imperia ſæpe eſſe dicuntur, & ægrotis imperare medici. Probat hanc locutionem *Livius*, quando *L. XLII.* ait: *Ante hunc conſulem* C. Poſthumium *nemo unquam ſociis in ulla re oneri aut ſumtui fuit: ideo magiſtratus mulis, tabernaculis & omni alio inſtrumento militari orna-* AD II. ARG. RESP.

ornabantur, ne quid tale IMPERARENT ſociis. Tale ergo imperium non tollit ſociorum ſummum imperium in ſubditos. At in rebus communibus, extra tempus conventus, etiam, ubi fœdus æquale eſt, ſolet is, qui lectus eſt, princeps fœderis ſociis imperare, ut Agamemnon Regibus Græcis, Lacedæmonii Græcis poſtea, deinde Athenienſes. Si ergo in fœdere æquali imperium unius in reliquos confœderatos ſummum horum imperium in ſubditos non tollit, quidni in fœdere inæquali hoc ſenſu imperare poſſet ſuperior in fœdere, ut tamen ejusmodi imperium non tollat ſummum imperium iis, qui inæquali fœdere tenentur, quæſitum in ſubditos. Egregiis exemplis ac teſtimoniis *Grotius* noſter hæc declarat *§. 21. n. 8.*

Ad III. Arg. Resp. Ad III. reſpondetur, duobus modis hoc intelligi poſſe, quod dicitur ſuperiores in fœdere imperium proprie dictum uſurpaſſe adverſus confœderatos. 1. jure fœderis, hoc eſt, adverſus confœderatos, ut confœderatos. 2. ex confœderatorum patientia quæſito jure, hoc eſt, adverſus confœderatos, qui nempe confœderati eſſe deſierant, nunc ſubditi facti. Si priori ſenſu intelligatur, negatur prius. Si poſteriori, negatur conſequentia. Jam enim ſermo eſt de confœderatis, qui adhuc in fœdere ſunt, licet inæquali.

§. 4. Oc-

§. 4. Occaſionem hujus quæſtionis prolixam dedit *Grotius integro §. 21.* Occasio Quæstionis.

Quæſtio XIV.

An qui Feudi jure regnum poſſidet, poſſit eſſe verus Rex?

§. 1.

NEgativa probari ſolet ſequentibus argumentis: Pro Negante Sententia.

I. Quicunque recognoſcere debet dignitatem regalem a Domino infeudante, is non eſt verus Rex. Arg. I.

Atqui feudi jure regnum poſſidens recognoſcere debet dignitatem regalem a Domino infeudante. E. feudi jure regnum poſſidens non eſt verus Rex.

II. Quicunque agnoſcit ſuperiorem, is non eſt verus Rex. Arg. II.

Vaſallus feudi agnoſcit ſuperiorem. E.

§. 2. Affirmativam *Grotius* noſter probat ſequenti argumento: Pro Affirmante Sententia. Arg.

Si nexus feudalis per ſe tollit ſummitatem imperii, aut ideo tollit, quia perſona vaſalli eſt obligata ſeniori, aut ideo, quia vaſallus jus in rem habet amiſſibiliter.

Neutrum dici poteſt. E.

Nexus

Nexus feudalis per ſe non tollit ſummitatem imperii.

Non prius, quia ſicut obligatio perſonalis privato non demit jus libertatis perſonalis, ita nec jure feudi regnum poſſidenti demit jus ſummi imperii, cum utrobique par ſit ratio: jus namque ſummi imperii eſt jus libertatis, ſcilicet civilis libertatis.

Non poſterius, quia aliud eſt res, aliud rem habendi modus: Multos Reges Romani conſtituerunt, ita ſcilicet, ut deficiente regia familia imperium ad ipſos rediret, quod de Paphlagonia aliisque nonnullis *Straboni* notatum.

Resp. ad Arg. Contraria. §. 3. Ad argumenta pro contraria ſententia allata reſpondet *Grotius* & quidem

Ad I. Ad I. negando Majorem. Hoc enim per ſe nihil amplius arguit, quam ſpeciem fœderis inæqualis.

Ad II. Ad II. negando aut minorem, ſi ſermo ſit de ſuperioritate in rigore ſic dicta; aut majorem, ſi ſuperioritas improprie talis intelligatur, qua ratione in fœderibus inæqualibus ſuperioritati locum in præcedenti quæſtione aſſignavimus, quæ nempe ſuperioritas in externo honore vel dignitate conſiſtit, & a *Tacito* reverentia imperii dicitur.

Occasio Quæstionis. §. 4. Occaſionem quæſtionis ſuggeſſit *Grotius* §. 23. Et forte videri potuiſſet,

ac

ac ſi hujus quæſtionis recitatione ab inſtituti noſtri Philoſophici ſcopo aberraſſemus, qua propter etiam ſaltem ex *Grotii* mente eam recenſuimus. Suſpicionem enim hanc excitare verba *Grotii* poterant, quando ſcribit, quod ejusmodi contractus *proprius ſit Germanicarum Gentium, neque usquam inveniatur, niſi ubi Germani ſedes poſuerint:* Sed aliter ſentiunt alii. Ita *Keckermannus L. I. Syſtem. Polit. c. 14. p. 237.* ſcribit: *Etſi jus feudorum novum videatur, & ante Longobardorum in Italiam incurſiones ignotum, atque adeo tale, quod ex Italia profluxerit in Europam univerſam, tamen omnino ſimile aliquid fuit apud antiquas & alias gentes, nempe apud Aſſyrios, Perſas, Græcos, Romanos, & eſt adhuc hodie in Turcia, Æthiopia & aliis gentibus. Bodinus L. I. de Republica, c. 7. p. m. 88.* tradit ſequentia: *Jus feudorum quodammodo novum videtur, & ante Longobardorum in Italiam incurſiones ignotum: aut jus clientelare antiquiſſimum eſt, & ante Romuli tempora non modo Græcis, ſed etiam Celtis, Illyricis, Aſiaticis, Ægyptiis uſitatiſſimum, ut tenues a potentioribus vi & injuriis tutiores eſſent, tametſi nullos agros, nulla prædia haberent, ut Vaſallus, qui ſeſe ab obſequio ac fidelitate liberare non poteſt, etiamſi Rex eligatur, aut a Principe adoptetur.* Et ſtatim ab initio *capitis 9. p. m. 140.* hæc refert:

fert: *Jus fiduciarium ſeu fiduciale ſanctius eſt patrocinii jure, quod etiam a magiſtris jus patronatus appellatur. Hoc quidem antiquius illo, quod tamen a Langobardis origine ducta populos omnes mutua fiduciæ charitate complecti videtur: Nuſquam tamen uberius quam in imperio Turcarum, qui quod nos feudum ipſi Timar appellant, & beneficiarios ſeu vaſallos Timariotas: quibus feuda Principis beneficio, & quidem precario, non tamen diutius, quam fructuarii vita, fruenda permittuntur iis conditionibus, ut ingruenti bello Timariotæ equites ſine ſtipendio militari, & eum equorum numerum deducant, qui pro ratione beneficii, cuique libello cenſuali definiri ſolet. Eſt autem Timar honorarius prædiorum fructus, a Græco, ut opinor, τιμᾶν, quæ verbi notatio propriam feudi naturam explicare videtur: propterea quod veteri jure, feudum aliud nihil eſt, quam fructus prædiorum a vectigalibus liberum: & quoniam militiæ ac belli adverſus hoſtes gerendi cauſa hujuſmodi beneficia tribui ſolebant, principio militiæ ex caſu, deinde a fide præſtanda, feuda dicta ſunt. Hinc enim F. E. D. V. M. dici videtur: quod qui fidem daret, his verbis utebatur, FIDELIS ERO DOMINO VERO MEO: contractis autem dictionibus in literas, feudi appellationem traxerunt: niſi a fœdere utrinque contracto,* deri-

derivari verius ſit &c. Hæc obiter placuit adjicere.

Quæſtio XV.

An Rex infans, item Rex amens, furioſus, captivus, & qui in alieno territorio ita vivit, ut actiones circa imperium alibi ſitum liberæ ei non permittantur, poſſint ſalva veritate haberi pro veris Regibus?

§. 1.

NEgativa probatur ſequenti argumento: PRO NEGANTE SENTENTIA ARG.

Quicunque eſt verus Rex, is poteſt ea agere, quæ alterius juri non ſubſunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irrita poſſint reddi.

Atqui Rex infans, item Rex amens, furioſus, captivus, & qui in alieno territorio ita vivit, ut actiones circa imperium alibi ſitum liberæ ei non permittantur, non poſſunt agere, quæ alterius juri non ſubſunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irrita poſſint reddi. E.

Rex infans, item Rex amens, furioſus,

 capti-

captivus, & qui in alieno territorio ita vivit, ut actiones circa imperium alibi ſitum liberæ ei non permittantur, non ſunt veri Reges.

Major propoſitio eſt manifeſta. Nam veram majeſtatem habere nihil eſt aliud, quam ea agere poſſe, quæ alterius juri non ſubſunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irrita poſſint reddi.

Minor probatur, quia ut ea agi poſſint, requiritur uſus rationis, ideo & furioſi & amentis & infantis nulla eſt poteſtas agendi talia. Et quemadmodum defectus rationis arguit ex illorum parte impotentiam, ita captivitas vel alia quæcunque detentio eandem impotentiam captivis & qui in alienis territoriis ita vivunt, ut ejusmodi agere nequeant, afferit.

PRO AJENTE SENTENTIA ARG.

§. 2. Affirmativa ſententia probatur ſequenti argumento:

Quicunque habet in civitate poteſtatem, cujus actus alterius juri non ſubſunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti poſſint reddi, ille habet veram majeſtatem.

Atqui Rex infans, item Rex amens, furioſus, captivus, & qui in alieno territorio ita vivit, ut actiones circa imperium alibi ſitum liberæ ei non permittantur, habent in civitate poteſtatem, cujus actus alterius juri

non

non ſubſunt,ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti poſſint reddi. E.

Rex infans, item Rex amens, furioſus, captivus, & qui in alieno territorio ita vivit, ut actiones circa imperium alibi ſitum liberæ ei non permittantur, habent veram majeſtatem, adeoque ſalva veritate pro veris Regibus haberi poſſunt.

Major eſt definitio ſummæ poteſtatis.

Minor probatur hoc proſyllogismo:

Si Rex infans, amens, furioſus, captivus, & qui in alieno territorio ita vivit, ut actiones circa imperium alibi ſitum liberæ ei non permittantur, habere poſſunt curatores ſive prodicos, ſequitur, quod poſſint poteſtatis actus exercere, qui alterius juri non ſubſunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti poſſint reddi.

Prius eſt verum. E. & Poſterius.

Conſequentia probatur, quia facimus etiam quod per alios facimus. Imo ſi ejusmodi Reges hæcce talia non poſſent, aut in ejusmodi republica adhuc eſſet vera majeſtas, aut non eſſet. Poſterius dici nequit, quia apertam contradictionem implicat, dari rempublicam ſine ſummo imperio civili. Nec prius locum inveniet. Ubi enim eſſet illa Majeſtas? aut eſſet penes

populum, aut penes curatorem. Non penes populum, quia ei unice uniceque gloria obſequii adhuc relicta eſt. Non penes curatorem, utpote qui omnia non ſuo, ſed curatorio nomine regit.

RESP. AD ARG. CONTRARIUM.

§. 3. Ad argumentum pro contraria ſententia allatum reſpondetur negando propoſitionem minorem. Nam per curatores ſive prodicos ea utique aguntur à talismodi Regibus, quæ morali æſtimatione ab ipſis Regibus aguntur ac fiunt. *Grotius* noſter diſtinguit quoque inter majeſtatem, ut dicit actum primum, & inter majeſtatem, ut actum ſecundum notat. Placuit enim eidem *Phyſicorum* ac *Metaphyſicorum Scholas* in præſenti materia non penitus præterire. Ibi namq; diſtinguitur inter hæc duo, habere potentiam agendi, &, poſſe agere. Videri quidem primo intuitu poterat, ac ſi hæc duo nihil ab invicem differant, ſed penitius rem inſpicienti diſcrimen facile apparebit: notum quippe eſt ex *Metaphyſicis*, quod potentia aliqua activa dupliciter ſpectari poſſit: 1. in ſe & ex parte ſui, hoc eſt, ut *Scholæ* loqvuntur, ratione ſuæ entitatis, per quam aliquod ens aliud producere poteſt: exempli gratia quando conſideramus viſum in homine, lucem in ſole. 2. ratione aliorum quorundam, quæ antecedenter ſe tenent ex parte illius potentiæ & prærequiruntur

ad hoc,

ad hoc,ut illa potentia activa ſe exerere, aut ens ea potentia activa præditum ipſam exerere poſſit: ita exempli gratia ad viſum in homine,ut nempe homo viſum exerere queat, multa prærequiruntur, uti ſunt: viſorium, ut vocant, ſeu oculus bene diſpoſitus & affectus, medium quoddam *διαφανὲς*, hoc eſt pellucidum atque perſpicuum,ut aër, vitrum &c. objectum ſeu res,quæ viſum terminare poſſit, juſta objecti diſtantia, & quæ hujusmodi plura ſunt. Pariter ad lucem in ſole, ut ſe exerat, opus itidem eſt pluribus, e quibus ſi vel unicum deſit,ſol illuminandi potentiam nequit exerere. Inde *Metaphyſicis* ſolenne eſt diſtinguere inter potentiã activam incompletam & completam: incompletam appellant potentiam, cui unum plurave eorum, quæ ad potentiam, ut ſe exerere poſſet, prærequirebantur, & a *Scholaſticis* dicuntur *prærequiſita antecedenter.* Completam potentiam nuncupant eandem potentiam ſic diſpoſitam, ut in illa diſpoſitione contineantur omnia ad agendum in actu primo prærequiſita, ſive ſint principia actionis, ſive conditiones ſaltem ad actionem neceſſariæ, hoc tamen titulo prærequiſitæ. Studio mentio fit prærequiſitorum: nam de requiſitis ex parte ipſius actionis velut actus ſecundi, hic nullus eſt ſermo: ejusmodi requiſita *Scholæ Docto-*

res nomine *requiſitorum concomitanter* nuncupant. Res exemplis facillime poteſt percipi. Ita non valet: Petrus dormiens non poteſt videre noctis meridie, ergo non habet viſum. Sol non poteſt illuminare conclave, cujus feneſtræ undiq; valvis obſitæ ſunt, ergo non habet illuminandi potentiam. Hoc ſaltim ſequitur: ergo Petrus non habet completam potentiam videndi, ſol non habet completam potentiam illuminandi. Ad moralia ac politica facile hæc accommodari poterant: ſicut viſum habet Petrus, licet videre non poſſit, ſol illuminandi potentiam habet, licet illuminare nequeat; ita Rex infans, amens, furioſus, ſuum imperiũ habent, utut exercere non poſſint, alia quippe adhuc requiſita adeſſe oportet, quæ antecedenter ſe tenent ex parte poteſtatis civilis, ut ea poſſit exerceri, inter quæ unum e præcipuis eſt uſus rationis: nam imperium exercere eſt pro arbitrio agere, arbitrariis autẽ actionibus locus non eſt, ubi uſus rationis exulat, quia voluntas non fertur in incognitum rationi. Sic quoque Rex captivus, & qui in alieno territorio ita vivit, ut actiones circa imperium alibi ſitum liberæ ei non permittantur, nequit notitiam habere hujus illiusque, ut non ſubeat mirari, cur Reges iſti imperium ſummum exercere nequeant, ſalvo manente imperio ſummo.

Hoc igitur, & nihil aliud, ſi ejus mentem recte aſſequimur, noſter *Grotius* voluit, dum hæc tradidit: *diſtinguendum non minus in imperio quam in dominio, jus ab uſu juris, ſive actus primus ab actu ſecundo. Nam ſicut Rex infans jus habet, ſed imperium exercere non poteſt; ſic & furioſus, & captivus, & qui in alieno territorio ita vivit, ut actiones circa imperium alibi ſitum liberæ ei non permittantur: omnibus enim his caſibus curatores ſive prodici dandi ſunt.* Quaſi dixiſſet; Qui a negatione exerciti imperii ad negationem imperii argumentatur, is a negatione actus ſecundi ad negationem actus primi nectit conſequentiam; & qui ab eo, quod quis nequeat imperium exercere, colligit hoc, quod quis careat imperio, is certe eodem ferme modo ſe gerit, ac ſi a negatione completæ potentiæ ad negationem veræ potentiæ argumentari voluiſſet, qualismodi ſequelæ ex *Metaphyſicorum* & *Logicorum* decretis ſunt ſine ſutelis. Hæc circa majorem monere viſa ſunt. Manet interim certum, quod quadam quaſi juris expletione quoties Rex nihil egit, egit tamen curator Regis nomine, hoc, quod curator egit, ita quidem, ut agere eum decebat, non curator, ſed Rex per curatorem egiſſe cenſeatur. Et huc quodammodo reſpexiſſe credo ipſum *Grotium* noſtrum, dum curatorum meminit.

OCCASIO QUÆSTIONIS.

§. 4. Occaſio extat *§. ultimo.*

CAPUT IV.

De

BELLI MIXTI DIVISIONIBUS, SUBDITIS, TYRANNIDE ET TYRANNIS.

§. 1.

DE BELLI MIXTI DIVISIONIBUS. *Bellum mixtum duplex.*

BEllum mixtum duplex eſt: aliud enim *geritur inter privatum & eum, qui imperium ſummum habet, at non in ipſum*: ut bellum *Abrahami in Regem Babyloniæ & vicinos*, bellum *Romanorum in piratas*. Aliud *geritur inter privatum & eum, qui imperium ſummum habet, & quoque in ipſum*: ut: bellum *Davidis in partem Isboſethi*, Stephani Razin adverſus hodiernum magnum Ducem Moſcovitarum.

[*Grotius c. 4. §. 1. n. 1.*]

NOTÆ.

I. Quid bellum mixtum ſit, vidimus ſupra *Cap. III. §. 4. p. 373.*

II. Po-

II. Poterat quidem ſecundario & quadantenus bellum mixtum dici, quod inter mere privatum & eum, qui imperium habet ſummo minus, geritur, ſed ſimpliciter & abſolute bellum mixtum illud dicitur, quod modo ex *Grotio* noſtro definivimus.

§. 2. Subditus alius eſt mere ſubditus, alius eſt ſimul magiſtratus. Mere ſubditus eſt ille ſubditus, qui omni poteſtate civili deſtituitur. Subditus & ſimul magiſtratus eſt, exempli gratia ſenatus oppidanus, qui Principis ſubditus, civium magiſtratus eſt.

De Subditis. *Subditi diviſio.* *Mere ſubditus quid?* *Subditus & ſimul magiſtratus quid?*

[*Grotius* §. *6. n. 1.*]

NOTÆ.

I. Subditus, qui ſimul eſt Magiſtratus inferior, in quantum eſt magiſtratus ſupremi ſubditus, in tantum plane non eſt magiſtratus.

II. Rem facili ſimilitudine ex Logicis deprомta *Grotius* noſter declarat: ſicut ſpecies intermedia, ſi ſpeciem infra poſitam reſpicias, eſt genus; ſi genus ſupra poſitum, eſt ſpecies: Ita ſubditi illi, qui ſimul magiſtratus inferiores ſunt, eorum quidem, in quos poteſtatem civilem habent ratione habita, ſunt magiſtratus, ſunt

publicæ perſonæ; at ſuperiores ſi conſiderentur, ſubditi ſunt, privati ſunt.

DE TYRANNIDE *Tyrannis quid?*

§. 3. Tyrannis eſt reſpublica injuſta.

NOTA.

Tyrannis alias varias admittit ſignificationes: 1. accipi poteſt pro quavis republica, quæ pro unico fine per ſe ac eſſentiali non habet ſubditorum commodum. 2. pro Monarchia, cujus unicus finis per ſe ac eſſentialis non eſt commodum ſubditorum. 3. pro monarchia injuſta. 4. pro quavis injuſta republica. Hæc ultima ſignificatio eſt hujus loci, & ſic tertia quoq; huc pertinet. Primam & ſecundam abeſſe volumus, quia, ut ex *Grotio* in *quæſtione VIII.p.* monuimus, *Tyrannis*, ut quidem ea vox nunc intelligitur, injuſtitiam includit: Poſſunt vero etiam reſpublicæ dari juſtæ, in quibus ii, qui ſummum imperium tenent, privatum quærunt commodum, ſuamque utilitatem.

DE TYRANNIS. *Tyranni diſtinctio. Tyrannus inVaſor quid?*

§. 4. Tyrannus in Politicorum Scholis diſtinguitur in *invaſorem* & exactorem. Ille dicitur, qui *injuſte rempublicam invadit ac poſſidet:* Talis erat *Nabis*, de quo *T. Quintius* apud *Livium* ajebat, *ſatius fuiſſe Lacedæmone*

cum

um Tyrannum relinqui, cum aliter opprimi non poſſet, quam ruina graviſſima civitatis in ipſa vindicta libertatis perituræ. Hic vocatur, qui rempublicam magna crudelitatis & ſævitiæ injuſtitia regit maximisque *injuriis* afficit; Ita Nero fertur nihil magis in votis habuiſſe, quàm ut una totius populi cervix eſſet, ut uno ictu omnes ſubditos e medio poſſet tollere. *Tyrannus exactor quid?*

[*Grotius* §. *6.* & *15.*]

NOTÆ.

I. Ille dicitur etiam *raptor*, item *tyrannus titulo:* hic *tyrannus exercitio.*

II. Inde nata eſt diſtinctio inter tyrannum titulo aut exercitio *tantum*, & inter tyrannum titulo & exercitio *ſimul.*

III. Invaſor *malus*, exactor *pejor*, invaſor & exactor ſimul *peſſimus.*

QUÆ-

QUÆSTIONES.

Quæſtio I.

An bellum mixtum ex parte ſubditorum adverſus eos, qui ſummum imperium habent in ipſos, in certo caſu poſſit eſſe jure naturæ licitum?

§. I.

PRO AFFIRMATIVA SENTENTIA.

PRo affirmativa videntur facere ſequentia argumenta:

ARG. I.

I. Si privato licet bellum gerere adverſus latronem, ſequitur multo magis ſubditis licitum eſſe bellum adverſus ſuperiorem, qui injuſte poſſidet ſummum imperium.

Prius eſt verum. E. & Poſterius.

Conſequentia probatur, quia ille ſuperior, qui injuſte ſummum imperium poſſidet, nihil aliud eſt quam raptor ſummi imperii, ut adverſus eum tanto magis bellum licitum ſit, quanto majoris momenti res eſt ſummum imperium.

Prius probavimus *quæſtione I. c. 3. p. 399.*

ARG. II.

II. Si fieri poteſt, ut Rex, penes quem non eſt jus alienandi regnum, velit iſtud

iſtud alienare, aut ut vere hoſtili animo in totius populi exitium feratur, ſequitur, quod in certo caſu ſubditis liceat bellum adverſus eos, qui ſummum imperium in ipſos habent, gerere.

Prius eſt verum. E.& Poſterius.

Conſequentia probatur, quia ſub ea conditione talis Rex acceperat regnum, ne alienaret, multo magis ne populum perderet.

III. Si caſus dari poteſt, in quo Rex habet partem ſummi imperii, partem alteram Regis ſubditi, ſequitur in certo caſu bellum ſubditis licitum eſſe adverſus eum, qui ſummum in ipſos habet imperium. ARG. III.

Prius eſt verum. E. & Poſterius.

Conſequentia probatur, quia in tali caſu accidere poſſet, ut Rex in partem non ſuam involaret, quidni igitur vis juſta ei opponi poſſet?

IV. Si caſus dari poteſt, ut in delatione imperii dictum eſſet a ſubditis, ut certo eventu reſiſti imperanti poſſit, ſequitur certo caſu ſubditis adverſus eum, qui habet ſummum imperium, licere bellum gerere. ARG. IV.

Prius eſt verum. E. & Poſterius.

V. Si caſus dari poteſt, in quo ſubbiti imperantem poſſint deponere, ſequitur, ARG. V.

tur, quod etiam in certo caſu bellum poſſit eſſe licitum ſubditis adverſus eum, qui ſummum habet imperium.
Prius eſt verum. E. & Poſterius.
Conſequentia probatur, quia majus eſt deponere imperantem, quam bellum adverſus ipſum gerere.

ARG. VI. VI. Si Deo magis quam hominibus obediendum, ſequitur, quod in certo caſu Regi ſummum imperium habenti, dum imperio ſuo turpiter abutitur ac male imperat, poſſit reſiſti.
Prius eſt verum. E. & Poſterius.

ARG. VII. VII. Si Imperans ſanctiſſimis ſe juramentis obligavit ad hoc, quod ſatis bene imperare velit, ſequitur, quod ſubditis liceat perjuro bellum inferre.
Prius eſt verum. E. & Poſterius.

PRO NEGANTE VERA SENTENTIA. ARG. §. 2. Negativa demonſtratur a *Grotio* ſequenti argumento.
Quicquid per ſe ac ſimpliciter neceſſarium eſt ad tranquillitatem publicam, ejus contrarium ſubdito non eſt jure naturæ licitum.
Atqui hoc, ut ſubditi abſtineant a bello adverſus eum, qui ſummum imperium in ipſos habet, eſt per ſe ac ſimpliciter neceſſarium ad tranquillitatem publicam. E.

Hujus

Hujus contrarium ſubdito non eſt jure naturæ licitum.

Major probatur, quia neceſſitas finis facit jus in moralibus: Finis autem eſſentialis civitatis eſt tranquillitas, omnes namque civiles ſocietates ad tuendam tranquillitatem inſtitutæ ſunt, unde morali certitudine colligitur, ſtatim illis, qui ſummum imperium in civitate habent, jus quoddam majus in nos & noſtra naſci, quatenus ad finem illum id neceſſarium eſt. Ita habent mores omnium civitatum.

Minor ſic deducitur: ſubditi voluerunt ſocii fieri civitatis ad tuendam tranquillitatem inſtitutæ. Jam vero tranquillitas nequit obtineri ſine ordine imperandi & parendi; in publicis enim præcipuum haud dubie eſt ordo ille, qui dicebatur, imperandi parendique, imo natura id neceſſarium & reipublicæ ſalutare, ut ſint, qui imperent & qui pareant. Jam lubet talem formare proſyllogiſmum:

Cum quo ille ordo nequit conſiſtere, hoc natura illicitum, & reipublicæ noxium eſt, ejusque contrarium per ſe ac ſimpliciter ad tranquillitatem publicam neceſſarium.

Atqui talismodi privata reſiſtendi licentia, ſi nempe ſubditi adverſus eos, qui ſummum imperium in ipſos habent, bel-

bellum auſint gerere, eſt tale quid, cum quo ille ordo nequit conſiſtere. E. Talismodi privata reſiſtendi licentia natura eſt illicita & reipublicæ noxia, ejusque contrarium per ſe ac ſimpliciter ad tranquillitatem publicam neceſſarium.

Major propoſitio eſt manifeſta: ſublata enim forma tollitur res ipſa. Quomodo ergo id, quod tollit formam; (ordo enim eſt formalis ratio ſocietatis) poteſt namq; ad tranquillitatem tanquam eſſentialem ordinis finem.

Minor proſyllogismi patet. Nam ſi maneat promiſcuum illud reſiſtendi jus, non jam ordo erit imperandi & parendi, ſed diſſociata multitudo. Nemo certe ſibi male vult, at imperantis felicitas in ſubditorum felicitate conſiſtit, neque ſpes erit ad ſalutem, ſi quod parere poſitum eſt, velit imperare. Et quod præcipuum, cum ſummum imperium non poſſit non multorum odiis patere, hæcque ſit conditio omnium, qui adminiſtrationem reipublicæ aggrediuntur, ut ea, quæ maxime pertinent ad ſalutem communem, cum quadam ſui invidia efficere cogantur, ſecuritas imperantis utique peculiariter erat munienda, ut tanta ejus ſanctitudo ſtatuatur, ne ipſi bella ſubditorum metuenda ſint, utq; ſubditorum unica gloria ſit, & unanimis conſenſus ſic protegendi amandique principes

cipes ſuos, & ſe ſuaque jactandi, quocunque deſideraverit imperantis ſalus, etiam multis mortibus principem redimendi. Omnino hic noſter *Grotius* adeundus eſt & cum ſingulari attentione legendus, quando tot illuſtriſſimis teſtimoniis, cum ſacris, tum aliis, ut: *Platonis, Philonis, Auguſtini, Æſchyli, Sophoclis, Euripidis, Taciti, Senecæ, Salluſtii*, tot *legum civilium, Ariſtotelis, Chryſoſtomi, Thucydidis, Livii, Ambroſii, Xenophontis, Jamblichi, Tertulliani, Dionis Caſſii, Juſtini, Ciceronis, Epicteti, Simplicii*, aliorumque plurium hancce ſententiam confirmare ſategit, quæ ſane merentur inſpici, non tantum quia ſunt magnorum auctorum dicta, ſed quia ex optimis Magiſtris *Grotius* noſter petere ſententias voluit bonam partem aptas conficiendæ demonſtrationi, quæ in præſenti quærebatur.

Ad argumenta in contrarium allata reſpondetur, & quidem RESP. AD ARG.

Ad I. dicendum, quod in conſequenti majoris duo inferantur: 1. quod ſubdito licitum ſit bellum gerere adverſus eum, qui injuſte poſſidet ſummum imperium. 2. quod ille, qui injuſte poſſidet ſummum imperium, ſit ſuperior. Prius quod attinet, illud lubentiſſime admittimus, quod videlicet privato liceat bellum gerere ad- CONTRARIA. AD ARG. I.

 verſus

verſus invaſorem ac raptorem ſummi imperii, ſed eo ipſo nondum evincitur affirmativa ſententia propoſitæ quæſtionis: Poſterius autem ſi reſpiciamus, iſtud falſum eſt, quod qui injuſte poſſidet ſummum imperium, revera ſubditis ſit ſuperior, ejusque reſpectu ſint ſubditi. Sicut enim qui mala fide poſſidet rem alterius, nondum habet jus in re: ita quamdiu durat injuſte poſſidendi cauſa, invaſor imperii ſummi nondum habet jus imperandi, adeoque utut negari nequeat, ei bello reſiſti poſſe, non tamen reſiſtitur ipſi ut ſummum imperium habenti, imo ſi ſummum imperium haberet, ei non poſſet reſiſti. Itaque in invaſorem, ſi injuſte imperium arripuerit, neque pactio ulla ſecuta ſit, aut fides illi data, ſed ſola vi retineatur poſſeſſio, videtur manere belli jus, ac proinde in eum licere, quod in hoſtem licet, qui a quolibet etiam privato jure poteſt interfici. In reos enim majeſtatis & publicos hoſtes omnis homo miles eſt. Add. totus *tit. C. quando liceat unicuique ſe vindicare ſine judice*, item inſignia e *Plutarcho*, ut & *Græcorum, Athenienſium* & *Romanorum legibus* producta a *Grotio* teſtimonia. Accedit, quod in caſu talis belli adverſus imperii invaſorem aut raptorem geſti plerumque diſerta au-
ctori-

ctoritas accedat ejus, qui jus verum ſummi imperii habet, & ſi non diſerta, tamen præſumta, ut ſic bellum ejusmodi mixtum ſit non ex parte ſubditorum adverſus raptorem imperii, ſed ratione habita imperantis, qui per ſubditos iſtud bellum geſſiſſe cenſetur, ut mixtum, ſi raptor imperii ſit privatus. Et ex eodem fundamento oſtendi poteſt, cur quandoque ſubditis plane non liceat adverſus raptorem imperii bellum gerere, ſi nempe is, qui verum jus habet ſummi imperii in ſubditos, malit invaſorem in poſſeſſione relinqui, quam periculoſis & cruentis motibus occaſionem dare, qui plerumque ſequi ſolent iis violatis aut interfectis, qui validam habent factionem in populo, aut externos etiam amicos. Nam quodcunq; cum tanto periculo reipublicæ conjunctum eſſe poterat, ejus judicium ſubditi ad ſe trahere non debebant. Imperantis namque erat de eo diſpicere, an rem in id periculum adduci vellet, ſine cujus voluntate cognita bellum juſtum eſſe non poteſt. Declarat hoc *Grotius* more ſuo, hoc eſt egregiis optimorum auctorum: *Livii*, *Ciceronis*, *Plutarchi*, *Ariſtophanis*, *Taciti*, *Platonis*, *Salluſtii*, *Ambroſii*, & Principis Moraliſtarum *Thomæ* ſententiis, quæ § *19*. videantur.

Exceptio. Excipis 1. raptorem imperii factum eſſe ſuperiorem, eo ipſo, quod duraverit injuſte poſſidendi imperium in ſubditos cauſa, idque inde probas, quia rata ſunt etiam illa, quæ imperat malæ fidei poſſeſſor imperii eo tempore, quo mala fide imperium poſſidet.

Solutio. Reſpondetur, illa rata non eſſe ex raptoris jure, quod nullum eſt, ſed ex expreſſa vel præſumta ejus, qui jus ſummi imperii habet, voluntate. Facile enim & recte præſumunt ſubditi verum jus imperii habentem habentesve malle interim rata eſſe, quæ malæ fidei poſſeſſor dicebat ſe imperare, quamvis imperare non poſſet, quam legibus judiciisque ſublatis ſummam induci confuſionem. Vid. quæ *Grotius* noſter ex *Cicerone*, *Quintiliano*, *Floro* in elegantem hujus rei confirmationem adfert *§. 15. n. 1.*

Exceptio. Excipis 2. A ſubditis adverſus invaſorem ſummi imperii etiam bellum geri cum interfectione Tyranni poſſe, quando deſiit injuſte poſſidendi cauſa, longaque poſſeſſione aut pacto jus nactus eſt: adeſt in hanc ſententiam illuſtre factum Aodis in Eglonem Moabitarum.

Solutio. Reſpondetur: minime gentium. Non d eet confundi ſtatus invaſionis eique anexæ malæ fidei poſſeſſionis cum ſtatu, ſi ita

ſi ita loqui liceret, juſtificato, dum nempe longa patientia innocentium jus invaſori peperit, cui ſi ſine gravi periculo poterat non pareri, parendum non erat. Cæterum factum Aodis non debet a vera ſententia nos dimovere, nam aperte teſtatur ſacra Auctoritas hunc a Deo ipſo vindicem ſuſcitatum mandato ſcilicet ſpeciali: quæ autem Dei juſſu, non humano arbitrio ſuſcepta ſunt, ad dijudicationem præſentis controverſiæ non pertinent.

Ad II. reſpondetur, quod in tali caſu, quando Rex, penes quem non eſt jus alienandi regnum, vult iſtud alienare, aut vere hoſtili animo in totius populi exitium fertur, Rex deſinat eſſe Rex, & ſic non adverſus eum, qui ſummum imperium in ſubditos habet, ſed qui habuit, ab ipſis bellum geratur, de quo non formabatur quæſtio. Elegantiſſime ex *Seneca Grotius: Etſi parendum in omnibus patri, in eo non parendum, quo efficitur, ne pater ſit:* Sic etiam, etſi parendum ſit imperantibus, in eo tamen ipſis parendum non eſt, quo efficitur, ne amplius ſint imperantes, quod fit, quando prorſus ſtatum reipublicæ everſum eunt. Cavendum interim ſanctiſſime, ne ſubditi id tentent, niſi ſat manifeſtis & extra omne (omne dico) periculum dubitationis poſitis rationi- RESP. AD II. ARG.

 tioni-

tionibus ſufficientiſſime conſtet, eum, eosve, qui verum jus ſummi imperii in ipſos habent, hoc habere in animo deliberato. Nam minime pro derelicto habere ſummum imperium cenſendus eſt, qui id exercet negligentius.

RESP. AD III. ARG. Ad III. iterum reſpondetur negando conſequentiam. Quæſtio mota eſt de eo, quid ſubditis liceat adverſus eum, qui ſummum in ipſos habet imperium? at in tali caſu, quando Rex habet partem ſummi imperii, partem alteram Regis ſubditi, ſi Regi in partem non ſuam involanti ſubditi bellum inferant, iſtud non inferunt ei, quatenus ſummum imperium in ſubditos habet, ſed quatenus ſummum imperium, quod non habet, turpiter involat. Et hac ratione ſubditi quoque non inferunt bellum ut ſubditi, ſed ut habentes ſummum imperium: nam & pars ſummi imperii eſt ſummum imperium, ſcilicet minus pleno.

Excipis: Adhuc dubitatio ſupereſt: quid enim fiet, ſi ſummum jus belli ſit penes Regem involantem partes imperii non ſuas?

Reſpondetur: In tali caſu Rex accepit quidem ſummum jus belli, ſed recte hoc intelligendum eſt, ſcilicet ſummum jus belli externi, cum alioqui quisquis imperii

perii ſummi partem habet, non poſſit non jus habere eam partem tuendi, quod ubi fit, poteſt rex etiam ſuam ſummi imperii partem belli jure amittere.

Ad IV. reſpondetur: Si talis caſus obveniret, ut in delatione imperii dictum eſſet, ut certo eventu reſiſti Regi poſſit, etiamſi eo pacto pars imperii retenta cenſeri non poſſet, certe retenta eſſet libertas aliqua naturalis & exemta regio imperio. Poteſt autem qui jus ſuum alienat, & jus pactis imminuere. Hiſce ſic ſtantibus in dicto caſu ſubditi iterum non gererent bellum ut ſubditi. RESP. AD ARG. IV.

Ad V. reſpondetur, quod in tali caſu, in quo ſubditi deponere poſſunt imperantem, ſi ipſe non patiatur ſe deponi, vis belli a ſubditis adhibita juſta quidem eſſe poſſit, non tamen adhibetur adverſus imperantem ut imperantem, ſed ut eum, qui politica æſtimatione privatus eſt. Maxima tamen ſimul adhibenda cautio, ne ſubditi cenſeant imperantem deponi poſſe, niſi ejus poteſtati aſſignati fuerint tales fines, qui cognoſci facile poſſent, & ſatis expreſſæ conditiones, ſub quibus in depoſitionem, cum imperans conſtitueretur, ipſe conſenſerat. RESP. AD ARG. V.

Ad VI. reſpondetur, concedi poſſe ſano ac ſuo ſenſu totum argumentum, ſed RESP. AD ARG. VI.

eo ſenſu non eſt contra veram ſententiam. Regi ſuo imperio turpiter abutenti hoc modo, ut naturali juri aut divinis præceptis contraria imperet, ſubditi reſiſtere poſſunt, imo debent, hoc eſt, tenentur intermittere, quod jubet : inde tamen nondum ſequitur, quod Regi ſubditos injuria afficienti bellum ab iis inferri poſſit.

Resp. Ad Arg. VII. Ad VII. reſpondetur negando conſequentiam. Etiamſi imperans juret per omnem Dei atque hominum fidem, manet tamen illius imperium ſummum, tantamque vim non habet tale juramentum, ut de eo belli alicujus a ſubditis adverſus eum juſte gerendi cauſa pendeat. Eſt quippe juramentum mere acceſſorium quid imperantes ſui admonens officii, & iræ divinæ, cujus ſe reos faciunt, qui ſphæram ſui officii excedunt; igitur a tali ceremonia, qualis juramentum imperantium eſt, infirma petuntur belli juſti a ſubditis adverſus imperantem gerendi argumenta. Oportet ſane plura accedere, vi quorum demum ſubditi, non tamen ut ſubditi, ſed ut liberi, aut partem tenentes ſummi imperii, aut ex certis conditionibus imperium adimere valentes, ſic tandem belli gerendi habeant poteſtatem.

§. 4. Uber-

§. 4. Uberrimam occaſionem attulit *Grotius* per integrum *caput* 4. OCCASIO QUÆSTIONIS.

Quæſtio II.

An magiſtratus inferior jus bello reſiſtendi magnis injuriis ejus, qui in eadem civitate ſummum imperium tenet, habeat?

§. 1.

AFfirmativam videntur ſequentia ſuadere argumenta: PRO AFFIRMANTE SENTENTIA.

I. Perſona publica habet jus belli, quo ſuos ſubditos defendat.

Magiſtratus inferior in hac belli ſpecie conſideratus eſt perſona publica. E. ARG. I.

Magiſtratus inferior jus bello reſiſtendi magnis injuriis ejus, qui in eadem civitate ſummum imperium tenet, habet.

II. Ipſa praxis ejusmodi bella docet. Inſtar plurium exemplorum eſto perfectum illud optimi Imperatoris ex- ARG. II.

 emplar

emplar Trajanus, qui pugionem Præfecto Prætorio tradidit his verbis: *Hoc pro me utere, ſi recte impero: ſi male, contra me.*

Pro Negante Sententia.

§. 2. Negativam probat ſequens argumentum:

Quicunque eſt privatus, is nequit bellum gerere adverſus ſuum magiſtratum.

O. Magiſtratus inferior, ſi ſpectetur in ordine ad ſummum magiſtratum, eſt privatus. E.

Nullus magiſtratus inferior poteſt bellum gerere adverſus ſuum magiſtratum.

Majorem probatam dedimus integra præcedenti quæſtione.

Minor probatur ſequenti proſyllogiſmo:

Quicunque alterius poteſtati ita ſubjicitur, ut quicquid contra voluntatem ejus facit, injuſtum ſit aut irritum, ille in ordine ad alterum eſt privatus.

Atqui omnis magiſtratus inferior ſummi magiſtratus poteſtati ita ſubjicitur, ut quicquid contra voluntatem ejus facit, injuſtum ſit aut irritum. E.

Omnis

Omnis magiſtratus inferior in ordine ad ſummum magiſtratum eſt privatus.

Major proſyllogismi patet, quia inter talem & privatum nullum diſcrimen oſtendi poteſt.

Minor proſyllogismi nititur canone Metaphyſico: *Ordo non datur niſi cum relatione ad aliquid primum.* Nam ſi magiſtratus inferior qua talis vi majeſtatis ſuæ publicæ, qua pollet, poſſet contra ſummi imperantis voluntatem facere, aut eſſet inferior, & ſic non daretur ordo cum relatione ad ſuperiorem, aut non eſſet inferior, utrumque implicat. Eleganter noſter: *Mihi videntur, qui contra ſentiunt, talem ſtatum rerum inducere, qualem antiqui fabulantur in cœlo fuiſſe, antequam majeſtas oriretur, quo tempore ajunt minores Deos Jovi non conceſſiſſe. At is, quem dixi, ordo, & ὑπαλληλισμός non tantum ſenſu communi cognoſcitur, ſed & divina probatur auctoritate.*

§. 3. Ad argumenta pro contraria ſententia allata reſpondetur, & quidem — RESP. AD ARGUMENTA CONTRARIA.

Ad I. negando minorem. Falſiſſimum eſt, quod magiſtratus inferior in hac belli ſpecie conſideratus ſit publica perſona: conſideratur enim, ratione ſummi — AD I. ARG.

mi magiſtratus habita: ſic vero, ſi nempe ſuperiorem ſpectes, ſubditus eſt, privatus eſt.

Ad II. Arg. Ad II. reſpondetur: ſciendum eſt Trajanum, ut ex Plinii Panegyrico apparet, id unice curaſſe, ne quid regium oſtentaret, (abſolutam enim poteſtatem populo placiturus declinabat) ſed verum Principem gereret, qui proinde ſubeſſet populi ſenatusque judicio, quorum ſententias exequi Præfectus deberet etiam in ipſum Principem.

Occasio Quæstionis. §. 4. Occaſio quæſtionis §. 6. & ibi ſimul pulchra teſtimonia habentur.

Quæſtio III.

An lex de non reſiſtendo obliget ſubditum in graviſſimo & certiſſimo diſcrimine, ſeu, num moderamen inculpatæ tutelæ adverſus ſummum imperantem in certo caſu locum habeat?

HAc de re commodius agetur mox ſequenti *L. II. c. 1.*

CAP.

CAPUT V.

De VARIIS CAUSARUM BELLI EFFICIENTIUM MODIS.

§. 1.

BElli *cauſa efficiens* alia *eſt principalis*, alia *adjuvans*, alia *inſtrumentum*. *Cauſa efficiens belli quotuplex?*

[*Grotius c. 5. §. 1.*]

NOTÆ.

I. Quando de belli cauſis hic agitur, non niſi de perſonis, ut ſunt cauſæ efficientes belli, hoc noſter *Grotius* intellectum vult.

II. *Ut* nempe *in aliis rebus, ita & in volun-*

voluntatis actionibus tria eſſe ſolent efficientium genera, principales, adjuvantes & inſtrumenta.

Cauſa principalis belli quid?

§. 2. *Cauſa principalis belli eſt is* illive, *cujus* quorumve *res agitur: exempli gratia in privato privatus: in publico poteſtas publica, maxime ſumma.*

Cauſa adjuvans belli quid?

§ 3. Cauſa adjuvans belli eſt is, iſtive, a quo quibusve cauſæ efficienti principali auxilium fertur.

NOTA.

Sunt quippe diverſa inter ſe hominum vincula, quæ ad mutuam opem invitant, inter quæ etiam ſunt: vinculum cognationis, *nam & cognati ad opem ferendam coëunt:* vinculum vicinitatis, *& vicini inclamantur:* vinculum beneficii, *& pro benefactoribus arma ſumuntur:* vinculum fœderis, *& ſociis injuria affectis auxilia feruntur:* Vinculum humanitatis, *ut cætera deſint vincula, ſufficit humanæ naturæ communio. Ab homine enim nihil humani alienum eſt.* Eleganter *Papinianus* JCtus *l. ſervus ea lege 7. D. de ſervis exportandis: Beneficio adfici hominem hominis intereſt:* Rationem ſuggerit *Florentinus* JCtus

JCtus *l. ut vim 3. D. de Juſtitia & Jure.* Societatem enim & *cognationem quandam inter nos conſtituit natura.*

§. 4. *Inſtrumentum belli eſt is, qui ita bellum gerit ſua voluntate, ut ea voluntas ab altera pendeat* nempe *cauſæ principalis voluntate*: exempli gratia: *tale inſtrumentum eſt Patri filius, pars quippe ejus naturaliter, tale & ſervus, quaſi pars ex lege. Quale autem in familia eſt ſervus, tale in republica eſt ſubditus, ac proinde inſtrumentum imperantis.* *Inſtrumentum belli quid?*

NOTÆ.

I. Voluntarium alias diſtinguitur in voluntarium voluntate propria & voluntarium voluntate aliena, quæ diſtinctio ſano ſenſu huc trahi poteſt. Si nempe voluntarium propria voluntate dicatur, *quod quis voluntate ſua vult ut ea voluntas ab altera non pendeat*, e contrario voluntarium voluntate aliena, *quod quis voluntate ſua vult, ut ea voluntas ab altera pendeat.*

II. Poterat, ſi rigorem metaphyſicum ſequi velles, diſtingui inter cauſam efficientem belli principalem & inſtrumentalem. Principalis rurſus diſtingui in principa-

cipalem abſolute ita dictam & minus principalem, qualismodi diſtinctiones occurrunt in *Metaphyſicis*.

III. *Non eſt dubium quin naturaliter omnes ſubditi bello adhiberi poſſint, ſed quosdam ſpecialis lex arcet,* vel alia ratio civilis, *ut olim Romæ ſervos, nunc paſſim clericos, quæ tamen lex ut omnes ejus generis, cum ſummæ neceſſitatis exceptione intelligenda eſt.*

ANT 1318C25

Saltem [illegible] in-
ciae, [illegible]
[illegible] esse · 295.

Dicuntur autem illi qui [illegible] co-
mitantur, [illegible] de-
pugnantes ab [illegible] ut
pastores illos [illegible] praestent · 297.

Si ministrum Principis tui negueris simul
[illegible], [illegible] principem, illum [illegible]
ministrat [illegible] 298.

An [illegible] post [illegible] · 328.

[illegible] Deus [illegible]
[illegible] 3. adulterium [illegible]
legitur, et Abrahamo Gen. 22. [illegible]
[illegible] · 242.

[illegible] Diaphoristae [illegible]
[illegible]
[illegible] doctrina [illegible]
in [illegible] principium [illegible]
natura [illegible], [illegible]
natura [illegible] · 260.

... fuerit cognitus, illud est prin=
cipium intelligitur possibile 263

Nego opus esse oratione neque
disputatione ... ad ...
... putamus 271

Cælibat homini quantum in se
colendam, et conservandam esse
pacificam alienique socialitatem.

Numen cole summum 279

Ne prodige ... nec ... prodige negligendo
Ne cui facias, quae tibi facta non placerent
288

Minus singulis ... iniuste ...
... impossibilibus quos religiosos credit
292

An sibi relicta humana natura ad salutem
aeternam pertingere possit 292.

... fecit natura ... nos singulos, et in=
firmos esse, et multarum rerum ad vitam
... ferendam egentes, quo ... ad
colendam socialitatem impelleremur 415

Nisi potestas publica esset alter alterum
vivum deglutiret. 416.